CARTULAIRE

DE MAGUELONE

Imprimatur

† René, évêque de Montpellier.

Montpellier, le 9 octobre 1923

CARTULAIRE

DE MAGUELONE

PAR J. ROUQUETTE

Prêtre du diocèse de Montpellier

Membre de la Société des Lettres, Sciences et Arts de l'Aveyron

---

TOME CINQUIÈME

Épiscopats de Jean de Vissec

et de Pictavin de Montesquiou

(14 mars 1328-15 mars 1339)

FASCICULES 1-4

CHEZ L'AUTEUR

MONTPELLIER

18, rue Ferdinand-Fabre

PRÉFACE

Le tome V du *Cartulaire de Maguelone* comprendra les actes de deux évêques: Jean de Vissec et Pictavin de Montesquiou, c'est-à-dire onze années de notre histoire diocésaine.

Jean de Vissec était prévôt de Maguelone, quand, le 14 mars 1328, Jean XXII le nomma évêque de Maguelone (Mollat *Lettres communes de Jean XXII*, n° 40 683, T. VII, p. 202). Le 25 avril, il nommait ses vicaires généraux, tous, ses anciens confrères, parmi lesquels Raimmond de Canillac, alors prieur de Saint-Firmin, et qui devait lui succéder dans la prévôté. Cette nomination donna lieu à une suite de promotions intéressantes, à cause du rôle que devaient jouer ces personnages sous l'épiscopat d'Arnaud de Verdale. Le vestiaire Bertrand de Villeneuve fut nommé à Saint-Firmin, et Guillaume de Laudun, prieur de Montaubérou, fut nommé sacriste. (Mollat *op. cit.* p. 242 et 243 à la date du 2 mai 1328).

La plus grande œuvre de Jean de Vissec fut la constitution qu'il donna au Chapitre de Maguelone. Il mourut peu après, le 28 août 1334.

Il eut pour successeur Pictavin de Montesquiou. Celui-ci vécut en bons rapports avec le Chapitre de Maguelone, et, pendant les quelques années qu'il passa sur le siège de Maguelone, défendit de son mieux les droits de l'évêché soit contre l'abbé d'Aniane, soit contre les officiers du roi de France.

Le 27 janvier 1339, Benoît XII le transférait à l'évêché d'Albi (Vidal *Lettres communes de Benoît XII*, T. II, p. 129, n° 6 522). Le 15 mars 1339, ce même pape nommait Arnaud de Verdale évêque de Maguelone (Vidal *op. cit.* n° 6550, p. 232).

Ce volume comprendra donc les actes du 14 mars 1328 au 15 mars 1339.

Montpellier, 23 décembre 1924.

CARTULAIRE DE MAGUELONE

MDLXXVII. — 2 avril 1328

Philippe de Valois autorise l'évêque de Maguelone à faire hommage entre les mains du sénéchal de Beaucaire.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri vel ejus locum tenenti, salutem.

Cum nos, ex causa et de speciali gratia, dilecto nostro episcopo Magalonensi, tenore presentium, duximus concedendum ut fidelitatis juramentum, quod nobis prestare tenetur, et recognitionem de hiis que tenet a nobis, vobis faciat loco nostri, vobis committimus et mandamus quatenus a dicto episcopo dictum recipiatis juramentum absque contradictione quacumque. Quo recepto, illum non compellatis episcopum occasione dicti non prestiti juramenti.

Datum in abbatia Karoli loci, die secunda aprilis anno Domini M° CCC^{mo} XXVIII°.

(Reg. E, fol. 62 v°, et B, fol. 73 r° et 201 r°).

MDLXXVIII. — 25 avril 1328

Jean de Vissec nomme ses vicaires généraux.

Johannes, miseratione divina electus Magalonensis, confirmatus, venerabilibus viris dominis Raimundo de Canillaco Sancti Firmini, Guillelmo de Lauduno Sancti Petri de Montearbedone, Hugoni de Combreto de Piniano, Guillelmo Fulci de Tabulis, Bernardo de Texeriis Sancti Dyonisii de Montepessulano ecclesiarum prioribus, canonicis Magalonensibus, nobis in Christo karissimis, et eorum cuilibet salutem et sinceram in Domino karitatem.

Suscepti regiminis sollicitudo nos ex[c]itat et inducit, et quadam urgentis conscientie necessitate compellit, ut ad ea que nobis exercenda incumbunt, cum ea nequeamus per nos ipsos presentiali ministerio exercere, tales ad hujusmodi evocemus personas, quarum presentia et cura pervigili defectus, quos nostra prebere posset absentia, suppleantur, ne, nobis in remotis agentibus, Ecclesia ipsa, et clerus ac populus nobis commissus, in spiritualibus et temporalibus sustineant detrimenta.

Sane cum, justis ex causis, a nostris civitate et diocesi nos habeamus aliquandiu necessario absentare, de vestris et vestrum cujuslibet scientia, circumspectione, fide experta, legalitate plenam in Domino fiduciam obtinentes, vos et vestrum singulos in solidum nostros et episcopatus nostri, tam in spiritualibus tam temporalibus, usque ad nostre voluntati[s] beneplacitum, facimus et ordinamus, constituimus et creamus vicarios generales.

Vobis et vestrum singulis comitentes, mandamus ut possessionem et quasi episcopatus nostri predicti, necnon castrorum, villarum, locorum, possessionum, jurium, et jurisdictionum et omnium aliorum, ad nos et Ecclesiam nostram, occasione dicti episcopatus nostri, spectantium, intretis, adi-

piscatis et apprehendatis, teneatis et deffendatis nomine nostro et pro nobis:

Dantes insuper vobis plenam et liberam potestatem omnes causas tam spirituales quam temporales, ad nos et episcopatus nostri forum, tam per simplicem querelam quam per appellationem modo quolibet pertinentes, audiendi, cognoscendi, examinandi, diffiniendi, et excutioni per vos, alium seu alios debite demandandi:

Civitatem quoque et diocesim predictas, ac prelatos, clericos et laycos universos, nobis et episcopatui nostro subditos, tam in capite quam in membris, visitandi, inquirendi, corrigendi, puniendi, emendandi, reformandi, recuperandi, defendendi, petendi et exigendi:

Terras, possessiones, jurisdictiones et jura quecumque, aliaque bona universa et singula, ad nos et episcopatum nostrum spectantia quoquomodo, fructus, obventus, redditus, exitus et proventus recipiendi, vendendi, distra[h]endi, et ad firmam concedendi, et de receptis quitationem, absolutionem et pactum de non petendo faciendi:

Recognitiones a vassallis et emphiteotis nostris recipiendi, et fidelitatis juramenta, et alia ad que nobis tenentur exigendi.

In omnibusque casibus premissis et quibuscumque aliis et singulis occurrentibus, contra rebelles, contumaces et in comisso nobis officio parere nolentes censuram ecclesiasticam et temporalem etiam ratione previa exercendi, brachii secularis auxilium in casibus necessariis, si opus fuerit, implorandi;

Et demum cetera et singula dicendi, faciendi et explicandi que veri et legitimi generales vicarii facere possunt et debent, et ad officium generalium vicariorum noscuntur quomodolibet pertinere.

Ratum, gratum et firmum perpetuo, sub dicti episcopatus omnium obligatione bonorum, [nos habituros] promittimus quicquid per vestrum quemlibet, in premissis et premissorum quolibet, actum fuerit sive dictum;

Omnibus nobis subditis districte precipiendo mandantes,

ut in officio nobis comisso vestrum singulis efficaciter pareant et intendant.

Officialium autem nostrorum omnium creationem, translationem et destitutionem nobis ex causa specialiter reservamus.

In quorum omnium fidem et testimonium, presentes litteras fieri mandavimus, et sigilli nostri, quo pridem utebamur ut Magalonensis prepositus, cum, consecrationis nostre deffectu, careamus proprio, appencione muniri.

Datum et actum Avinione, vicesima quinta die aprilis, anno Domini M° III° vicesimo quinto.

(Reg. D. fol. 147 v°).

MDLXXIX. — 18 mai 1328

Guillaume Causit rend à l'évêque des domaines achetés à tort en franc alleu à Combaillaux.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Amen. Anno ejusdem Incarnationis millesimo trecentesimo vicesimo octavo, scilicet decima octava die mensis madii, illustrissimo principe domino Philippo Dei gratia Francorum rege regnante, noverint universi, quod cum Guillelmus Causiti, burgensis Montispessulani, emisset justo titulo in franco et absoluto alodio, ut dicebatur, a Guillelmo et Maurino de Combalholis fratribus, filiis quondam Bernardi de Combalholis dicti loci, certo pretio inter eos convento, totum quoddam nemus ipsorum fratrum in deveso, et cum jurisdictione quam ipsi fratres habebant in ibidem:

Necnon et cum jure recipiendi quadrantem de venationibus, de quibus dictus quadrans debet dari;

Et etiam cum terra in qua est dictum nemus, cum omnibus aliis suis juribus et pertinentiis:

Quod quidem nemus dicitur esse situatum in tenemento seu juridictione dicti castri de Combalholis, confrontatum ex una parte cum nemore de Valena, et ex alia parte cum nemore Fulconis de Combalholis, et ex alia parte cum garrigiis dicti castri de Combalholis, et ex parte altera cum bosco seu nemore domini Colini Bertrandi, burgensis Montispessulani;

De qua quidem emptione dixit constare per instrumentum publicum, inde receptum per magistrum Symonem de Tornaforti, notarium publicum Montispessulani, sub anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo quarto decimo, scilicet tertiodecimo kalendas decembris:

Ipseque Guillelmus Causiti intellexisset, ut dicebat, et gentes dicti domini Magalonensis episcopi assererent quod dictum nemus, cum suis [juribus] et pertinentiis, a domino Magalonensi episcopo et suis successoribus tenebatur, cum consilio, directo dominio et laudimio ejusdem;

Dictusque Guillelmus Causiti dubitaret sibi moveri et inferri questionem in dicto nemore per gentes dicti domini Magalonensis episcopi, ut dicebat;

Tandem dictus Guillelmus Causiti, bona fide et sine dolo et fraude, per se et omnes suos juris et facti successores, non deceptus, non coactus, nec in aliquo circumventus, sed sua bona et sana liberalitate motus, cessit, remisit, donavit et mandavit, et ex causa remissionis predicte nunc et in perpetuum desamparavit discreto viro domino Guillelmo de Thesio priori de Sussanicis, procuratori et nomine procuratorio, ut dicebat, reverendi in Christo patris domini Johannis, divina miseratione episcopi Magalonensis, et per ipsum et ejus ministerium dicto domino Magalonensi episcopo et suis successoribus universis episcopis dicte Magalonensis Ecclesie:

Videlicet omnia omnino jura, et actiones, petitiones, demandas, persecutiones reales, personales, civiles, naturales, pretorias, utiles et directas, et alias quascumque sibi et suis competentes et competentia in dicto nemore, et que et quas habet in dicto nemore, et in et contra quascumque personas et res comtemplatione seu occasione nemoris antedicti, cum

omnibus suis juribus et pertinenciis supradictis; et verum dominum et procuratorum atque justum possessorem inde ipsum dominum Guillelmum, nomine quo supra, et per ipsum et ejus ministerium dictum dominum Magalonensem episcopum et suos successores, episcopos dicte Magalonensis Ecclesie, fecit atque constituit ut in rem suam propriam, prout melius et utilius dici potest et poterit intelligi et dictari, ad majus comodum et utilitatem ipsius domini episcopi et suorum successorum, nulla possessione naturali sive civili penes ipsum et suos aliquathenus remanente:

Et de predictis juribus et actionibus se et suos plenarie disvestiens, ipsum dominum Guillelmum, nomine quo supra, et per ipsum et ejus ministerium, dictum dominum Magalonensem episcopum, et suos successores plenarie investivit.

Pro hac autem cessione, datione, remissione et ex causa remissionis predicte, dictus Guillelmus Causiti confessus fuit et in veritate recognovit se habuisse et numerando realiter recepisse in pecunia numerata a dicto domino Guillelmo de Thesio, solvente nomine procuratorio dicti domini Magalonensis episcopi, centum et decem libras turonensium parvorum, in quibus renunciavit exceptioni dicte pecunie non numerate, non habite, non recepte, et per ipsum dominum Guillelmum, nomine quo supra, sibi non solute ex causa predicta.

Quod quidem nemus superius designatum et confrontatum cum omnibus juribus et pertinentiis suis, idem Guillelmus Causiti constituit se tenere et possidere, nomine dicti domini Magalonensis episcopi et suorum successorum, seu quasi, quousque ipsius nemoris possessionem apprehenderit corporalem: quam apprehendendi seu adhipiscendi, seu quasi, sua propria auctoritate, nomine quo supra, quandocumque voluerit; et ipsam possessionem, seu quasi, adeptam sive nactam retinendi, eidem procuratori dedit et concessit plenam et liberam potestatem et auctoritatem.

In signum vero dictarum remissionis et corporalis possessionis, et cessionis et disvestionis ipsius tradidit manualiter dicto domino Guillelmo, nomine procuratorio quo supra,

quoddam instrumentum supra designatum, ad dictum nemus pertinens, continens emptionem de qua superius mentio habetur.

Et pro predictis omnibus et singulis supradictis sic servandis, tenendis, attendendis et complendis, et pro omni quacumque evictione, si in predictis fieri contigerit in totum vel in partem, obligavit dictus Guillelmus Causiti se et omnia bona sua presentia et futura;

Renuncians inde super hiis juris et facti ignorantie, doli, fraudi[s] exceptioni, actioni in factum quod per vim et metus causa, et ob causam et injustam causam factum est, beneficio etatis et restitutionis in integrum; incipienti *si qua justa causa michi esse videbitur, et in integrum restituam*; conditioni in debitis, et sine causa, et causa data non secuta, et omnibus aliis juribus, beneficiis atque privilegiis per que minoribus subvenitur; et omni alii juri canonico vel civili, usui, rationi atque consuetudini, beneficio statuto atque privilegio indulto vel indulgendo, quo vel quibus minoribus subvenitur, et contra predicta venire posset seu in aliquo jure se juvare.

Predicta omnia vera esse asseruit idem Guillelmus Causiti, et ita tenere, servare, attendere, complere et contra ea seu aliquid ex eis nunquam venire, de facto seu de jure, per se vel per alium, promisit dicto domino Guillelmo de Thesio, nomine procuratorio quo supra, ibidem presenti, stipulanti et recipienti per ipsum et ejus ministerium dicto domino Magalonensi episcopo et suis successoribus universis; et juravit super sancta quatuor Dei evangelia ab ipso corporaliter sponte tacta.

Sub quo juramento asseruit et promisit idem Guillelmus Causiti se nichil dixisse vel fecisse in preteritum, dicere vel facere in futurum, quominus omnia et singula supradicta, sint et remaneant semper firma.

De quibus fui requisitus ego, Petrus de Brolio, notarius infrascriptus, facere publicum instrumentum.

Acta fuerunt hec in Montepessulano in hospicio vocato canonica Sancti Firmini, in presentia et testimonio nobilis viri

domini Guarini de Cassilhiaco clerici, et religiosorum virorum dominorum Guillelmi Fulci de Castronovo, Bernardi de Texeriis Sancti Dyonisii ecclesiarum prioribus, Petri de Coliaco sacriste Sancti Firmini de Montepessulano canonicorum Magalonensium, et mei Petri de Brolio, publici regia auctoritate notarii constituti, qui requisitus hec omnia in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. E, fol. 283 r°).

MDLXXX. — 26 mai 1328

Le procureur de l'évêque approuve l'ouverture d'une porte dans les murs de Durfort.

Anno Domini millesimo CCC° vicesimo octavo, et vicesima sexta die mensis maii, domino Philippo rege Francorum regnante, et domino Johanne, Dei gratia Magalonensi episcopo dominoque Salvii presidente, noverint universi et singuli quod dominus Guillelmus de Thesio, prior de Sussanicis procurator generalis dicti domini episcopi, et pro ipso et curia sua Salvii, et quod (=pro?) suo officio laudavit, confirmavit et ratificavit Petro Laurentii castri de Duroforti, presenti, stipulanti et recipienti, et suis, quandam januam sive portam, factam in muro de Duroforti, per quam intratur in quadam domo ipsius Petri:

Et quam domum idem Petrus emerat a Guillelmo de Manso dicti castri pretio octo librarum turonensium, prout in instrumento, inde confecto manu magistri Stephani de Pradis, notarii publici de Salvio, plenius continebatur.

Salvo tamen et retento in dicta porta seu janua, facta in dicto muro, dicto domino episcopo et suis successoribus, et dicte curie Salvii, dominio suo directo, laudimio, prelatione

et avantagio, et de censu uno denario turonensi annuatim, solvendo in festo beati Michaelis.

Et pro laudimio et confirmatione confessus fuit idem Guillelmus se, nomine quo supra, a dicto Petro habuisse et integraliter recepisse quatuor solidos turonenses, in quibus omni exceptioni non habitorum et non receptorum, et laudimii non soluti renunciavit.

Acta fuerunt hec Salvii in domo domini episcopi, et fuerunt testes presentes magister Guillelmus de Rovoyranicis notarius, Guillelmus Robaudi clericus, Guillelmus Berengarii et ego Petrus Auricule, notarius publicus regius Salvii, qui predicta in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. A, fol. 131 v°).

MDLXXXI. — 8 juin 1328

Le prieur de Saint-Firmin autorise la fondation de la chapelle de la Madeleine.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Amen. Anno ejusdem Incarnationis M^{e} III^{c} vicesimo octavo, scilicet octava die mensis junii illustrissimo principe domino Philippo, Dei gratia Francie rege regnante, noverint universi presentes pariter et futuri, hoc presens autenticum instrumentum inspecturi, quod Petrus Causiti, burgensis Montispessulani, senior, veniens ac existens in presentia venerabilis ac religiosi viri domini Raimundi de Canilhaco, canonici in Ecclesia Magalonensi priorisque ecclesie Sancti Firmini de Montepessulano dicte diocesis;

Prefatus Petrus Causiti eidem domino priori Sancti Firmini humiliter et devote significavit, dixit et exposuit quod ipse idem Petrus, prope Sanctum Bartholomeum extra muros communis clausure Montispessulani, juxta quoddam hospi-

tale suum, situm in suburbiis Montispessulani, et in parrochia dicti domini prioris Sancti Firmini vult fundare et edificare ac erigi facere, seu destinaverat fieri quoddam oratorium sive cappellaniam cum duabus campanis.

In quadam (=qua quidem) capella volebat facere erigi et edificare inter alia unum altare ad honorem Dei et Beate Marie Virginis ejus Genitricis, et Omnium Sanctorum et Sanctarum paradisi, et totius curie celestis, et specialiter ad honorem beate Marie Magdalene.

Item dixit et proposuit idem Petrus Causiti, dominus dicti hospitalis, coram prefato domino priore, ac eidem significavit idem Petrus Causiti quod ipse vult et ibidem in dicto oratorio quamdam capellaniam facere et assignare, et ibi unum sacerdotem per imperpetuum instituere et ordinare, ceterosque redditus dare et assignare ipsi capellano et successoribus suis in dicta capellania, tam in redditibus quam possessionibus, in franco, libero et absoluto allodio situatis, ex quibus dictus sacerdos et successores ipsius in dicta capellania possent se et suam perpetuam ac congruam habere sustentationem.

Et quod ipse capellanus et successores in dicta capellania nunc et in perpetuum habeat celebrare pro animabus sua et parentum suorum, et benefactorum suorum, et celebret, et Deum rogare dignetur et deprecare pro ipso, et omnibus parentibus, et benefactoribus suis vivis et defunctis, et pro animabus aliorum omnium fidelium defunctorum.

Cujus quidem sacerdotis, impositi et imponendi in futurum, institutionem sibi et successoribus suis futuris retinebat, et volebat retinere, et salvam esse volebat ab inde in antea, ut est dictum, quotienscumque institutio locum habere videretur in quocumque capellano dicte capellanie, ut superius est expressum.

Quare cum predicta fieri nequeant sine voluntate ac assensu expresso dicti domini prioris Sancti Firmini, idcirco idem Petrus Causiti supplicavit prefato priori Sancti Firmini, et eundem, instantia quanta potuit, humiliter et devote requisivit quatenus huic tam pio, devoto ac honesto operi in

Dei servitio, et gloriose Virginis ejus Genitricis, et totius curie superioris, et specialiter beate Marie Magdalene dedicato et dedicando, et tam pie sue voluntati, suum, si sibi placeret, prestaret consensum benevolum et benignum, consilium et assensum, salvo tamen ipsi domino priori Sancti Firmini et ejus successoribus imperpetuum, in omnibus et per omnia, jure quocumque parrochiali ecclesie Sancti Firmini prelibate.

Petens insuper idem Petrus Causiti et requirens instantia quanta potest, dictum dominum priorem Sancti Firmini sibi dari licentiam in dicta cappellania faciendi et edificandi quandam aliam cappellaniam simplicem, in quodam alio altari seu oratorio, preter quam superius est perfactum, prout sibi videretur faciendum.

Petens etiam et requirens sibi dari licenciam habendi et tenendi unum lectum in dicto hospitali, cum quo deportentur funera ibidem defunctorum ad cimiterium Sancti Bartholomei sine custu.

Qui sepe dictus dominus Raimundus de Canilhanico, prior dicte ecclesie Sancti Firmini, audita et intellecta supplicatione, cum pia devotione et petitione dicti Petri Causiti, habitaque super predictis et dependentibus ex eis diligenti ac matura deliberatione, et suo consilio ac tractatu, predicta petita, requisita et supplicata eidem Petro Causiti, domino dicti hospitalis, consessit per modum infrascriptum.

In primis voluit, ordinavit et consessit idem dominus prior Sancti Firmini, pro se et omnibus successoribus suis, prioribus dicte Sancti Firmini ecclesie, ipsi Petro Causiti domino dicti hospitalis, quod est juxta Montempessulanum prope Sancti Bartholomei ecclesiam, stipulanti et recipienti pro se et successoribus et heredibus suis, et ad utilitatem ejusdem hospitalis, et fratrum suorum, ac donatorum dicti hospitalis, qui pro tempore fuerunt, ut possint ibi devotius habitare, quod edificet et habeat perpetuo in dicto loco dictam cappellaniam seu oratorium prope dictum hospitale, et quod in ipsa cappella habeat unum altare ad honorem Dei et beate Marie Magdalene.

Item voluit et consessit sepe dictus dominus prior Sancti Firmini, pro se et omnibus successoribus suis, qúod in dicta capella sint et esse possint due campane tantum modo, ita tamen quod illas pulsare teneatur sacerdos, per dictum Petrum Causiti, et ejus successores sive heredes quoscumque instituendus, secundum modum quo pulsari consueverunt in aliis capellis ecclesie Sancti Firmini Montispessulani, et aliter non.

Item voluit et consessit quod in dicta capella sit et esse debeat unus sacerdos principaliter ad celebrandum ibi divina officia: qui quidem principalis capellanus, ibidem in propria capella per imperpetuum instituendus, primo presentetur ipsi domino priori Sancti Firmini seu suis successoribus, prioribus dicte ecclesie Sancti Firmini; et quod, in sua primeva institutione, ipse capellanus, ibidem institutus seu in futurum instituendus, presentandus per dictum Petrum Causiti, et ejus successores sive heredes, et recipiendus per dictum dominum priorem ad presentationem dicti Petri et successorum suorum juret ad sancta Dei quatuor evangelia, in manibus ipsius domini prioris qui nunc est, et qui pro tempore fuerit, et jurare debeat ipsi domino priori et suis successoribus: quo juramento prestito, dictus dominus prior Sancti Firmini ipsum capellanum recipere habeat et sibi dictam capellam confirmare.

Item voluit et ordinavit idem dominus prior Sancti Firmini, ymo expresse inhibuit quod dictus capellanus, in dicta capella seu oratorio instituendus, non possit nec audeat confessionem seu confessiones personarum audire, nec sacram Eucaristiam ministrare, nec matrimonium copulare, nec aliqua alia sacramenta ibidem conferre, nisi de exprossa voluntate et licentia ipsius domini prioris seu suorum successorum sibi datis, seu a gentibus suis seu successorum suorum datis, dandis sive consedendis.

Item voluit, ordinavit et expresse retinuit sepedictus dominus prior Sancti Firmini, pro se et successoribus suis, quod prenominatus Petrus Causiti, dominus dicti hospitalis, seu ipse capellanus in ipsa capella seu oratorio institutus seu

instituendus in futurum, et successores ejus in dicta capella, seu quicumque alius cujuscumque status seu conditionis sit seu existat, non possit, non debeat impetrare privilegium seu privilegia, rescriptum seu rescripta, pro dicta capella seu capellania, a domino nostro Summo Pontifice seu a Sede Apostolica ejusdem, seu aliquo alio, in prejudicium jurium dicte parrochialis ecclesie Sancti Firmini, nec aliquibus impetratis seu impetrandis ut (= in) contrarium seu contraria retentionibus, conditionibus, inhibitionibus et ordinationibus supra dictis et infra dicendis, per ipsum priorem Sancti Firmini dictis et retentis, diceadis et retinendis.

Item voluit, ordinavit et expresse retinuit idem dominus prior Sancti Firmini, per se et suos successore[s] Sancti Firmini prioribus, quod dictus capellanus debeat et teneatur interesse indutus per imperpetuum, sicud et alii sacerdotes ecclesie Sancti Firmini, in possessionibus (= processionibus) que fient quolibet anno in ipsa ecclesia Sancti Firmini et circa ipsam ecclesiam, scilicet in festo sancti Firmini et dedicationis ejusdem ecclesie, et in festo Sanctissime Eucharistie, et Ramis Palmarum duntaxat.

Item voluit, ordinavit et retinuit expresse sepe dictus prior Sancti Firmini, pro se et successoribus suis prioribus dicte ecclesie, quod ipse capellanus, in ipsa capellania institutus seu instituendus, et ejus successores in dicta capellania debeant et teneantur jurare, demandare et publicare sententias latas quascumque, ac observare emanatas seu emanandas a domino episcopo Magalonensi seu ipso domino priore Sancti Firmini, seu eorum curiis seu curialibus, sicuti et alie capelle et capellani faciunt Sancti Firmini.

Item voluit idem dominus prior Sancti Firmini pro se et successoribus suis prioribus dicte ecclesie, ac expresse retinuit quod locus dicte capelle nullo modo valeat permutari a loco in quo est, nec alienari per dictum Petrum Causiti vel successores suos sine licentia, consilio et assensu ipsius domini prioris Sancti Firmini et suorum successorum.

Item voluit idem dominus prior ac expresse retinuit pro se et successoribus suis, quod tam per se quam per alios

possit in dicta capella ibidem predicare et celebrare divina, quandocumque et quocienscumque sibi placuerit.

Item voluit et expresse retinuit idem dominus prior Sancti Firmini, pro se et successoribus suis, quod de omnibus possessionibus dicte capelle et hospitalis predicti habitis et habendis, et de nutrimentis animalium, et de orto vel ortis seu ortaliciis, ipse dominus prior Sancti Firmini et sui successores habeant et habere debeant decimas et primitias integre, sive suis manibus et sumptibus excolant, sive non; et hoc, prout est consuetum dare decimas in Montepessulano de hospitalibus et capellis hospitalium, sive eorum ortis, et possessionibus, et nutrimentis animalium et ortaliciis quibuscumque.

Item voluit, et ordinavit et expresse retinuit idem dominus prior, pro se et successoribus suis, quod, in signum subjectionis, et petitionis et superioritatis, necnon et nomine et ex causa obligationum, vigiliarum, panis, vini, cere, pannorum, ac peccuniarum seu peccunie, seu aliarum rerum quarumcumque, in dicta capella pia devotione adductarum, adducendarum, vel adportatarum sive adportandarum in futurum quandocumque, idem capellanus, ibidem institutus seu instituendus, debeat et teneatur imperpetuum dare et solvere duntaxat ipsi domino priori Sancti Firmini et suis successoribus universis, prioribus dicte ecclesie Sancti Firmini, unum florenum auri, solvendum quolibet anno ipsi domino priori et suis successoribus in festo sancti Firmini.

Item voluit et consessit idem dominus prior Sancti Firmini, pro se et successoribus suis prioribus dicte ecclesie, quod in dicta capella possit edificari, erigi, fieri ac destinari quedam alia capellania simplex et altare, prout eidem Petro Causiti melius et utilius ad honorem Dei et Beate Marie Virginis ejus Genitricis et totius celestis curie videbitur faciendum, ita quod plures sacerdotes, seu altaria ac capellanie quam duo vel due predicte in ipsa capella nequeant ibidem nec debeant interesse: et quod, per ipsum, capellanum in alia capellania sive altari ipse Petrus Causiti seu sui ipsi domino priori seu suis successoribus non teneatur presenta-

re, sed quod ipse Petrus Causiti et sui successores possint ibidem ipsum secundum capellanum instituere et destituere pro libito voluntatis.

Item voluit et concessit idem dominus prior Sancti Firmini, pro se et successoribus suis prioribus dicte ecclesie Sancti Firmini, dicto Petro Causiti, domino dicti hospitalis, ibidem presenti, quod in dicto hospitali suo, superius designato et nominato, sit et esse debeat unus lectus tantum, cum quo deportentur corpora defunctorum ibidem ad ecclesiasticam sepulturam, videlicet ad cimiterium Sancti Bartholomei, que funera ibidem habeant sepeliri et non alibi: et pro ipso lecto nichil ipse dominus prior nec sui successores habeant de lecto nec in bonis sepulturi vel sepeliendorum, nisi in facultatibus quinque solidorum turonensium sepeliendus mortuus habundaret: et in eo casu debet habere lectum ab ecclesia Sancti Firmini, quo excedet facultatem dictorum quinque solidorum.

Et salvis sibi omnibus et singulis supradictis, ordinatis et retentis, necnon et juribus parrochialibus dicte ecclesie Sancti Firmini, idem dominus prior Sancti Firmini auctoritatem, et licentiam et potestatem dedit et concessit dicto Petro, ibidem petenti pro se et successoribus suis, prefatam capellam, necnon et dictam capellaniam simplicem, et altaria predicta faciendi, edificandi et erigi faciendi, et ibidem capellanos instituendi, et capellanias conferendi cum conditionibus, modis, formis et retentionibus supradictis.

Quam quidem gratiam, licentiam, concessionem et auctoritatem modis, formis, conditionibus, et retentionibus et conventionibus predictis, idem dominus Petrus Causiti, dominus dicti hospitalis, recipiens et acceptans promisit dicto domino priori, stipulanti et recipienti pro dicta ecclesia Sancti Firmini et successoribus suis, pro dicta capella principali et majori, ibidem pro tempore instituenda, dare et assignare per imperpetuum ipsi capellano principali et majori dicte capelle duodecim libras turonenses renduales et in franco, libero et absoluto allodio, pro celebrando cultu divi-

no, et ad faciendum omnes voluntates de dicto redditu in vita sua, quamdiu ibidem celebraverit, et ydoneus repertus fuerit et devotus.

Quam assignationem dictarum duodecim librarum turonensium rendualium promisit dictus Petrus Causiti, dominus dicti hospitalis, facere et assignare ipsi capellano per imperpetuum de die in diem, et quam citius inveniet redditus in franco, libero et absoluto alodio, seu possessiones in franco, libero et absoluto alodio emere ad opus dicti capellani, que communi extimatione valeant et possint valere duodecim libras turonenses, et, pro ipsa assignatione facta, sit liberatus ab assignatione dictarum duodecim librarum turonensium, per imperpetuum ipsi capellano majori dicte capelle facienda: ita quod ipse nec ejus heredes, seu ejus bona, in aliquo ab inde in antea, pro dictis duodecim libris turonensibus sint astricti seu etiam obligati: sed duntaxat sint obligati possessiones seu reddilus que erunt empte seu empti pro dictis duodecim libris turonensibus.

De quibus omnibus dictus dominus prior Sancti Firmini, si sibi necesse fuerit, et dictus Petrus Causiti, pro se et successoribus suis, petierunt sibi fieri unum vel plura publica instrumenta.

Acta sunt hec omnia in Montepessulano, in hospicio vocato canonica Sancti Firmini, presentibus testibus ad hoc specialiter vocatis et rogatis, venerabilibus et discretis viris dominis Bernardo *Sabors*, legum doctore, Salvatore Guillelmi, Petro Boniamici, Johanne Garnerii draperiis, Petro Columberii, Johanne Grossi, Guillelmo Causiti burgensi, domino Bertrando Beraudi canonico Magalonensi, Johanne de Felinis priore Sancte Anne, Raimundo Regordi jurisperito, et pluribus aliis, ac me Petro de Brolio, publico regia auctoritate notario, qui requisitus hec omnia in notam recepi.

Post hec, anno Dominice Incarnationis M° III° vicesimo nono, scilicet quinta decima die mensis maii, illustrissimo principe domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnan-

te, noverint universi quod nos Bernardus de Texeriis, canonicus Magalonensis, prior prioratus Sancti Dionisii de Montepessulano, vicarius generalis in spiritualibus et temporalibus reverendi in Christo patris domini Johannis, Dei gratia Magalonensis episcopi, in remotis agentis, prout de nostra potestate constat per quasdam patentes litteras, in pergameno scriptas, sigillo domini episcopi Magalonensis sigillatas impendenti, ut prima facie apparebat: quarum tenor talis est:

Johannes, miseratione divina, electus Magalonensis *etc.; ut supra, p. 8 de ce tome.*

Certificatus et ad plenum instructus de quadam licentia, gratia, seu concessione et auctoritate, facta et data vobis, Petro Causiti, burgensi Montispessulani, vice, et nomine ac ratione dicte capellanie, per venerabilem et religiosum virum dominum Raimundum de Canilhaco, priorem prioratus Sancti Firmini de Montepessulano, necnon et de auctoritate et arrendatione dicte capellanie per vos facta in eadem seu ratione dicte capellanie, necnon et de omnibus et singulis supra contentis in dicta concessione, et de omnibus et singulis retentis et expressatis per dictum dominum priorem, prout supra continetur in hoc presenti instrumento, ipsis omnibus prius per nos visis singulariter et sigillatim, ac etiam intellectis.

Idcirco nos dictus vicarius generalis, presentibus ibidem magistro Guillelmo Clari et Poncio Berengarii jurisperitis, procuratoribus dicti domini episcopi, et ad hec infrascripta concentientibus et auctorisantibus, quod nos dicti Guillelmus Clari et Poncius Berengarii in omnibus quibus supra fatemur fore verum, predictam concessionem, gratiam, licentiam et auctoritatem, et omnia et singula inde subsecuta, ut superius continetur, salvis conditionibus et retentionibus infra contentis et expressatis, vobis, dicto Petro Causiti, ibidem presenti, stipulanti et recipienti pro vobis et successoribus vestris, patronis dicte capellanie, laudamus et concedimus, consiliamus et confirmamus, ut superius continetur, [nomi-

ne] domini episcopi memorati, salvis tamen conditionibus, modis, et formis et retentionibus que secuntur:

In primis retinemus et excipimus quod vos Petrus Causiti nec vestri, per imperpetuum, possint jus patronatus dicte capellanie in aliquas personas privatas seu religiosas, nec in aliqua seu aliquibus ecclesiis religiosorum transferre. Ecclesie Magalonensi et personis Ecclesie Magalonensi regularibus, ut est dictum, possint, si voluerint, jus patronatus dicte capellanie dare et transferre.

Item excipimus et retinemus, per imperpetuum, quolibet anno semel, in signum superioritatis et subjectionis, eidem domino episcopo super dicta cappellania, sex denarios turonenses, solvendos eidem domino episcopo et suis successoribus in Montepessulano, quolibet anno, in festo Natalis Domini, per capellanum qui nunc est dicte cappellanie, et successorem seu successores suos perpetuos dicte capelle, si eidem capellano per dictum dominum episcopum seu ejus gentes petantur.

Quam quidem laudationem, concessionem et confirmationem, ego dictus Petrus Causiti recipiens et acceptans modis et retentionibus predictis, necnon et dictis sex denariis turonensibus per vos retentis in dicto festo Natalis Domini, in signum subjectionis et superioritatis, de predictis omnibus vobis, dicto domino vicario, grates seu gratias refero copiosas.

De quibus omnibus, dictus dominus vicarius et dictus Petrus Causiti voluit sibi fieri publicum instrumentum.

Acta sunt hec in Montepessulano, in aula episcopali, presentibus testibus ad [hoc] specialiter vocatis et rogatis, venerabilibus viris dominis Bertrando de Montelauro priore (*blanc 3 cent.*), Guillelmo de Abrinhaco, Johanne Tome, Bartholomeo Raube notario, Bernardo Azemarii, Saturnino de Oliveto notario, Serinhaco Gaucelmi domicello de Florensaco, et pluribus aliis, ac me Petro de Brolio notario re-

gio antedicto, qui, requisitus per dictas partes, hec omnia in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. D. fol. 145 v°).

MDLXXXII. — 28 juin 1328

Le sénéchal de Beaucaire ordonne d'ouvrir un grau à travers la plage, réservant les droits de l'évêque.

Anno Domini millesimo CCC° vicesimo octavo, et die decima octava junii, domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, noverint universi quod, cum nuper nobilis et potens vir dominus Hugo Quereti miles, senescallus Bellicadri et Nemausi, diceretur mandasse aperire quendam gradum in plagia maris, versus partes Aquarum Mortuarum, in loco vocato Pauca bona sive Cauquilhosa, que dicitur infra terram et juridictionem domini episcopi Magalonensis, comitis Melgorii, pro agotatione quarumdam aquarum pro utilitate rei publice, et specialiter locorum de Marcilhanicis, Armacanicis et aliorum loquorum circumvicinorum:

Et super hoc gentes dicti domini Magalonensis episcopi conquerendo venissent contra, nobili viro domino Bernardo de Languyssello milite, locum tenenti dicti domini senescalli, asserendo predicta fieri in prejudicium jurisdictionis dicti domini Magalonensis episcopi et privilegiorum suorum:

Dictus dominus locum tenens, habito consilio et tractatu cum venerabili viro domino Johanne de Pedo, domini regis clerico, judice majori dicte senescallie, venerabilibus viris Johanne Boni vise advocato regio, et Raimundo Saynerii procuratore regio in senescallia Bellicadri et Nemausi, jurisperito, presentibus et ad infascripta consentientibus, jure regio in omnibus semper salvo, dixit, voluit et ordinavit quod predicta fiant absque prejudicio aliquo juris et juris-

dictionis piscantium et aliorum jurium et emolumentorum et obventuum dicti domini Magalonensis episcopi et privilegiorum suorum, si que habet.

Quin ymo, si quod dampnum, occasione premissorum, dictus dominus episcopus incurreret, obtulit dominus locum tenens se paratum compellere debite illos, quos contingeret occasione premissorum, comodum reportare, ad ressarciendum predictum dampnum domino episcopo antedicto.

De quibus venerabilis vir dominus Bernardus de Texeriis, vicarius generalis ac etiam procurator dicti domini episcopi, petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Acta fuerunt hec Nemausi, in pradello aule regie, testibus presentibus dominis Thoma de Santayranicis, Bernardo Saporis legum doctoribus, Raymundo Saynerii, Johanne Boni jurisperitis, magistris Rostagno Peyrerie, Raimundo Bonihominis, Guillelmo Veygerii notariis regiis, et pluribus aliis, et magistro Guillelmo Lunesii, notario regio dicti domini regis, qui predictis omnibus presens interfuit et predicta in notam recepit.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. C, fol. 192 v°).

MDLXXXIII. — 1 juillet 1328

Le sénéchal de Beaucaire ordonne de lever des hommes dans la baylie de Sauve pour le service du roi.

Anno Domini millesimo III^c^ XXVIII, et prima die mensis julii, domino Philippo rege Francorum regnante, et domino Johanne, Dei gratia episcopo Magalonensi dominoque Salvii presidente, noverint universi quod nobilis vir Bertrandus de Rocaduno domicellus, bajulus Salviensis pro dicto domino episcopo, receptis quibusdam patentibus litteris, sibi missis per dominum vicarium Sumidrii seu ejus locum tenentem,

in quibus erant inserte littere domini senescalli Bellicadri: quarum litterarum tenor talis est:

Guillelmus de Trulhario notarius, locum tenens nobilis Philippi de Maleduno domicelli, domini castri de Ripa alta, castellani et vicarii Sumidrii, universis et singulis justiciariis vicarie Sumidrii et ressorti, et eorum alteri, vel eorum loca tenentibus, salutem.

Patentes litteras infrascriptas nos recepisse noveritis sub hiis verbis:

Bernardus de Languysello miles, Albasii dominus, locum tenens domini senescalli Bellicadri et Nemausi, omnibus et singulis justiciariis dicte senescallie, ad quos iste littere pervenerint, vel eorum loca tenentibus, salutem.

Litteras dicti domini senescalli recepimus in formam que sequitur:

Hugo Quiereti, miles domini nostri regis Francorum, ejusque senescallus Bellicadri et Nemausi, nobili viro domino Bernardo de Languycello militi, locum nostrum tenentem, salutem et dilectionem.

Obtentu mandati regii nobis horetenus nuper facti, vobis precipimus et mandamus quatenus, per loca dicte senescallie sollempnia et inscripta, in quibus similia sunt alias fieri consueta, publice, morosa dilatione postposita, voce preconia faciatis proclamare, et personis nichilominus singularibus, de quibus expediens videritis, per litteras ac competenter alias intimare procuretis, quod quicumque equorum armorum servicium domino regi in suis exer[ci]tibus et suorum exercessuum (=exercituum) ratione facere sunt astricti equis et armis, juxta sui servicii debitum se taliter studeant preparare, quod, certa die mensis hujus apud Nemausum, competenter munitos eos valeamus personaliter invenire, parati in Flandrensem exercitum, ubi dominus rex proponit, concedente Domino, in instanti festo beate Marie Magdalene interesse, sui servicii debitum, juxta statum et conditionem

cujuslibet, fideliter exhibere mostram equorum hujusmodi armorum, ut moris est et alias consuetum.

Interim sollempniter fieri facientes taliter circa hec diligentiam habituri, quod perinde debeatis et merito comendari, quodque qui predicta facere tenentur servicia se de ignorantia nequeant excusare modo predicto;

Facientes nichilominus proclamare, quod quicumque dicte senescallie XL dierum servicium facere tenentur domino regi in exercitibus ejusdem, de dicto prestando servitio fuerint requisiti, mostram propter hoc aptiorem de armaturis fieri facientes.

Datum Parisius die VIII [mensis] junii, anno Domini M° III^{c} XXVIII.

Reddite [litteras sigillatas].

Auctoritate quarum litterarum vobis mandamus et vestrum singulis, quatenus omnia et singula contenta in dictis litteris facientes et exequentes diligenter quilibet vestrum, illos tamen qui equorum armorum hujusmodi predictum servitium tenentur facere, precipientes ex parte regia et nostra, quod die lune proxima a post festum sancti Johannis Baptiste, apud Nemausum coram nobis personaliter intersint cum equis et armis predictis, et mostram de ipsis facere preparati domino senescallo seu nobis;

Quantum vero ad mostram et munitionem faciendam ceteris gentibus et subditis dicte senescallie, qui XL dierum servicium domino regi facere tenentur, ut premittitur, de se muniendis et mostram faciendis, ut premittitur, faciatis fieri preconizationes et predicta omnia in locis vobis immediate subjectis;

Et in aliis requiratis dominos, sub quorum jurisdictionibus gentes predicte fuerint, quod preconizationes, injunctiones, mostras et alia predicta fieri more consueto faciant; et vos etiam ipsorum dominorum suppleatis negligentiam vel deffectum.

Datum Nemausi decima nona junii, anno Domini millesimo III^{c} vicesimo octavo.

Reddite l[itteras] sig[illatas].

Quarum auctoritate litterarum vobis et singulis vestrum precipiendo mandamus, quatenus omnia et singula, in dictis litteris contenta, faciatis, compleatis et exequamini diligenter, prout ad quemlibet vestrum noveritis pertinere, indilate juxta ipsorum continentiam et tenorem.

Reddite l[itteras] s[igillatas]

Prefatus dominus bajulus accessit personaliter per loca baylivie Salvii, pro recipienda mostra armorum, de qua fit mentio in dictis litteris.

Et primo vigore dictarum litterarum accessit personaliter ad bayliviam de Duroforti dicti domini episcopi Magalonensis.

Et congregatis ac convocatis hominibus et personis dicte baylivie de Duroforti, in dicto loco de Duroforti, coram dicto domino bajulo pro dicta mostra facienda, prout extitit fieri consuetum, prefati, inquam, homines dicte baylivie de Duroforti, perlectis eis et explanatis dictis litteris, fecerunt, more solito, coram dicto domino bajulo Salvii, mostram armorum eis impositorum:

Quorum hominum et personarum nomina et genera armorum, idem dominus bajulus conscribi et registrari fecit in quodam registro per me notarium infrascriptum; et deinde, scriptis dictis nominibus armorum, et facta per dictos homines mostra armorum coram dicto bajulo, more solito, et per ipsum dominum bajulum recepta, prefatus dominus bajulus, vigore dictarum litterarum, precepit et injunxit dictis hominibus dicte baylivie de Duroforti, dictam mostram armorum coram eo, ut premittitur, facientibus, quod illa arma, que indigebant reparatione, reparent de die in diem bene et sufficienter; et quod de dictis armis se muniant, et quod stent parati et muniti sufficienter cum dictis armis pro eundo et faciendo servitium, per eos debitum domino nostro regi, si et quando fuerint mandati, sub pena corporis et averi, et

alia faciant que in dictis litteris continentur juxta formam et tenorem litterarum supradictarum.

De quibus idem dominus bajulus petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Actum in dicto loco de Duroforti, et fuerunt testes presentes Guillelmus Berengarii, G. Pauleti de Duroforti, et magister Johannes de Deo, publicus Salviensis prefati domini episcopi Magalonensis et sue curie notarius, qui de predictis, per dictum dominum bajulum requisitus, predicta scripsit publice et notavit.

De cujus nota non cancellata *etc.*

(Reg. F, fol. 271 r°).

MDLXXXIV. — 15 juillet 1328

Bertrand Colin cède à l'évêque les domaines acquis à tort en franc-alleu à Combaillaux.

In Dei nomine. Amen. Anno ejusdem salutifere Incarnationis millesimo trecentesimo vicesimo octavo, die scilicet quintadecima mensis julii, domino Philippo rege Francorum, ego Colinus Bertrandi, burgensis Montispessulani, sciens me olim emisse a Guillelmo et Fulcone de Combalholis, domicellis quondam, condominis castri de Combalholis parrochie ecclesie Sancti Juliani de Grabellis, comitatus Melgorii et Montisferrandi, jurisdictionem quam dicti Guillelmus et Fulco de Combalholis quondam dicebant et asserebant se habere in dicto castro de Combalholis, et in ejus territorio et districtu, et etiam furnum et jus furnatifficandi, que dicti Guillelmus et Fulco quondam habebant in castro de Combalholis predicto;

Necnon etiam et turrim ac fortalicia ejusdem castri, cum instrumento, inde sumpto per manum magistri Petri Ysarni quondam, notarii regii, sub anno Dominice Incarnationis M°

trecentesimo decimo nono, et vicesima quarta die mensis madii:

Sciens etiam me olim emisse a dicto Fulcone de Combalholis quondam, quamdam peciam nemoris cum terra in qua est, situati infra jurisdictionem ejusdem castri: et confrontatur ex una parte cum nemore de Valena, et ex alia cum honore Guillelmi Causiti quondam, burgensis Montispessulani: et ex alia parte cum patuis universitatis hominum dicti castri de Combalholis, et ex alia parte cum honore Raimundi Bosqui, prout de dicta emptione constat per publicum instrumentum, inde sumptum manu dicti magistri Petri Ysarni quondam, notarii publici, sub anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo decimo nono et sexta decima die mensis madii;

Sciens etiam me olim emisse a dicto quondam Guillelmo de Combalholis omnia ocheria seu pensiones octave partis fructuum, que dictus quondam Guillelmus habebat in toto territorio castri predicti de Combalholis, jurisdictione seu districtu, prout de dicta emptione apparet per instrumentum prima facie publicum, inde sumptum manu ejusdem magistri Petri Ysarni quondam, notarii publici, sub anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo vicesimo primo et die ultima mensis madii:

Sciens etiam me emisse a dicto quondam Fulcone de Combalholis usatica et census in quibuscumque rebus existerent, et directa dominia, consilia, laudimia, et prelationes, ac etiam omnia ocheria seu pensiones octave partis fructuum, que dictus Fulco quondam de Combalholis habebat in toto territorio et jurisdictione seu districtu castri de Combalholis predicti, per diversa instrumenta, ac generaliter per unum instrumentum publicum inde sumptum manu ejusdem Petri Ysarni quondam, notarii publici regii, sub anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo decimo octavo, et undecima die mensis augusti, subscriptumque et signatum manu magistri Raimundi Ysarni, notarii publici regii, et extractum de nota dicti quondam magistri Petri Ysarni, notarii jam defuncti;

Sciens etiam quod dictus Fulco de Combalholis imposuit directum dominium, consilium, laudimium et usaticum decem solidorum turonensium in et super duabus peciis terrarum seu nemoris, quas in alodium francum et liberum infra jurisdictionem et districtum castri de Combalholis predicti se habere dicebat;

Quarum una pecia vocatur vulgariter nemus *dels Corals*: que confrontatur ex una parte cum honore liberorum Poncii Moruti quondam, et ex alia cum nemore Guillelmi de Combalholis condam et ex alia cum honore Johannis Girardi, et ex alia cum carreria publica qua intratur in nemus de Valena;

Alia vero pecia terre vocatur vulgariter de *Montcalhm*, que est confrontata et designata [in] instrumento venditionis predicte.

Que quidem dominia, consilia, laudimia et census, per ipsum imposita, michi vendidit, prout de ipsa venditione et per me facta emptione constat per instrumentum, inde sumptum manu dicti magistri Petri Ysarni sub anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo decimo septimo, et vicesima tertia die mensis februarii, et de ejus notis extractum, subscriptum et signatum manu Raimundi Ysarni, notarii publici regii;

Sciens etiam me alias res, bona et jura a dictis quondam Guillelmo et Fulcone de Combalholis emisse et acquisivisse infra jurisdictionem seu districtum dicti castri de Combalholis;

Que omnia licet emerim in francum, liberum et absolutum alodium, verum est tamen quod, prout post dictas emptiones certificatus extiti, dictum castrum de Combalholis et omnia bona predicta, cum toto suo territorio seu districtu, erant et sunt in et de comitatu Melgorii et Montisferrandi, ac in et de feudo domini Magalonensis episcopi pro dicto comitatu, secundum quod in instrumentis antiquis vidi et audivi plenius continetur.

Propter quod prefatus dominus Magalonensis episcopus

et ejus gentes pro eo dicebant dictas emptiones factas sine dicti domini episcopi consilio et assensu nullas esse;

Quin ymo dictum castrum, cum toto ejus territorio et districtu, et omnibus bonis predictis, esse apperta et commissa dicto domino episcopo et comiti ac Ecclesie Magalonensi, tum propter dictas emptiones et venditiones, ut dicebant, temerarie factas, tum etiam propter recognitionem vel recognitiones non factas, et investituram seu investituras non receptam seu receptas a dicto domino episcopo et comite, per dictos quondam Guillelmum et Fulconem de Combalholis, prout vassallus est suo domino obligatus.

Idcirco ego, dominus Colinus Bertrandi, per me et omnes juris et rei successores meos, bona fide et bono animo, omni dolo et fraude remotis penitus et exclusis, ac omnibus aliis universis et singulis, quibus hoc presens contractus seu infrascripta cessio posset in solidum vel in parte revocari, rescindi, retractari, anullari, vel alias quomodolibet impediri, cum hoc publico instrumento perpetuo valituro do, dono, cedo, et mando et concedo, trado seu quasi, et in perpetuum derelinquo et transfero pleno jure, gratis et spontanea voluntate, vobis, venerabili et religioso viro domino Bernardo de Texeriis, canonico Magalonensi, priori prioratus ecclesie Sancti Dyonisii de Montepessulano, vicario generali in spiritualibus et temporalibus reverendi in Christo patris domini Johannis, digna Dei gratia episcopi Magalonensis comitisque Melgorii et Montisferrandi, in remotis agentis, et pro ipso domino episcopo et Magalonensi Ecclesia presenti, et sollempniter stipulanti et recipienti, omnes omnino actiones, petitiones, deffenciones et exceptiones reales, personales, mixtas, ordinarias et extraordinarias, civiles, pretorias, utiles et directas, et quascumque alias, omniaque omnino jura michi seu meis competentes et competentia, seu competitura in omnibus et singulis bonis, rebus et juribus, superius nominatis et designatis, et etiam quibuscumque aliis, per me seu meo nomine acquisitis seu emptis quocumque titulo, quacumque ratione et causa, a dictis quondam Guillelmo et et Fulcone de Combalholis, usque in hunc diem presentem.

Do. dono, cedo et mando insuper ac concedo vobis, dicto domino vicario, quo supra nomine stipulanti sollempniter et recipienti, per me et omnes imperpetuum successores meos, omnes et singulas obligationes, debita et credita, in quibus dicti quondam Guillelmus et Fulco de Comballiolis michi, seu alii aut aliis per me, obligati sunt et fuerunt, seu etiam aliis quibuscumque a quibus michi seu alii meo nomine facta fuerit cessio de eisdem, principaliter vel etiam secundarie, cum cartis publicis vel sine cartis, ad vires sigilli regii Montispessulani seu ad alias, obligationes reales vel personales, in solidum vel in parte, simul vel separatim, usque in hunc presentem diem:

Et omnes omnino actiones, petitiones et deffensiones reales et personales, omniaque omnino jura, michi et meis competentes et competentia, seu competitura in ulla actione seu petitione in premissis omnibus et singulis, penes me seu meos aliquathenus etiam re integra remanente.

De quibus omnibus et singulis juribus, et actionibus ac deffencionibus me et meos prorsus disvestiens, et vos, dictum dominum vicarium, quo supra nomine pleno jure investiens, et in dictum dominum episcopum ejusque successores, ac Magalonensem Ecclesiam transferens facio et constituo inde dictum dominum episcopum et ejus successores imperpetuum veros dominos, justos et incommutabiles possessores, et ut in rem suam propriam irrevocabiles procuratores;

Volens et concedens quod dictus dominus episcopus et vos, dominus vicarius, et ceteri ejus legitimi procuratores ab inde in antea, in et pro premissis omnibus et singulis actionibus et juribus per me datis, donatis, cessis et mandatis, possit, possitis et possint libere, nullo consilio meo seu meorum, aut consensu seu voluntate aliquathenus requisito, agere et deffendere, in judicio et extra, coram quibuscumque judicibus et magistratibus, seu officialibus, sicut ego, ante presentem donationem, cessionem et concessionem, facere poteram, et tanquam verus dominus et ut in rem suam propriam procurator in et de re sua propria facere potest.

Pro predictis vero juribus et actionibus cessis, datis, do-

natis atque mandatis dedi[s]tis et solv[is]tis michi, quo supra nomine, ante presentem cessionem, quatercentum et triginta et quinque libras turonensium parvorum bonorum, quas michi dedistis pro parte de gratia et solvistis:

Ex eo quia predicta bona erant, ut dictum est, dicto domino episcopo Magalonensi commissa, et etiam jam pro commissis accepta et capta;

Ac etiam quia noluistis me esse in dampno, cum justam causam ignorantie haberem, quod predicta bona in feudum a dicto domino episcopo et comite tenerentur;

Et quia pro dictis Guillelmo et Fulcone de Combalholis, pluribus suis creditoribus tam Christianis quam Judeis, quibus erant dicti Guillelmus et Fulco tam ad vires sigilli regii Montispessulani quam ad alias obligationes diversas multipliciter obligati, solvi plures pecunie quantitates.

In quibus exceptioni dictarum quatercentum et triginta quinque librarum turonensium non numeratarum, habitarum seu receptarum, ac errori calculi renuncio scienter et expresse.

Verum si jura et actiones supradicta per me data, cessa et mandata, plus valent aut in futurum valebunt quam dicte quatercentum et triginta et quinque libre turonenses, totam illam magis valentiam, quantacumque sit vel fuerit, etiamsi duplum, triplum vel ultra excederet, per me et meos do, dono et mando vobis, dicto domino vicario, quo supra nomine stipulanti sollempniter et recipienti, pure et libere, donatione pura, et simplici et irrevocabili, que dicitur inter vivos, nulla causa ingratitudinis... revocanda.

Dans et concedens vobis..., plenam et liberam potestatem per vos, vel alium seu alios, corporalem possessionem omnium et singulorum bonorum predictorum, rerum et jurium, in quantum nancisci possent et ad me spectare, auctoritate vestra propria nanciscendi et nactam retinendi, nulla naturali vel civili possessione, et nulla actione directa vel utili penes me vel meos quomodolibet remanente; quod donec feceritis... me constituo tenere et possidere seu quasi.

Volens et concedens ex pacto quod, ab inde in antea, in

et pro predictis bonis, rebus et juribus per me datis, donatis, concessis, cessis, mandatis, nullam actionem directam vel utilem valeam intemptare, quia nullam intendo aliquathenus retinere: ymo volo et concedo, quod si de facto, quod absit, ego super predictis vel aliquo predictorum, aliquam actionem presumerem intemptare, quecumque curia et quilibet judex michi teneatur, possit et debeat audientiam denegare.

Promittens insuper et conveniens me nil dixisse..., quominus premissa omnia... perpetuam roboris obtineant firmitatem.

Renuncians inde scienter et expresse super premissis omnibus et singulis, juris et facti ignorantie, exceptioni de dolo et actioni in factum, generali clausule restitutionis, et juri dicenti quod contractus rescindatur, aut quod deest a justo pretio suppleatur, ubi deceptio ultra dimidium justi precii intervenerit; et juri dicenti donationem posse rescindi propter immensitatem, donatoris egestatem, subsequentem liberorum protestationem, propter non factam insinuationem ubi excedit summam quingentorum aureorum, et propter ingratitudinem; et juri dicenti cedentem actiones, sibi competentes, posse nichilominus post cessionem, re integra, intemptare utilem actionem; et juri dicenti donationem non valere factam in eodem instrumento cum alio titulo oneroso; ac juri dicenti cessionem factam in majoris ratione officii non valere; et demum omni alii juri..., quibus contra predicta vel aliquod predictorum venire possem seu ea infringere in solidum vel in parte.

Predicta siquidem omnia et singula constanter assero fore vera; ipsaque omnia et singula me tenere... promitto, et convenio atque juro per bonam fidem meam plevitam et requisitam, sub efficaci ypotheca et obligatione omnium et singulorum bonorum meorum presentium et futurorum, pro restitutione et emenda vobis, quo supra nomine, faciendis, si contingerit, quod absit, me vel meos aliqua dicere vel facere contra premissa vel eorum aliqua, propter que vos, nomine quo supra, contingeret dampna subire, gravamina vel ex-

pensas: de quibus dampnis, gravaminibus et expensis vobis, quo supra nomine, credam et credere promitto solo simplici verbo vestro sine sacramento, testibus et aliis probationibus quibuscumque.

Acta sunt hec in aula episcopali Montispessulani, ad que fuerunt testes vocati viri providi et discreti domini Hugo Augerii utriusque juris professor, officialis Magalonensis, Guillelmus de Thesio rector ecclesie Sancti Martini de Sussanicis Magalonensis diocesis, Guillelmus Banholi et Johannes Gervasii presbiteri, ac Guiraudus Cavallerii jurisperitus, magister Petrus de Pena notarius regius, et Guillelmus de Pruneto clericus, et ego Guillelmus de Campo, publicus supradicti domini regis Francorum auctoritate notarius, qui, mandatus et requisitus utrinque, predicta in notam recepi.

Vice cujus notarii et mandato *etc.*

(Reg. E, fol. 276 r°).

MDLXXXV. — 19 février 1328 (n. s. 1329)

Le bayle de Montpellier remet un clerc à l'official de l'évêque.

Noverint universi presentes pariter et futuri, quod anno Dominice Incarnationis M° III° vicesimo VIII^{mo}, scilicet nonadecima die februarii, domino Philippo Francorum rege regnante, in presentia mei notarii et testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum, magister Stephanus Vitalis, notarius major curie Montispessulani illustris domini regis Majoricarum, et locum tenens venerabilis et discreti viri domini Poncii Alamandini, burgensis Montispessulani, junioris, bajuli dicte curie, et Bernardus Bertrandus de Pinolis carcerarius, Petrus de *Mayres*, Jacobus Magistri, Bernardus Verderii, servientes dicte curie, in quodam vico quod est subtus aulam episcopalem Montispessulani, in capite supe-

riori carrerie vocate *lo pilar Sant Gili*, scilicet in parte domini regis Majoricarum predicti, tradiderunt et restituerunt magistro Poncio Berengarii jurisperito, procuratori et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini episcopi Magalonensis, et etiam pro suo officiali et curie sue episcopalis recipienti, Bernardum Ortolani clericum, quem in carceribus dicte curie domini regis Majoricarum detinuerunt mancipatum, ut dixerunt.

Qui dictus magister Poncius, procurator predictus dicti domini episcopi, Bernardum Ortolani per manum accepit et confessus fuit ipsum Bernardum Ortolani penes se habere, et ipsum acceptasse ac habuisse a predictis magistro Stephano Vitalis, locum tenenti predicto, et prenominatis carcerario et servientibus dicte curie domini regis Majoricarum.

Et incontinenti, idem magister Poncius Berengarii, procurator nomine dicti domini episcopi, ipsum Bernardum Ortolani, tanquam delatum in curia dicti domini episcopi Magalonensis, tradidit Johanni Mirabelli, Raymundo Castanherii, Francisco Vincencii, servientibus curie dicti domini Magalonensis episcopi, presentibus ibidem, et ipsum Bernardum Ortolani clericum predictum recipientibus, precipiens eisdem ut ipsum Bernardum Ortolani, clericum predictum, ad curiam prefatam dicti domini Magalonensis episcopi in carceribus ejusdem curie adducant, immittant et incarcerent, et incarceratum carcerario dicte curie dicti domini episcopi tradant, per ipsum carcerarium tamdiu in dictis carceribus detinendum, quousque per dominum officialem dicti domini episcopi Magalonensis, seu ejus locum tenentem, quid de eodem Bernardo Ortolani, clerico predicto, de delatis, ut dicitur, per eum agendum fuerit, aliud fuerit ordinatum.

De quibus omnibus et singulis, dictus dominus locum tenens dicti domini bajuli, et dicti carcerarius et servientes dicte curie dicti domini regis Majoricarum, necnon et dictus procurator dicti domini Magalonensis episcopi, et predicti servientes dicte curie dicti domini Magalonensis episcopi qui confessi fuerunt se acceptasse a dicto magistro Poncio

Berengarii, procuratore dicti domini episcopi, dictum Bernardum Ortolani, clericum predictum, et nominatum clericum penes se habere: et qui etiam promiserunt dicto magistro Poncio Berengarii, procuratori dicti domini episcopi, dictum clericum adduci in carcerem, et incarceratum restitui in carceribus dicte curie dicti domini episcopi carcerario ejusdem episcopalis curie, prout eis a dicto magistro Poncio Berengarii, procuratore predicto, datum extiterat in mandatis, petierunt eis fieri unum vel plura publica instrumenta.

Acta sunt hec in Montepessulano, in dicto vico, in presentia et testimonio domini Petri Verdelli, domini Guillelmi de Fonte jurisperitorum, Johannis Lauterii, Jacobi Salgerii de Latis, et mei, Guillelmi Gasqui, notarii publici regii Montispessulani, qui requisitus scripsi et signavi.

(Reg. D. fol. 294 r°).

MDLXXXVI. — 29 mars 1329

Le recteur de Montpellier fait lever la sauvegarde du roi sur le bois du Taurier.

Anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo vicesimo nono, et die XXIX mensis marcii, regnante domino Philippo rege Francorum, noverint universi quod Petrus Jaufridi, serviens regius Montispessulani, ad instantem requisitionem discreti viri Bertrandi de Vallebuxeria, bajuli ville de Matellis et ejus districtus pro reverendo patre in Christo domino Johanne, divina miseratione episcopo Magalonensi, ad quemdam locum sive nemus vocatum *Taurier*, situm infra Vallem et jurisdictionem castri Montisferrandi, una mecum notario et testibus infrascriptis, personaliter accessit, ubi dicebantur esse baculi regii, pridem appensi ad instantiam consulum Montispessulani.

Et ibidem existens dictus bajulus, nomine et pro jure dicti

domini episcopi, exhibuit et presentavit eidem servienti quamdam litteram, sigillo venerabilis et discreti viri domini Petri Ricardi, locum tenentis nobilis viri domini Hugonis de Carsano militis, rectoris regii Montispessulani, etiam cum ejus contra sigillo sigillatam, ut prima facie apparebat: quam per me notarium palam et publice coram dicto serviente et testibus infrascriptis perlegi fecit.

Cujus tenor talis est:

Petrus Ricardi, locum tenens domini rectoris regii Montispessulani, Jacobo Gabli servienti regio, ceterisque servientibus regiis Montispessulani, salutem et dilectionem.

Procuratore domini Magalonensis episcopi intelleximus conquerente, quod cum olim, annus est elapsus et ultra, quedam littere per dominum rectorem regium concesse fuissent consulibus Montispessulani, quarum auctoritate baculi regii appositi fuerant, in signum salvegardie, in nemore vocato *del Taurier*, et quibusdam aliis locis:

Qui baculi, nostri mandato, ut dicitur, facto amoti fuerunt ad instantiam gentium Ecclesie Magalonensis, quia pretendebant dictos baculos ibidem fuisse appositos in jurisdictione alta et bassa Ecclesie predicte, et ipsis gentibus, quos negotium tangit, non vocatis, et sit in prejudicium Ecclesie predicte, et propter alias rationes in dicto nostro mandato insertas:

Nuncque de novo a paucis diebus citra, vigore dictarum litterarum domini rectoris, baculi regii in dictis locis appositi fuerint in prejudicium dicti domini episcopi, et ipso procuratore non vocato:

Quibusdam aliis causis seu rationibus, in dicto nostro mandato insertis, adhuc existentibus:

Idcirco vobis et vestrum cuilibet, tenore presentium, precipimus et mandamus quatenus, ad loca ubi dicti baculi fuerunt appositi, personaliter accedentes, ipsos baculos amoveatis exinde et alia quecumque ibi de novo facta fuisse reperi[e]ritis, ad statum pristinum reducatis et revocetis, que nos etiam tenore presentium reducimus et revocamus,

absque tamen prejudicio proprietatis et possessionis dictorum consulum et domini episcopi supradicti.

Volumus etiam ut dicta loca, baculis predictis amotis, sic in statu remaneant, donec, per dictum dominum rectorem seu per nos, vocatis evocandis, aliud fuerit ordinatum.

Datum vicesima sexta die marcii, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo nono.

Qua quidem littera ibidem perlecta et explanata, dictus bajulus de Matellis, nomine quo supra, requisivit dictum servientem, ut quemdam baculum regium, ibidem in una virga supra quemdam parietem appensum, virtute mandati sibi litteratorie facti, amoveat, et, per consequens alios, si quos in locis, in dicta littera comprehensis, reperiri contingat, prout sibi datum est in mandatis.

Et dictus serviens, virtute dicte littere, dictum baculum regium realiter amovit, juxta et secundum tenorem predicte littere et mandati sibi facti; et protestatus fuit quod, per amotionem hujusmodi baculi, omnes alios in locis predictis appositos, habet pro amotis.

De quibus omnibus et singulis, dicti bajulus et serviens petierunt sibi fieri unum vel plura publica instrumenta.

Acta sunt hec in loco predicto, anno et die predictis, in presentia et testimonio Petri de Turre alias Peyrochoni, et Guillelmi de Gordone ville et (=de) Matellis, ac Raimundi de Mota diocesis Agennensis oriundi, habitatoris Montispessulani, et mei Guillelmi de Campo, publici dicti domini regis auctoritate notarii, qui hec, mandatus et requisitus utrinque, in notam recepi et scripsi.

Deinde et incontinenti, dictus serviens, ad quemdam alium locum dicti territorii, una mecum notario et testibus supra sriptis, personaliter accedens, quemdam alium baculum regium, in quadam alia virga supra quemdam parietem appensum, virtute mandati predicti, ad requisitionem dicti bajuli de facto amovit.

Et protestatus fuit etiam quod, per hujusmodi baculi amo-

tionem, omnes et singulos alios baculos regios, in dicto territorio seu in locis, de quibus in dicta littera fit mentio, appositos, intendit et habet pro amotis, et, si plures invenisset, ipsos amovisset.

De quibus etiam dicti bajulus et serviens petierunt sibi fieri unum vel plura publica instrumenta.

Acta sunt hec a paragrapho citra in loco predicto, ad que fuerunt testes vocati qui supra proxime, et ego idem Guillelmus de Campo, notarius publicus prefatus, qui, mandatus et requisitus utrinque, predicta in notam recepi et scripsi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. E, fol. 198 r°).

MDLXXXVII. — 12 mai 1329

Philippe de Valois prend sous sa sauvegarde Pierre Raimond de Poussan.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri, vel ejus locum tenenti, ceterisque justiciariis nostris, ad quos presentes littere pervenerint, salutem.

Ad supplicationem Petri Raimundi de Porssano domicelli, asserentis ex certis et verisimilibus conjecturis a pluribus personis sibi timere, mandamus vobis et vestrum cuilibet, prout ad eum pertinuerit, quatenus ipsum una cum familia, rebus et bonis suis universis, sub manu, protectione et salvagardia nostris ad sui juris conservationem dumtaxat ponentes, in suis justis pocessionibus, franchesiis, juribus, et libertatibus, et saysinis ipsum esse suosque predecessores fuisse pacifice ab antiquo inveneritis, manuteneatis et conservetis; et de personis de quibus exigere voluerit assetinamentum, juxta patrie consuetudinum, legitimum prestare faciatis, ipsumque deffendatis et deffendi faciatis ad omnibus injuriis, violentiis, et gravaminibus, oppressionibus, moles-

liis, novitatibus, vi armorum, potentia laicorum, ab inquietationibus indebitis quibuscumque: non permittentes contra ipsum, ejus familiam ac bona, aliquas fieri seu inferri indebitas novitates:

Quas si factas esse vel fuisse in diete salvegardie nostre et dicti supplicantis prejudicium inveneritis, ad statum pristinum et debitum reducatis seu reduci, et nobis et dicto supplicanti propter hoc emendam condignam prestare faciatis:

Et ad premissa diligentius exequenda, unum vel plures servientes nostros, suis sumptibus, eidem deputetis, si super hoc fueritis requisiti, qui de hiis que cause cognitionem exigunt se nullatenus intromittant.

Datum Parisius, die XII maii, anno Domini M° CCC° XXIX°.

(Reg. B, fol. 171 v°).

MDLXXXVIII. — 23 mai 1329

Philippe de Valois autorise l'évêque de Maguelone à prêter hommage entre les mains du sénéchal de Beaucaire.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri aut ejus locum tenenti, salutem.

Cum nos, ex causa et de speciali gratia, dilecto nostro episcopo Magalonensi, tenore presentium, duxerimus concedendum ut fidelitatis juramentum, quod nobis prestare tenetur, et requisitionem de hiis que tenet a nobis, faciat, loco nostro vobis committimus et mandamus, quatenus a dicto episcopo recipiatis juramentum et recognitionem de hiis que tenet a nobis, ut premittitur, absque contradictione quacumque.

Quibus juramento et recognitione receptis, ipsum non compellatis episcopum occasione dicti non prestiti juramenti et recognitionis predicte; quinymo, si quid de suo capi man-

davistis, ei restitui faciatis ad plenum, absque alterius expectatione mandati.

Datum apud Villare juxta Resceum, XXIII die maii, anno Domini M° CCC° vicesimo nono.

(Reg. C, fol. 170 r°).

MDLXXXIX. — 29 mai 1329

Jean de Vissec prête hommage au roi de France.

Universis presentes litteras inspecturis, Bernardus de Langussello miles, Albasii dominus, locumtenens nobilis et potentis viri domini Hugonis Quiereti, militis domini nostri Francorum regis, senescalli Bellicadri et Nemausi, salutem.

Litteras patentes regias nos recepisse noveritis, sigillo magno regio impendenti sigillatas, tenorem qui sequitur continentes:

Philippus, Dei gratia *ut supra, ad p. 1 hujus tomi.*

Post quarum receptionem, reverendus in Christo pater dominus Johannes, Dei gratia Magalonensis episcopus, in nostra presentia constitutus, dictam recognitionem et juramenti prestationem in forma solita et communi obtulit se facturum.

Cui nos ex debito annuentes, ipse quidem nobis, nomine dicti domini nostri regis et suorum, recognitionem fecit et juramentum fidelitatis prestitit, de omnibus hiis que ratione Magalonensis Ecclesie a dicto domino nostro rege tenet, et Ecclesia Magalonensis tenuit ab antiquo, exceptis hiis que in Montepessulano et in castro de Latis habuit a bone memorie domino B[erengario], episcopo Magalonensi predecessore suo, dictus dominus rex, ex causa permutationis quam fecit cum eodem.

Item etiam dominus episcopus ea que in recompensatio-

nem dictarum rerum permutatarum prefato quondam episcopo dictus dominus rex dedit et assignavit in villa Salvii, castris de Duroforti, de Porssiano et aliis locis, sub eodem fidelitatis juramento, recognovit se tenere a dicto domino rege.

Nosque fidelitatis juramentum et recognicionem hujusmodi, nomine dicti domini nostri regis auctoritate dictarum litterarum regiarum, recepimus a domino episcopo memorato.

In cujus rei testimonium, presentes litteras in formam publicam per infrascriptum notarium curie nostre scribi fecimus, et sigilli regii dicte senescallie appensione muniri.

Actum et datum Nemausi, die vicesima nona mensis maii, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo nono, illustri domino Philippo rege Francorum regnante.

Et ego Privatus de Manso, auctoritate regia notarius publicus, scribens in curia dicti domini locum tenentis pro notario, recognitioni ac prestationi juramenti predictis, una cum venerabilibus viris dominis Raimundo de Cassiliaco Magalonensis, et Andrea de Languessello Nemausensis Ecclesiarum prepositis, Bertrando Planterii militis, Bernardo de Cadolis legum doctore, Bernardo de Texeriis Sancti Dyonisii de Montepessulano, Guillelmo Fulci de Castronovo ecclesiarum prioribus, Johanne de Alayraco precentore Ecclesie Nemausensis, Bertrando Felicis, Guiraudo Cavalerii, Johanne de Affriano, Poncio de Margaritis jurisperitis, Dur. Catarini, rectore ecclesie Sancti Martini de Cressio, et pluribus aliis testibus ad premissa vocatis, presens fui, et de mandato dicti domini locum tenentis, et ad requisitionem dicti domini episcopi necnon discreti viri domini Hugonis Beti alias Chongo, procuratoris substituti a procuratore regio, petentium sibi et eorum cuilibet de predictis fieri publicum instrumentum per me dictum notarium, hec scripsi, publicavi et signo meo solito signavi.

(Reg. E, fol. 62 v° et B, fol. 73 r°).

MDXC. — 5 juin 1329

La cour du bayle reconnait à l'évêque le droit de réclamer, comme suzerain, un poisson appelé adzernia.

Anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo vicesimo nono, scilicet nonis junii, domino Philippo Francorum rege regnante, existens in curia ordinaria Montispessulani domini nostri Majoricarum regis et domini Montispessulani, coram venerabili et discreto viro domino Bernardo Johannis, vicario dicte curie, magister Guillelmus Clari jurisperitus, procurator et nomine procuratorio, ut dixit, reverendi in Christo patris et domini, domini Johannis, miseratione divina Magalonensis episcopi:

Et cum, ad instantiam gentium dicti domini episcopi, esset sequestratus seu arrestatus penes dictam curiam quidam piscis, dictus *adzernia*, per presentem curiam;

Quem piscem dictus procurator dixit pertinere ad dictum dominum episcopum, ubicumque capiatur in diocesi Magalonensi;

Et ad finem quod dictus piscis dicto procuratori, pro jure dicti domini episcopi, tradi debeat dicto domino episcopo, tanquam pertinens dicto domino episcopo, ex habundanti, licet alias sit notorium de jure dicti domini episcopi, intendit probare dictus procurator, quod dictus dominus episcopus, per se seu gentes suas, est in possessione et saysina habendi similes pisces, qui portantur in peyssonaria Montispessulani, undecumque et per quoscumque ibidem apportentur, nisi apportans probet et ostendat quod talis piscis sit captus extra aquas diocesis Magalonensis, videlicet a loco dicto *la Mota de Cuyciens* usque ad maria diocesis Agathensis.

Et ad probandum predicta, nominat in testes Paulum de Serinhano, Raymundum Vitalis, Bernardum Noguerii, Johannem *Furaut*, Raymundum Ma[r]celli alias Amici, quos petiit recipi super predictis, presente ibidem magistro Jo-

hanne de Vineis, procuratore dicti domini Majoricarum regis et se opponente.

Et incontinenti, dictus dominus vicarius, de voluntate dictorum procuratorum ibidem presentium, commisit cognitionem, diffinitionem et determinationem dicti negotii nobili venerabili et circumspecto viro domino Thome de Santraycanicis, legum excellentissimo professori, presenti et stipulanti.

Qui quidem dominus Thomas, commisserius predictus, commisit Guillelmo de *Rosses*, scriptori jurato dicte curie, receptionem et examinationem testium quorumcumque per dictos procuratores nominatorum et producendorum in presenti causa.

Et incontinenti dictus procurator dicti domini episcopi produxit testes, presente dicto procuratore domini regis Majoricarum predicti, dictos Paulum de Serinhano et Raymundum Vitalis peyxonerios, citatos per Dominicum de Valle, juratum nuncium presentis curie.

Qui juraverunt super sancta quatuor evangelia, presente dicto procuratore dicti domini regis Majoricarum, dicere vetatem.

Et deposuerunt, presente eodem procuratore dicti domini regis Majoricarum, ut sequitur:

Paulus de Serinhano, peysonerius Montispessulani, testis productus, juratus dicere veritatem et interrogatus diligenter, presente dicto procuratore dicti domini regis Majoricarum, dixit testis suo juramento esse verum quod dominus episcopus Magalonensis et predecessores sui est [et] fuerunt in possessione habendi similes pisces, quando apportantur in peyxoneria Montispessulani, undecumque et per quoscumque apportentur, nisi ille qui apportat tales pisces, portet aliquod signum unde ipsos pisces apportat.

Et sic vidit et audivit testis, ut dixit, triginta anni sunt elapsi et plus.

Raymundus Vitalis peyxonerius Montispessulani, testis productus, juratus dicere veritatem, et interrogatus diligenter super predictis, predicto procuratore domini regis Majoricarum ibidem presente, dixit ibidem in omnibus et per omnia in effectu, ut testis precedens.

Quibus duobus depositionibus auditis per dictum procuratorem dicti domini regis Majoricarum, dictus procurator illicenciatus recessit.

Postque paulo post quasi incontinenti, dictus procurator dicti domini episcopi ad probandum predicta produxit coram me, notario infrascripto, et dicto Guillelmo *Rosses*, in testes, absente dicto procuratore dicti domini regis Majoricarum, dictos Bernardum Noguerii, Raimundum Marcelli alias Amici, Johannem *Faraut* peyssonerios, superius nominatos, qui juraverunt ad sancta quatuor Dei evangelia dicere veritatem, et deposuerunt, absente dicto procuratore dicti domini regis Majoricarum, prout per ordinem continetur.

Bernardus Nogerii peyssonerius Montispessulani, testis productus, juratus dicere veritatem et interrogatus diligenter super predictis, absente tamen dicto procuratore dicti domini regis Majoricarum, dixit testis suo juramento in effectu in omnibus et per omnia, ut precedens, excepto quod non deposuit de tempore.

Raimundus Ma[r]celli alias Amici, peyssonerius Montispessulani, testis productus, juratus dicere veritatem, et interrogatus diligenter, absente dicto procuratore domini regis Majoricarum, dixit testis suo juramento verum esse quod ipse vidit et audivit triginta anni sunt elapsi, quod quando tales pisces apportantur in peyssoneria Montispessulani, quod gentes domini episcopi Magalonensis arrestare faciebant tales pisces, et precium talium piscium in deposito ponebant, donec ille qui apportabat tales pisces, depportasset aliquod certum signum unde deportabat dictos pisces.

Et si, apportans posset probare quod extra aquas diocesis Magalonensis, scilicet extra terminos superius dictos, talis pisces cepisset seu tales pisces capti fuissent, quod pretium dictorum piscium quod erat depositum, tradebatur apportanti.

Et si non posset probare quod extra dictas aquas cepisset, dicte gentes dicti domini episcopi recuperabant dictum pretium per eas depositum, et tales pisces penes se retinebant.

Dixit etiam testis quod undecumque apportentur tales pisces, et dictus dominus episcopus vellet eos seu gentes sue, quamvis non essent capti infra dictas aquas, quod dictus episcopus poterat eos accipere pre omnibus aliis, dum tamen solveret pretium illi cujus erant tales pisces.

Et hec vidit et audivit, ut dixit, triginta quinque anni sunt elapsi et plus.

Item Johannes *Faraut*, peyssonerius Montispessulani, testis productus, juratus dicere veritatem, et interrogatus diligenter super predictis, dixit testis in effectu, ut testis precedens in omnibus et per omnia, absente procuratore dicti domini regis Majoricarum.

Postque crastinum dicte diei, scilicet octavo idus junii, comparuit, in dicta curia et coram dicto commissario, dictus procurator dicti domini episcopi, petens dicta dictorum testium publicari, et, ipsis publicatis, decerni et declarari dictum dominum episcopum seu gentes suas esse et fuisse in possessione pacifica et saisina habendi et accipiendi similes pisces undecumque et per quoscumque apportentur ad villam Montispessulani, nisi apportans doceat tales pisces esse captos extra terminos supradictos; et esse in electione dicti domini episcopi seu gentium suarum, cum est contentio in quibus maribus capti sunt, piscem accipere, et pretium deponere, aut piscem vendi facere, et pretium deponere et in deposito teneri, donec apportans docuerit extra dicta maria esse captum.

Petiit etiam decerni et declarari, quo supra nomine, ip-

sum esse tuendum et deffendendum in possessione predicta; et, per consequens, dictum piscem arrestatum sibi esse tradendum pro jure dicti domini episcopi.

Et dictus dominus comissarius dicta dictorum testium publicavit; et, presente dicto procuratore regio ad hoc specialiter vocato et nichil in contrarium proponente, decrevit, causa cognita, dictum dominum episcopum esse et fuisse in possessione seu quasi habendi et recipiendi dictos pisces, undecumque et per quoscumque apportentur, nisi deportans doceat unde tales pisces deportat.

Et per consequens dictum piscem ad dictum dominum episcopum pertinere.

Et de facto gentibus dicti domini episcopi restituit, salvo tamen jure proprietatis et leude, si debeatur dicto domino Majoricarum rege, et cuicumque alteri jus habenti.

Decernens etiam dictum [dominum] episcopum esse tuendum et deffendendum in possessione predicta, per ipsum procuratorem suum probata.

De quibus omnibus et singulis supradictis, dictus procurator dicti domini episcopi petiit sibi fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Acta fuerunt hec in dicta curia, ut suprascripta sunt et leguntur, in presentia et testimonio discretorum virorum dominorum Johannis de Podio, jurisperiti, assessoris et locum tenentis domini Bernardi Johannis vicarii predicti, Poncii de Montearbedone domicelli, Jacobi Arnaudi, Johannis *Gayles*, Raimundi Gregorii et dicti Guillelmi de *Rosses* scriptoris dicte curie, juratorum, et plurium aliorum proborum virorum ibidem presentium, et mei Andree de Viana, publici Montispessulani et dicte banche vicarii notarii, qui predictis omnibus una cum suprascriptis testibus presens interfui eaque omnia scripsi et in publicam formam reddegi fideliter, meo que signo sequenti signavi, jussus per dictum dominum commissarium, et vocatus, rogatus et requisitus per dictum procuratorem dicti episcopi.

Constat michi de rasuris, ubi dicit *gentium, dixit, perti-*

nere, Agathensis, et eas emendavi et correxi, ut scripta sunt.

Nos, Poncius Alamandini, bajulus curie Montispessulani illustris domini regis Majoricarum et domini Montispessulani, predictum instrumentum, per dictum magistrum Andream de Viana, notarium publicum Montispessulani, scriptum et signatum, bullari fecimus, anno Domini M° trecentesimo vicesimo nono, scilicet nono kalendas julii.

(Reg. E, fol. 48 v°).

MDXCI. — 5 juin 1329

Publication d'une lettre de Philippe de Valois

Noverint universi quod anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo vicesimo nono, domino Philippo Dei gratia Francorum rege regnante, et die quinta mensis junii, existens sive constitutus in curia regia Montispessulani, in presentia nobilis viri domini Hugonis de Carssano militis, rectoris regii Montispessulani, magister Poncius Berengarii jurisperitus, procurator, ut dixit, et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini episcopi Magalonensis, exhibuit et presentavit eidem domino rectori quasdam patentes litteras, in papiro scriptas, sigillatas in dorso earumdem sigillo senescalli Bellicadri et Nemausi, ut prima facie apparebat; quarum tenor talis est:

Bernardus de Languysello miles, Albasii dominus, locum tenens domini senescalli Bellicadri et Nemausi, rectori regio Montispessulani vel ejus locum tenenti, ceterisque justitiariis nostris, ad quos presentes littere pervenerint, et eorum alteri seu eorum locum tenentibus, salutem.

Litteras patentes regias nos recepisse noveritis sub hiis verbis:

Philippus, Valesii et Andegavie comes, *etc., ut supra. T. IV, p. 711.*

Quarum litterarum auctoritate, vobis et vestrum cuilibet precipimus et mandamus, quatenus omnia et singula, in dictis litteris regiis contenta, faciatis, compleatis et etiam adimpleatis juxta ipsarum continentiam et tenorem, taliter quod non oporteat vobis iterum scribere pro premissis.

Datum Nemausi, tertia die junii, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo nono.

Reddite litteras sigillatas.

Quibus litteris presentatis, idem procurator dicti domini episcopi petiit et requisivit dictum dominum rectorem contenta in dictis litteris celeriter adimplere juxta continentiam earumdem: petens de premissis et de responsione per dictum dominum rectorem facienda fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum,

Et dictus dominus rector obsulit se paratum contenta in dictis litteris celeriter adimplere, juxta continentiam et tenorem litterarum predictarum.

De quibus petiit dictus procurator sibi fieri publicum instrumentum p r me notarium infrascriptum.

Actum in dicta curia, et fuerunt testes Guillelmus Saligane jurisperitus, Jacobus Fulsi clavarius regius, et ego Egidius Johannis, notarius publicus regius Montispessulani, qui requisitus hec in notam recepi.

(Reg. E, fol. 55 r°).

MDXCII. — 5 juin 1329

Autre publication de lettres royaux.

Noverint universi quod anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo vicesimo nono, et die quinta mensis junii in tertiis, domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, existens sive constitutus in curia regia Montispessulani, in presentia nobilis viri domini Hugonis de Carssano militis, rectoris regii Montispessulani, assidente eidem venerabili viro domino Johanne de Affriano jurisperito, locum tenente honorabilis et circumspecti viri domini Rostagni de Biterris legum doctoris, judicis regii dicti loci Montispessulani, magister Poncius Berengarii jurisperitus, procurator, ut dixit, reverendi in Christo patris domini J[ohannis], Dei gratia Magalonensis episcopi, presentavit eidem domino rectori et per me notarium infrascriptum legi fecit duas patentes litteras, sigillatas in dorso earumdem sigillo senescallie Bellicadri et Nemausi, ut prima facie apparebat:

Quarum tenores tales sunt:

Bernardus de Langussello miles, Albasii dominus, locum tenens domini senescalli Bellicadri et Nemausi, rectori regio Montispessulani vel ejus locum tenenti, ceterisque justitiariis nostris, ad quos presentes littere pervenerint, et eorum alteri seu eorum locum tenentibus, salutem.

Litteras patentes regias nos recepissse noveritis sub hiis verbis:

Karolus, Dei gratia, *ect., ut supra. T. IV, p. 601.*

Quarum auctoritate vobis et vestrum cuilibet precipimus et mandamus, quatenus omnia et singula in predictis litteris regiis contenta faciatis, compleatis, et adimpleatis, et exequamini diligenter juxta ipsarum continentiam et tenorem.

Datum Nemausi, tertia die junii, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo nono.

Reddite litteras sigillatas.

Bernardus de Langussello miles, Albasii dominus, locum tenens domini senescalli Bellicadri et Nemausi, rectori regio Montispessulani vel ejus locum tenenti, ceterisque justitiariis nostris, ad quos presentes littere pervenerint, et eorum alteri, vel eorum locum tenentibus, salutem.

Litteras patentes regias nos recepisse noveritis sub hiis verbis:

Philippus, Valesii et Andegavie comes, *etc.*, *ut supra*, *T. IV*, *p. 711.*

Quarum litterarum auctoritate vobis et vestrum cuilibet precipimus et mandamus, quatenus omnia et singula in dictis litteris contenta faciatis, compleatis ac etiam adimpleatis juxta continentiam ipsarum et tenorem, taliter vos super hiis vos habentes, quod non oporteat vobis iterum scribere pro premissis.

Datum Nemausi, tertia die junii, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo nono.

Reddite litteras sigillatas.

Quibus litteris presentatis, predictus magister Poncius petiit, nomine quo supra, contenta in dictis litteris celeriter adimplere juxta continentiam et tenorem earumdem, petens sibi de premissis et responsione dicti domini rectoris fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Et dictus dominus rector assignavit horam vesperarum presentis diei dicto presentanti, ad suam responsionem audiendam super premissis.

Testes fuerunt premissorum, Guillelmus Raimundi serviens, Guillelmus de Gallo clericus, et ego Egidius Johannis

notarius publicus regius Montispessulani, qui requisitus hec in notam recepi.

Qua hora vesperarum, superius proxime per dictum dominum rectorem assignata, comparuit in dicta curia coram dicto domino rectore predictus magister Poncius, nomine quo supra, dicens se paratum fore audire suam responsionem, si eam facere velit.

Et dictus dominus rector, aliis negotiis regiis occupatus, assignavit ad id quod supra.

Actum in dicta curia, et fuerunt testes Guillelmus [de] Gallo clericus predictus, magister Petrus Martini notarius, et ego Egidius Johannis, notarius predictus, qui requisitus hec in notam recepi.

Quo crastino, que computabatur dies sexta junii, comparuit iterum dictus magister Poncius Berengarii, nomine quo supra, coram dicto domino rectore, dicens ut supra.

Et dictus dominus rector dixit et respondit se fore paratum facere et adimplere contenta in dictis litteris, prout tenebitur, et de jure facere quod debebit.

Cui responsioni dictus magister Poncius, nomine quo supra, non concessit in quantum juri dicti domini episcopi prejudicare posset.

Et nichilominus facta fuit [responsio] ut supra.

Actum in dicta curia, et testes fuerunt a proximo paragrapho citra predictus magister Petrus Martini notarius, et Guillelmus Galli clericus predictus, et ego Egidius Johannis, notarius publicus regius Montispessulani, qui requisitus hec in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. E, fol. 66 v°).

MDXCIII. — 2 août 1329

Philippe de Valois interdit de soumettre aux rigueurs du petit-scel les religieux et clercs vivant cléricalement.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri et custodi parvi sigilli nostri Montispessulani, vel eorum loca tenenti, salutem.

Conquestus est nobis dilectus et fidelis noster episcopus Magalonensis, quod, cum interdum religiosi in sacris constituti, et alii clerici, clericaliter viventes, se obligant sub dicto sigillo, tu, custos illius, harum obligationum pretextu, de die in diem clericos ipsos capis, nec vis eos eidem episcopo suisve gentibus reddere, nisi quemadmodum tu ipsos detines, eos et ipsi detinerent.

Quocirca mandamus vobis et vestrum cuilibet, quatenus religiosos, aut in sacris constitutos, vel non conjugatos clericos clericaliter viventes amodo, pro quibuscumque civilibus, etiamsi ad hoc se obligaverint, nullatenus capiatis.

Si vero conjugatos, tonsuram et habitum clericalem deferentes, qui pro talibus ad tenendum prisionem se abstrinxerint, hac ceperitis occasione, sine more dispendio restituatis eosdem dicto episcopo vel suis gentibus, ab eis detinendos juxta formam obligationum suarum.

Datum Parisius, secunda die augusti, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo nono.

(Reg. E, fol. 52 v° et C, fol. 35 r°).

MDXCIV. — 3 août 1329 (I. A).

Reconnaissance faite au seigneur de Corcone.

Anno Domini 1329 et 3 die augusti, Petrus Fererii de Corcona recognovit Bertrando Regis militi, domino de Corcona et de Vaqueriis, se tenere in acapitum sub ejus directo dominio, laudimio, consilio, prelatione et avantagio, peciam terre in parrochia de Corcona, vocatam campum *Maneyra*, confrontatam cum carreria publica, cum terra Jacobi Vilate, cum terra Stephani de Comba, et cum terra heredum Bertrandi Michaelis; pro qua dat de censu in festo sancti Michaelis tres eminas ordei ad mensuram Salvii.

Actum Corcone; testes fuerunt Guiraudus Guirandi de Corcona, Petrus Salas, Salvator Martini de Salvio; Petrus Martini, notarius Salvii, scripsit.

(Reg. F, fol. 325 v°).

MDXCV. — 18 août 1329

Condamnation par la cour de Sauve d'un habitant de Laroque-Aynier, qui avait volé un mouton.

Ad quam diem causarum inquisitionum curie Salvii domini Magalonensis episcopi, que fuit anno ab Incarnatione Domini M° CCC° XXIX° et XVIII° die augusti, domino Philippo rege Francorum regnante, et domino Johanne, Dei gratia Magalonensi episcopo et domino Salvii presidente, que dies tenebantur per discretum virum dominum Guiraudum Cavallerii jurisperitum, judicem Salvii, et que dies precise et perhemtorie extiterat assignata Johanni de Cumba de Ruppe Ayneria, ad audiendam sententiam super quadam

inquisitione facta per dictam curiam contra dictum Johannem:

Comparuit in dicta curia coram dicto domino judice predictus Johannes de Cumba, petens se absolvi a contentis in predicta inquisitione, et sententiam ferri super causa per dictum dominum judicem.

Et dictus dominus judex, juxta presentis diei assignationem, processit ad sententiam super dicta inquisitione ut sequitur:

Ad hec nos Guiraudus Cavallerii jurisperitus, judex Salvii predictus, viso titulo seu perventione, per dictam curiam Salvii formato contra dictum Johannem, cujus tenor talis est:

Anno Domini M° CCC° XXIX° et XXII die maii, pervenit ad audientiam curie Salvii domini nostri episcopi Magalonensis dominique Salvii, quod hoc anno, circa festum sancti Martini proxime lapsum, Johannes de Cumba castri de Ruppe Ayneria, veniens ad ovile animalium Bn. de *Perinhac* et Guillelmi de *Segalas* parrochie de Baucellis;

Et ausu suo temerario et Dei timore postposito, clam et occulte quandam ovem albam, signatam in auricula dextra signo, *bercat* sive *oscat* dicti Bndi de *Perinhac*, de dicto ovili, quod erat prope domum dicti Guillelmi de *Segalas* infra dictam bayliviam Salvii, accepit;

Et de baylivia Salvii predicta, auctoritate sua propria, extraxit et secum adduxit ad domum suam, quam habet in dicto castro, et sibi appropriavit rem alienam, contractando furtum et aliam penam, a jure statutam contra illos comitentes talia comittendo.

Visis etiam meritis totius predicte inquisitionis, et diligenter examinatis et discussis;

Habitoque super eis diligenti peritorum consilio et tractatu;

Nichilque de contingentibus pretermissis;

Ac die presenti precize et perhemptorie assignata dicto Johanni de Cumba ad audiendam sententiam super dicta

inquisitione, quam eandem presentem ipsi Johanni ad audiendum nostram difinitivam sententiam super dicta inquisitionis causa, ad cauthelam iterum precize et perhemptorie assignamus;

Sedentes pro tribunali in dicta curia Salvii, ubi jus reddi consuevit; sacrosanctis Dei evangeliis in nostro conspectu positis, ut de vultu Dei nostri rectum prodeat judicium, et oculi nostri in hiis et aliis semper videant equitatem; preposito venerabili Crucis signo: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

Quia constat nobis, judici predicto, per contenta in predicta inquisitione, te, dictum Johannem, fore culpabilem de et super contentis in dicto titulo seu perventione:

Idcirco, per hanc nostram difinitivam sententiam, quam ferimus solemniter in hiis scriptis, in XX[ti] solidis turonensibus, per te dandis et solvendis dicte curie Salvii dicti domini episcopi, condempnamus.

Et incontinenti predictus Johannes, a predicta sententia sentiens se gravatum, viva voce et in hiis scriptis appellavit ad prefatum dominum episcopum Magalonensem, seu ejus judicem appellationum, vel ad illum seu ad illos, ad quem seu quos predicta appellatio debet pervenire; petens cum instantia apostolos sibi concedi et tradi.

Et ibidem existens discretus vir dominus Guillelmus Clari, procurator et nomine procuratorio predicti domini episcopi Magalonensis, dixit dictum dominum judicem ipsum Johannem condempnasse debuisse in majori peccunie quantitate.

Et ideo a predicta sententia, in quantum dictus Johannes in minori pena quam deberet, extitit condempnatus, viva voce et in hiis scriptis appellavit ad prefatum dominum episcopum seu ejus judicem appellationum; petens cum instantia apostolos sibi tradi et concedi.

Et dictus dominus judex dictas appellationes admisit si et in quantum de jure fuerint admittende, concedens eisdem

appellantibus pro apostolis predictam suam sententiam, et totum processum dicte inquisitionis:

Prefigens eisdem appellantibus spatium unius mensis proximi ad prosequendum suas appellationes, et se presentandum cum suis appellationibus coram dicto domino judice appellationum.

Lata fuit hec sententia et emisse dicte appellationes in dicta curia Salvii: et fuerunt testes presentes dominus Guillelmus de Roveria, Bn. de Telicus jurisperiti, magister Petrus Auricule, Guillelmus de Rovoyranicis notarii, et plures alii, et ego Johannes de Deo, notarius publicus prefati domini nostri episcopi Magalonensis et dicte curie Salvii, qui predicta de mandato dicti domini judicis, et requisitus per dictum Johannem de Cumba, in libro ipsius curie scripsi et notam recepi, et in formam publicam redegi, et ad majorem firmitatem de predictis habendam signo meo signavi.

(Reg. B. fol. 202 v°).

MDXCVI. — 20 septembre 1329

Publication d'une lettre de Philippe de Valois.

Noverint universi quod anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo vicesimo nono, domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, et die vicesima mensis septembris, existens sive constitutus in curia regia Montispessulani, in presentia nobilis viri domini Hugonis de Carssano militis, rectoris regii Montispessulani, ac regentis sigillum curie regie dicti loci Montispessulani, magister Poncius Berengarii jurisperitus, procurator, ut dixit, et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini episcopi Magalonensis, presentavit coram dicto domino rectore et honorabili viro domino Johanne Ricardi jurisperito, judice regio Mon-

tispessulani, quasdam patentes litteras regias, magno sigillo regio sigillatas, quarum tenor talis est:

Philippus Dei gratia *etc., ut supra, p. 56 de ce tome.*

Quibus litteris presentatis, dictus procurator dicti domini episcopi petiit et requisivit contenta in predictis litteris adimpleri juxta continentiam et tenorem earumdem, petens de premissis sibi fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Et dictus dominus ac regens sigillum predictum, assidente sibi venerabili et discreto, circumspecto viro domino Johanne Ricardi jurisperito, judice regio Montispessulani, obtulit se paratum facere et adimplere contenta in litteris predictis juxta continentiam et tenorem earumdem.

Hec acta fuerunt in curia regia Montispessulani predicta, in presentia et testimonio venerabilis viri domini Stephani de Cabanis legum doctoris, magistri Petri de Bavio jurisperiti, et plurium aliorum, et mei Egidii Johannis, notarii regii publici Montispessulani et curie predicte, qui, requitus et rogatus, hec in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. E, fol. 52 v°).

MDXCVII. — 6 octobre 1329

Jacques Marc reconnaît tenir Boutonnet de l'évêque.

In nomine Domini. Amen. Anno ejusdem Nativitatis millesimo trecentesimo vicesimo nono, pontificatus sanctissimi patris et domini nostri, domini Johannis, divina providentia pape XXII^{di} anno quarto decimo, indictione duodecima, et die sexta mensis octobris, noverint universi quod presentibus testibus et notariis infrascriptis, ad hec vocatis speci-

aliter et rogatis, ego Jacobus Marci, filius quondam Bernardi Marci, neposque nobilis et venerabilis viri domini Johannis Marci, militis et legum doctoris, avi mei quondam, bona fide et absque omni dolo, cercioratus de jure et de facto plenius instructus, asserens me esse majorem quatuordecim annis, requisitus prius per vos, reverendum in Christo patrem et dominum, dominum Johannem. Dei gratia Magalonensem episcopum, ad infrascripta facienda, quod nos prefatus episcopus asserimus esse verum:

Ego, inquam, dictus Jacobus Marci, confiteor et in veritate recognoso vobis, dicto domino Johanni, Dei gratia Magalonensi episcopo, comiti Melgorii et Montisferrandi, quod ego teneo et tenere debeo a vobis et Ecclesia vestra Magalonensi, meique predecessores tenuerunt a vestris, et mei successores tenebunt et tenere debebunt a vobis et vestris successoribus, episcopis Ecclesie Magalonensis prefate, sub conditionibus infrascriptis:

Videlicet quicquid habeo in manso de Botoneto, excepto clauso suo. in quo est ecclesia. et duo orti cum quibusdam edificiis:

Qui clausus quondam fuit fratrum de Monte Carmeli; et ipsum habuere in alodio libero a Bernardo Gandaloni mercatore et Elia Garnerii pelherio, prout constat per quoddam publicum instrumentum, scriptum manu Petri Gaucelmi notarii, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, tertio idus marcii;

Qui clausus remaneat semper in alodio libero penes me et meos;

Qui mansus de Botoneto confrontatur ex una parte de via qua itur de Melgorio versus Montemferrarium, et ex alia parte de via qua itur de cimiterio Judeorum versus ecclesiam Sancti Cosme.

Pro quo manso teneor vobis et vestris successoribus, episcopis dicte Magalonensis Ecclesie, facere semel albergam quinque militibus, si requisitus fuero. vel successores mei fuerint requisiti, inter festum Natalis Domini et Carniprivium singulis annis;

Vel si ego vel mei successores requisiti dictam albergam facere nollem vel ipsi nollent. quod tenear et ipsi successores teneantur solvere pro predictis albergiis decem solidos melgorienses. scilicet pro alberga cujuslibet militis duos solidos: quibus solutis, sum liberatus a dictis albergiis.

Pro annis vero in quibus requisitus non fuero, seu successores requisiti non fuerint. inter dictum festum Natalis Domini et Carniprivium. nichil facere seu solvere teneamur.

Si vero ego vel mei successores totum dictum mansum cum suis pertinentiis alienaremus. nullo dominio. consilio, laudimio retento, vel usatico sive censu, in eo censu (=casu) tantummodo consilium et laudimium vestrum et vestrorum successorum requiratur; et alias consilium vestrum seu vestrorum successorum non requiratur:

Ymo sit licitum michi et meis successoribus dare in feudum, in emphiteosim seu in accapitum, res et possessiones dicti mansi, retento michi et meis dominio, consilio, et laudimio, et usatico sive censu parvo vel magno, prout voluero; et quod incursiones prediorum vel aliarum rerum dicti mansi, si ibi contingat fieri ex quacumque causa. ad me pertineant et ad meos.

Item, quod si contingeret quod ego vel mei successores divideremus inter nostros liberos vel heredes, vel ipsi successores inter vivos vel u[l]tima voluntate. etiam nullo nobis retento, quod hoc possimus facere sine consilio, dominio et laudimio vestro et vestrorum successorum, vobisque irrequisito.

Item, quod si ego vel mei successores alienaremus dictum mansum sive territorium de Botoneto. in aliquam personam. in solidum vel in parte, etiam nullo dominio. laudimio vel consilio retento sive censu, ex causa institutionis, vel legati vel donationis inter vivos vel causa mortis, quod hoc possimus facere sine consilio et laudimio vestro et successorum vestrorum, eisque irrequisitis.

Item, quod, facta alienatione in casibus. in quibus non requiritur consilium seu laudimium vobis, dicto domino

episcopo, quod ille seu illi in quem erit facta alienatio, possit, auctoritate propria, possessionem adipisci, nemine requisito.

Item, quod ego debeant (=debeam) et mei sucessores prestare sacramentum fidelitatis vobis, dicto domino episcopo, et vestris successoribus, tantum per hec verba: *Juro quod ego ero fidelis*: quod juramentum debeat prestari tantummodo in mutatione episcopi vel novi domini dicti mansi, si requisitus fuerit ab episcopo, et hoc infra mensem ex quo requisitus fuerit ab episcopo, et aliter non.

Quod sacramentum ego, prefatus Jacobus, vobis, memorato episcopo recipienti, facio de presenti, et nullum aliud servitium, exceptis dictis albergiis, teneor facere pro premissis.

Consimilique modo confiteor et in veritate recognosco vobis, dicto domino episcopo et comiti, me tenere a vobis et a dicta vestra Ecclesia ea omnia que emit mater quondam dicti dicti domini avi mei, ab uxore quondam Raimundi Costa, que sunt contigua dicto tenemento de Botoneto, sub conditionibus suprascriptis.

Acta fuerunt hec Avinione, in hospicio habitationis dicti domini Magalonensis episcopi, presentibus religioso viro domino Jordano de Monteolivo, canonico Magalonensi, dominis Bernardo Regis canonico Carpentoracensi, Stephano de Colvenghiis ecclesie Beate Marie de Roveria diocesis Nemausensis rectore, magistro Bernardo de Cabrespina, vocatis et rogatis testibus ad premissa, et me Petro de Camino, clerico Magalonensis diocesis, publico apostolica auctoritate notario, qui recognitioni et omnibus supradictis, dum, sicut premittitur, facta et dicta fuerunt, una cum prenominatis testibus personaliter interfui, eaque omnia assumpsi, scripsi et in publicam formam manu propria redegi, signoque meo solito, quo utor auctoritate predicta, sequenti signavi, per prefatum dominum episcopum et etiam per dictum Jacobum Marci rogatus ac etiam requisitus in testimonium premissorum.

Constatque michi, dicto notario, de prepositione quam interlineavi in XXIIII linea, *de*.

(Reg. E, fol. 124 v°).

MDXCVIII. — 15 novembre 1329

Philippe de Valois se plaint de ce que ses officiers ont donné à acapte des terres alodiales de l'évêque.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri vel ejus locum tenenti, salutem.

Ad supplicationem dilecti et fidelis nostri episcopi Magalonensis, asserentis quod certa bona alodalia, in sua alta et bassa jurisdictione consistentia, sibi confiscata propter foris facturam Deodati Subquieni, cujus dicta bona fuisse dicuntur, vos aut alie gentes nostre senescallie vestre Johanni Cathalani, Jacobo Veziani et Guillelmo *Vilas* in emphiteosim, sub certo censu annuo nobis prestando, tradidistis in ipsius episcopi grave prejudicium, sicut dicit;

Mandamus vobis quatenus procuratorem nostrum dicte senescallie et dictos amphiteotas adjornetis ad dies ejusdem senescallie presentis parlamenti, audituros requestam quam super hoc dictus episcopus curie nostre duxerit faciendum, et processuros super hoc ulterius ut juris erit; et vos etiam ad dictos dies comparentes de adjornamento predicto curiam certificetis antedictam.

Datum Parisius, quintadecima die novembris, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo nono.

(Reg. E, fol. 265 v°).

MDXCIX. — 7 décembre 1329

Condamnation par la cour de Sauve de Pons Guiraud, qui, avec ses complices, avait frappé un homme.

Ad quam diem causarum inquisitionum curie Salvii, que fuit anno Domini M° CCC° vicesimo nono. et septima die mensis decembris, domino Philippo rege Francorum regnante, et domino Johanne, Dei gratia Magalonensi episcopo dominoque Salvii presidente, et que tenebantur per venerabilem virum dominum Guiraudum Cavallerii jurisperitum, judicem Salvii pro dicto domino episcopo, et que dies extiterat per dictum dominum judicem assignata precise et perhemptorie Poncio Guiraudi de Royreto, seu ejus procuratori, ad audiendam sententiam, in quadam inquisitionis causa, factam contra ipsum Poncium per dictam curiam Salvii, comparuit in dicta curia. coram dicto domino judice. dictus Poncius Guiraudi, petens sententiam ferri in presenti inquisitione per dictum dominum judicem, juxta presentis diei assignationem.

Et dictus dominus judex interrogavit dictum Pontium Guiraudi, si volebat aliquid dicere, proponere, hostendere seu probare in predicta inquisitione ad sui deffentionem.

Qui dixit et respondit quod non, sed petit sententiam ferri prout supra.

Et predictus dominus judex juxta presentis diei assignationem ad suam diffinitivam super dicta inquisitionis causa sententiam processit, in modum qui sequitur infrascriptum:

Ad hec nos Guiraudus Cavallerii jurisperitus, judex Salvii predictus, visis titulis seu perventionibus dicte inquisitionis contra dictum Pontium Guiraudi formatis per dictam curiam, quorum tenores tales sunt:

Anno Domini M° CCC° vicesimo octavo et tertia die mensis marcii, domino Philippo rege Francorum regnante, et do-

mino Johanne, Dei gratia episcopo Magalonensi dominoque Salvii presidente, clamore valido famaque publica refferente, pervenit ad audientiam curie Salvii domini nostri Magalonensis episcopi et domini Salvii, quod in proximo veniente festo Assensionis Domini, circiter duo anni vel circa, quodam die lune post dictum festum, Poncius Guiraudi de Roureto, una cum quibusdam suis complicibus in hac parte, videlicet Budo Moynerii, et Raimundo Cola de Cerinhaco, et Petro Salviani de Heuseto, et Raimundo *Bedos*, et nonnullis aliis, armatis diversis armorum generibus, venerunt ad quandam vineam Budi Sabaterii de Leuco, situatam infra jurisdictionem et districtum de Leuco, dicti domini nostri Magalonensis episcopi et condominorum dicti loci juxta seu prope garrigas de Leuco, confrontatas cum carreria qui itur de Salvio versus Rouretum, et cum aliis terris dicti Budi Sabaterii in aliis partibus;

Et animo deliberato et sua temeritate propria, ac pensatis et preparatis insidiis, impetuose irruentes cum dictis armis in personam Guillelmi Garona, parrochie de Leuco, in dicta vinea fondentem (=fodientem), et nullum malum facientem, ipsum Guillelmum ceperunt, et ligaverunt, et captum per vim et violentiam de dicta vinea et jurisdictione predicta ejesserunt, ipsum percussiendo, verberando et male tractando, eo quia de dicta vinea et jurisdictione predicta exire et cum eis recedere recusabat;

Et ipsum ad castrum de Serinhaco duxerunt, in carcerem dicti loci incarceraverunt, et eidem Guillelmo Garona infra dictam vineam et jurisdictionem predictam de Leuco dicti domini Magalonensis episcopi preceperunt quod non moveret; et se, diversis vicibus et sub diversis penis, utendo in predictis jure et officio magistratus infra dictam jurisdictionem, in magnum prejudicium et vituperium juris et jurisdictionis dicti domini episcopi, et etiam lesionem, crimen lese magestatis et falsi, cum nullam super hoc haberent potestatem, temere comittendo et carcerem privatum faciendo.

Item pervenit ad dicte curie Salvii audientiam, quod de

omnibus et singulis est vox et fama publica, in dicta parrochia de Leuco, et in villa Salvii et locis circumvicinis:

Visis etiam respontione et confessione, per dictum Pontium factis, ad dictos titulos seu perventiones;

Visis etiam meritis totius dicte inquisitionis, et cum sufficienti deliberatione discussis diligenter et examinatis, nichilque de contingentibus pretermisso, habitoque super eis diligenti consilio peritorum et tractatu;

Dieque presenti dicto Pontio seu ejus procuratori, per nos assignata precize et perhemptorie, ad audiendam nostram super nostra dicte inquisitionis causa sententiam, quam eandem diem presentem ad audiendam nostram super predictis sententiam ad cauthelam precize et perhemptorie dicto Pontio Guiraudi, presenti et sententiam ferri postulanti, iterum et denuo assignamus;

Sedentes pro tribunali in dicta curia, ubi jus reddi consuevit;

Sacrosanctis Dei euvangeliis in nostro conspectu positis, ut de vultu Diei (=Dei) nostrum rectum prodeat judicium, et occuli nostri in hiis et aliis semper videant equitatem;

Prece[dente] venerabili Crucis signo: *In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen.*

Quia constat nobis, judici predicto, per respontionem et confessionem per te dictum Pontium factas in predicta inquisitione, te fore culpabilem de et super contentis in perventionibus predictis, per dictam curiam contenta et formata;

Idcirco per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam ferimus sollempniter in hiis scriptis, te, dictum Pontium Guiraudi presentem, et sententiam seu (=ferri) postulantem, in viginti libris turonensibus, per te dandis et solvendis dicte curie Salvii dicti domini Magalonensis [episcopi], condempnamus.

A qua quidem sententia predictus Pontius incontinenti, viva voce et in hiis scriptis, provocavit et appellavit ad prefatum dominum Magalonensem episcopum, seu ejus judicem

appellationum, vel ad illum ad quem presens appellatio debet de jure pervenire;

Petens cum instantia apostolos sibi concedi et tradi.

De quibus petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Et ibidem existens discretus vir, dominus Durantus Catherini jurisperitus, procurator et nomine procuratorio prefati domini nostri Magalonensis episcopi dominique Salvii, dixit dictum dominum judicem, salva ejus reverentia, dictum Poncium delatum in majori peccunie quantitatem debuisse pro predictis condempnasse.

Et ideo idem dominus procurator a dicta sententia, in quantum dictus delatus est condempnatus in minori peccunie quantitate quam deberet, ut dixit, viva voce et in hiis scriptis provocavit et appellavit ad dictum dominum Magalonensem episcopum, seu ejus judicem appellationum;

Petens cum instantia apostolos sibi, quo supra nomine, concedi et tradi.

Et prefatus dominus judex dictas appellationes non admisit, nisi si et in quantum de jure sunt admittendum; concedens dictis appellantibus pro apostolis presentem suam sententiam et totum processum dicte inquisitionis; prefigens ipsis appellantibus spatium unius mensis proximi, ad presentandum se, cum dictis suis appellationibus, coram dicto domino episcopo, seu ejus judice appellationum, pro suis appellationibus predictis prosequendis.

Lata fuit hec sententia et emisse dicte appellationes in dicta curia Salvii, dicto domino judice pro tribunali sedente; et fuerunt testes presentes domini Guillelmus Raimundi miles, vicarius Salvii, Bernardus de Teticus jurisperitus, Arnaldus de Monte olivo domicellus, magistri Guillelmus de Rovoyranicis, Petrus Auricule, Petrus Maurini, Johannes Fabri notarii Salvii, et plures alii, et magister Johannes de Deo, notarius publicus Salviensis prefati domini Magalonensis episcopi, qui, mandato dicti domini judicis, et requisitus per dictos Poncium et dominum Durantum, nomine

quo supra, predicta omnia in libro dicte curie scripsit publice et notavit.

Vice cujus et mandato *etc*.

(Reg. C. fol. 152 r°).

MDC. — 23 décembre 1329

Philippe de Valois défend d'arrêter les clercs, quand le délit relève de la justice de l'évêque.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri vel ejus locum tenenti, ceterisque justitiariis nostris ad quos presentes littere pervenerint salutem.

Ad supplicationem dilecti et fidelis nostri episcopi Magalonensis, mandamus vobis et vestrum cuilibet, quatenus dictum episcopum seu ejus gentes quominus clericos, in ejus diocesi commorantes et delinquentes ibidem, in pocessionem clericatus existentes, licet aliqua officia nostra teneant, pro delictis et ex[c]essibus per eos commissis, quorum ad ipsum cognitionem pertinere noveritis, capere, [ar]restare, corrigere, punire, ut ad eos pertinuerit, valeat, impedire nullathenus presumatis.

Datum Parisius vicesima tercia die decembris, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo nono.

(Reg. C, fol. 35 v°).

MDCI. — 23 décembre 1329

Philippe de Valois veut que les bourgeois du roi relèvent de l'évêque, s'ils ont commis le délit dans sa juridiction.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri seu ejus locum tenenti, salutem.

Conquestus est nobis dilectus et fidelis noster episcopus Magalone, quod rector noster Montispessulani homines terre et jurisdictionis sue, ubi omnimodam altam et bassam justitiam habet, eo non consentiente, recipit in nostros burgenses partis nostis (=nostre) Montispessulani: propter quod impeditur idem episcopus tales receptos de comissis ab ipsis in jurisdictione sua, ante receptionem eorum et post, ex[e]essibus corrigere et punire.

Quocirca vobis mandamus quatinus, virtute hujusmodi burgesiarum, ipsum a modo non impediatis nec impediri permittatis, quominus tales ipsius homines de comissis ab eis in sua jurisdictione ante receptionem illorum in dictas burgesias possit facere justitie complementum: eos autem qui, post sui receptionem, in ipsius episcopi delinquerint [juris]dictione, sibi remittatis ab ipso si vos inde requisiverit puniendos.

Datum Parisius, die XXIII decembris, anno Domini millesimo CCC° vicesimo nono.

(Reg. C, fol. 35 v°).

MDCII. — 23 décembre 1329

Philippe de Valois interdit aux sergents royaux d'instrumenter dans les terres de l'évêque.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri ac rectori nostro Montispessulani, vel eorum loca tenentibus salutem.

Mandamus vobis et vestrum cuilibet, quatenus expresse inhibeatis omnibus servientibus nostris, ne ipsi, in terra et jurisdictione dilecti et fidelis nostri episcopi Magalone, in qua noveritis ipsum habere omnimodam altam et bassam justitiam; sergentare vel aliquod officium sergentarie exercere presumant, nisi in casibus rationabiliter ad nos pertinentibus.

Quod si contra fecerint, eosdem servientes taliter puniatis et corrigatis, ne de cetero super hoc ad nos aliqua referatur querela.

Datum Parisius, die vicesima tertia decembris, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo nono.

(Reg. C, fol. 34 v°).

MDCIII. — 23 décembre 1329

Philippe de Valois défend à ses officiers de faire aucun acte de justice sur les terres de l'évêque.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri vel ejus locum tenenti, salutem.

Sua nobis fecit gravi conquestione monstrare dilectus et fidelis noster episcopus Magalonensis, quod vos, vicarius Aquarum Mortuarum et Sumidarum (*sic*), ac rector Montis-

pessulani baronibus seu dominis terrarum, qui de ressorto dicti episcopi sunt mandata facitis et precepta, et in terra in qua dictus episcopus omnimodam altam et bassam habet justitiam, citationes, exequtiones, et alia explecta justitie fac[i]tis, dicto episcopo vel ejus gentibus minime requisitis, nec existentibus in deffectu.

Quare vobis mandamus, quatenus in terris, in quibus dictum episcopum vel ejus subditos omnimodam altam et bassam justitiam, et in eis, in quibus ipsum episcopum ressortum immediaue habere noveritis, non permitentes (=permittatis) in eorum prejudicium aliquas exqutiones fieri per nostros ministros, nec servientes nostros serjantare, vel aliquod servientium officium exercere, nisi in casibus ressorti nostri vel alias ad superioritatem nostram spectantibus: si contrarium fecerint contra servitorum nostrorum (=litterarum nostrarum) tenorem, taliter puniendo, pro (=quod) trahatur in aliis in exemplum.

Datum Parisius, die vicesima tertia decembris, anno Domini millesimo CCC° vicesimo nono.

(Reg. C, fol. 42 r° et D, fol. 78 r°).

MDCIV. — 23 décembre 1329

Philippe de Valois interdit de mettre la temporalité de l'évêque sous la main du roi, sans son ordre.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri vel ejus locum tenenti, salutem.

Mandamus vobis, quatinus cum in bonis dilecti et fidelis nostri episcopi Magalonensis, ex quavis causa, apponi contigerit manum nostram, ad decimas spirituales fructusque e[ar]undem, seu ad alia spiritualia ejusdem episcopi seu spiritualibus annexa, dictam manum extendere nullathenus permittatis.

Manum etiam ipsam in bonis ipsius temporalibus, contra tenorem privilegiorum, prelatis regni nostri Francorum per predecessores nostros concessorum, nullathenus apponentes, nisi de speciali mandato nostro, vel parte ipsius episcopi prius vocata et cognitione judiciorum precedente, amota etiam omni, si contingat apponi, multitudine servientium.

Datum Parisius, vicesima tertia die decembris, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo nono.

(Reg. D, fol. 185 r° et C, fol. 35 r°).

Le reg. D offre au début cette variante, aussitôt après la formule de salutation:

Mandamus quatenus temporalitatem dilecti et fidelis nostri episcopi Magalonensis, ex quavis causa, apponi contingerit [ad] manum nostram, ad decimas spirituales *etc.*

MDCV. — 23 décembre 1329

Philippe de Valois renouvelle sa lettre sur les clercs.

Philippus, Dei gratia Francorum et Navarre rex, senescallo Bellicadri aut ejus locum tenenti, ceterisque justiciariis nostris dicte senescallie, ad quos presentes littere pervenerint, salutem.

Dudum per alias nostras litteras, dum regna Francie et Navarre regebamus, vobis mandasse dicimur in hac forma:

Philippus, Valesii et Audegavie comes, *etc*: *ut supra* T. IV, p. 711.

Quare mandamus vobis et vestrum cuilibet, quatenus predicta omnia et singula, contenta in dictis litteris, sic com-

plere et exequi sine difficultatis obstaculo studeatis, quod in vestro deffectu idem episcopus ad nos propter hoc amodo non recurrat.

Datum Parisius, die vicesima tertia decembris, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo nono.

(Reg. E, fol. 56 r°).

MDCVI. — 24 décembre 1329

Philippe de Valois reconnaît à l'évêque le droit de déclarer les fiefs de ses vassaux tombés en commis.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri aut ejus locum tenenti, salutem.

Ad supplicationem dilecti et fidelis nostri episcopi Magalonensis, mandamus vobis quatenus ipsum et gentes suas non impediatis nec impedire permittatis, quominus terras, domos, possessiones, jurisdictiones, et castra, que ab ipso episcopo in emphiteosim aut in feodum per quascumque personas tenentur, valeant, tanquam ipsi episcopo commissa occasione canonis non soluti, seu recognitionis non facte, aut homagii et sacramenti non prestitorum, vel rebellionis seu felonie per quoscumque vassallos suos contra eum seu Ecclesiam suam Magalonensem comisse, capere, prout de jure seu patrie consuetudine fuerit faciendum: impedimentum, si quod eidem super hoc fuerit appositum, sine difficultate qualibet amoventes, non obstantibus quibuscumque litteris subreptitiis, impetratis in contrarium vel impetrandis.

Datum Parisius, die vicesima quarta decembris, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo nono.

(Reg. E, fol. 149 r° et 277 v°, et C, fol. 35 r°).

Le reg. E, folio 149 porte la date du 23 décembre; les deux autres celle du 24 décembre.

MDCVII. — 30 décembre 1329

Philippe de Valois reconnaît à l'évêque le droit de justice sur les monnayeurs de Melgueil.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri, vel ejus locum tenenti, salutem.

Conquestus est nobis dilectus et fidelis noster episcopus Magalonensis, comes Melgorii, quod cum sui monetarii, oriundi de castro de Melgorio, ubi dictus episcopus omnem altam et bassam justitiam ac jus cudendi monetam, vocatam melgoriensem, habere dicitur, consueverint pro quibuscumque, per eos infra dictam justitiam comissis, criminibus et excessibus per episcopum Magalonensem aut ejus curiales temporales corrigi et puniri, ac contribuere talliis et collectis communibus cum aliis habitatoribus dicti castri:

Idemque episcopus sit ac ejus predecessores ab antiquo fuerint in possessione vel quasi exercendi in ipsos monetarios, per se aut ejus curiales, omnimodam altam et bassam justitiam, et eos compellendi ad contributionem predictam;

Dicti monetarii nuper, pretextu quorumdam privilegiorum regiorum, tacito de dicta possessione monetariis regni nostri generaliter concessorum et postmodum confirmatorum, a dicta justitia memorati episcopi, preterquam in tribus casibus, et a dicta contributione se eximere satagentes, et dictum episcopum in sua possessione predicta impedire nitentes, per vos ordinari sententialiter seu pronunciari procurarunt, quod eis, nisi aliud mandatum regium super hoc haberetis, dicta privilegia servarentur.

Et licet postmodum vobis per alias litteras mandatum fuerit, quod dictum episcopum in dicta sua possessione non turbaretis per vos aut alias quomoolibet, sed ipsum manu-

teneritis in illa, non obstantibus privilegiis antedictis, et revocaretis quicquid per vos esset in contrarium super hoc ordinatum, vos tamen mandato hujusmodi parere dicimini noluisse; sed involvendo ipsum episcopum super premissis in diversos processos, ipsum impediri permittitis in dicta possessione indebite et injuste.

Cum igitur non sit nostre intentionis quod, propter privilegia surrepticia, dictus episcopus in possessione predicta turbetur, mandamus vobis quatenus si, vocatis evocandis, summarie et de plano vobis constiterit de possessione predicta, et quod in illis privilegiis aut confirmationibus eorum tacitum fuerit de eadem, dictum episcopum, amoto impedimento quolibet, manuteneatis in illa juxta dictarum litterarum regiarum, de quibus liquebat, continentiam et tenorem, non obstantibus dictis privilegiis ac ordinatione inde sequta, et litteris quibuscumque de presentibus, tacito vel alias surrepticie impetratis in contrarium vel etiam impetrandis: taliter id acturi quod idem episcopus ad nos redire ulterius super hec non cogatur.

Datum Parisius, die XXX decembris, anno Domini millemo CCC^{mo} vicesimo nono.

(Reg. F, fol. 179 r°; C, fol. 40 r° et 93 r°).

MDCVIII. — 2 mars 1329 (n. s. 1330)

Publication d'une lettre de Philippe de Valois.

Anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo vicecesimo nono, scilicet sexto nonas marcii, domino Philippo Francorum rege regnante, et domino Johanne, Dei gratia Magalonensi episcopo, comite Melgorii ac domino Montisferrandi presidente, existens in claustro episcopali domini Magalonensis episcopi, coram nobili viro domino Gervasio de Calatorio, domicello ac vicario castri Melgorii, Jacobus

Fabri notarius, procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Johannis, Dei gratia Magalonensis episcopi, in remotis agentis, prout de dicta dixit constare procuratione per quasdam patentes litteras, in papiro scriptas, venerabilis et religiosi viri domini Bernardi de Texeriis, canonici Magalonensis, prioris prioratus Sancti Dyonisii Montispessulani, vicarii generalis dicti domini Magalonensis episcopi, que incipiunt in tertia linea *episcopi*, et finiunt in eadem *presentium*, sigillo cereo ejusdem domini vicarii in dorso sigillatas, ut prima facie apparebat, presentavit eidem domino vicario quasdam patentes litteras nobilis viri domini Francisci Aycardi, vicarii et castellani Aquarum Mortuarum, sigillo ejusdem in dorso sigillatas, quarum tenor talis est:

Franciscus Aycardi, serviens armorum domini nostri Francorum regis, ejusque vicarius et castellanus Aquarum Mortuarum, vicariis Lunelli et Melgorii, et eorum alteri, vel eorum locum tenentibus, salutem.

Litteras patentes recepimus sub hac forma:

Bndus de Languissello miles, Albasii dominus, locum tenens domini senescalli Bellicadri et Nemausi, rectori regio Montispessulani, necnon et vicariis Aquarum Mortuarum et Sumidrii, vel eorum alteri, vel eorum loca tenentibus, salutem,

Litteras patentes regias recepimus sub hiis verbis:

Philippus, Dei gratia *etc. ut supra p. 65 de ce tome.*

Quocirca vobis mandamus, quatenus, ut etiam prout ad vos pertinuerit seu (=eos) citari faciatis, et prout vobis sunt in dictis litteris nominati, et etiam adjornetis ad dies senescallie predicte, juxta dictarum litterarum continentiam et tenorem.

Datum Nemausi, vicesima sexta die februarii, anno Domini millesimo tricentesimo vicesimo nono.

Reddite litteras sigillatas.

Quarum litterarum auctoritate, vobis, vicario Melgorii, districte precipimus et mandamus, qualenus citationem contentam in dictis litteris de dicto Guillelmo *Vilar* faciatis, juxta dictarum litterarum seriem et tenorem; et vos, vicarius Lunelli, seu vester locum tenens dictam citationem, contentam in dictis litteris, de dicto Jacobo Vesiano, subdito vestro, faciatis, juxta dictarum litterarum seriem et tenorem.

Datum in Aquis Mortuis, die prima martii, anno Domini millesimo tricentesimo vicesimo nono.

Reddite litteras sigillatas, in signum citationis predicte factum, sigillo curie vestre.

Quibus presentatis et lectis, requisivit idem procurator dictum dominum vicarium Melgorii, ut contenta in dictis litteris adimpleat.

Et dictus dominus vicarius, visis et intellectis dictis litteris, dictum Guillelmum *Vilar* ad se venire fecit, et ipsum ore proprio citavit, juxta continentiam predictarum litterarum et tenorem.

Et dictus Guillelmus *Vilar* dixit se ita fore pauperem, quod non habet expensas, cum quibus ire posset Parisius.

De quibus omnibus dictus procurator petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Actum Melgorii, in presentia et testimonio Raimundi de Gamago, Gallardi de Bossenaco, et mei Bndi Cathalani, notarii Melgorii publici, qui requisitus hec scripsi et signo meo signavi.

(Reg. E, fol. 264 v°).

MDCIX. — 25 mars 1330

Échange entre le seigneur de Corconne et Durant de Vaucrose.

Anno Domini M° III° tricesimo, et XXV die mensis marcii, domino Philippo rege Francorum regnante, noverint universi quod ego Bl. Regis miles, dominus de Corcona et de Vaqueriis, pro me et meis successoribus..., escambio seu permuto... tibi Duranto de Vallecrosa Sabareno, habitatori de Corcona.... recipienti pro te et tuis, seu quibus volueris, videlicet duo sestaria ordei mercatalia ad mensuram Salvii, sine dominio aliquo directo, de illis quinqe sestariis et emina ordei mercatilibus, que et quam tu michi donas et facis de censu, singulis annis in festo sancti Michaelis, pro censu et dominio cujusdam terre, quam tenes et possides in parrochia de Corcona, vocate campum de *Gag*, quam a me accaptasti sub censu annuo septem sestariarum et emyne ordei mercatalium, prout incartatum fuit per magistrum R. de Manso, notarium condam regium.

Et confrontatur cum terra Bertrandi *Alayrac*, et cum terra Petri *Gili del Peyron*, et cum terra Guiraudi Rostagni, et cum terra Bndi de Carmallo.

Ita quod pro dicta terra, ab inde in antea, non dabis michi nec meis solum tria sestaria et emynam ordei mercatalia ad mensuram Salvii: et dictis tribus sestariis et emyna michi et meis solum retentis in dicta terra, cum dominio directo, laudimio, concilio, pretatione et avantagio in duo sestaria ordei.

Ex dictis quinque sestariis et emyna michi dat de censu annuatim, in dicto festo, Bndus de Carmallo de Corcona pro censu alterius terre vocate campum de *Gag*, contigue dicte terre superius confrontate, quam tu eidem Bndo vendidisti, prout est incartatumu per P. Maurini, notarium infrascriptum:

Ita quod, titulo dicti escambii et venditionis, facte dicto Bndo de Carmallo, pro dicta terra supra confrontata, non dabis nec solves de censu nisi dicta tria sestaria et eminam ordei mercatalia, ex causis predictis supra expressatis.

Te et tuos, et dictam terram aquitio et absolvo pro me et meis omnino imperpetuum cum effectu, pro predictis IIII[or] sestariis ordei sine dominio mercatalibus:

Et pactum de non petendo a modo aliquid a te seu tuis, occasione dictorum IIII[or] sestariorum ordei, diminutorum de majori censu VII sestariorum et emyne ordei mercatalium pro dicta terra, ut supra expressum est, tibi stipulanti et tuis pro me et meis facio perpetuum et reale nunc et semper, salvo tamen et retento michi et meis solum in dicta terra, dominio directo, laudimio, concilio, prelatione et avantagio, et solum de censu, singulis annis in dicto festo sancti Michaelis, dictis tribus (*déch. 4 cent.*).

Ego dictus Durantus de Vallecrosa, recipiens et acceptans a vobis, dicto (*déch. 4 cent.*) sestaria ordei sine dominio, et escambui, modo et forma predictis, pro (*humidité 3 cent. et déch. 3 cent.*) nibus, non errans in jure nec in factum, sed potius ad infrascripta (*humid. et déch. 5 cent.*) [fi]de et sine dolo, et omni fraude remota, titulo similis scambii (*humid. et déch. 5 cent.*) seu permuto, concedo, trado et quasi tra[do] nunc et in perpetuum, visa (*humid. et déch. 6 cent.*) vobis, dicto domino Bt. Regis militi, domino de Corcona et de Vaqueriis, presenti, stipulanti, (*déch. 2 cent.*) pienti pro vobis et vestris, seu quibus volueritis, videlicet duo sestaria ordei mercatalia ad [mensuram] Salvii, cum dominio directo, laudimio, concilio, prelatione et avantagio, vobis et vestris, annis singulis in dicto festo sancti Michaelis, solvenda pro censu et dominio duarum peciarum terrarum infra confrontatarum.

De quibus siquidem duobus sextariis ordei, Stephanus *Gili* de Corcona dabit (=dabat) michi unum sestarium ordei pro censu et dominio cujusdam pecie terre, site in parro-

chia de Corcona, in loco dicto *Vinha* (*blanc 2 cent.*); et confrontatur cum terra P. Guillelmi de *la Vilata* de Calvesanicis, et cum terra Guillelmi *Gili* de Corcona. et cum terra Vincentii Bertrandi de Aquabella, et cum terra Stephani Fabri de Quintiaco.

Et aliud sestarium ordei michi dabat, singulis annis in dicto festo. pro censu et dominio cujusdam pecie terre, quam tenet et possidet Jacobus *Gili* de Corcona, in parrochia de Brodeto, in loco dicto *ad Avazan* Bt.; et confrontatur cum terra Bndi Raymundi de *lalb* (*sic*), et cum terra Bn. Boysserii condam pro uxore, et cum terra P. Boneti. et cum camino publico Montispessulani.

Promittens vobis. dicto domino Bt. stipulanti, et vestris per pactum expressum, quod de dictis duobus sestariis ordei. vobis et vestris annuatim in dicto festo solvendis, cum dicto directo dominio, laudimio. concilio, prelatione et avantagio, cum omni securitate faciam. et procurabo cum effectu fieri plenariam recognitionem, cum publico instrumento, ad vestram seu vestrorum voluntatem et simplicem requisitionem, per prenominatos Stephanum *Gili* et Jacobum *Gili*, per quemlibet eorum unius sestarii ordei. cum dicto directo dominio in qualibet earum terra supra confrontata.

Quibus et eorum cuilibet, tenore hujus publici instrumenti, dono in mandatis faciendi de dictis terris pro terra cujuslibet. cum dicto censu et dominio ad vestram voluntatem et simplicem requisitionem faciendi plenariam requisitionem (=recognitionem).

Et nisi predicta fecero et complevero, ut est dictum, inde vos seu vestri dampnum aliquod seu gravamen passi fueritis, sive expenas aliquas feceritis in judicio vel extra, illud et illas omnes. cum omni interesse vestro, vobis stipulanti et vestris successoribus reddere, restituere ac plenarie cum omni effectu restaurare promitto, in vobis crediturus, super predictis dampno et expensis. vestro simplici verbo, sine sacramento et alio genere probationis.

Inde omnia bona et jura mea presentia et futura, pro pre-

dictis vobis et vestris stipulantibus obligo et suppono cum omni effectu:

Facta fuerunt hec escambia inter dictas partes, jure evictionis hinc inde servato, et nomine evictionis sibi ad invicem omnia bona et jura sua obligaverunt cum omni effectu.

Promittentes sibi ad invicem dicte partes stipulantes, quod unus alterum faciet suum escambium et suos habere, tenere et in pace possidere ab omni persona contradicente, proferendo se in judicio et extra, contra quamlibet personam, in predictis escambiis aliquam questionem unius alterius vel litem moventem seu etiam facientem.

Concedentes sibi ad invicem dicte partes stipulantes, quod quisque ipsorum sui escambii corporalem possessionem apprehendat, et quousque hoc fecerit una pars pro altera, et suo nomine se constituit suum escambium possidere seu quasi; et si plus valent predicta escambia unius quam alterius, vel in futurum valere poterit duplum seu amplius, illud totum quantumcumque sit vel esse poterit, sibi ad invicem donaverunt donatione facta inter vivos.

Promittentes sibi ad invicem dicte partes stipulantes, se nichil fecisse... quominus omnia universa et singula obtineant perfecte atque perpetue firmitatis [roborem], et quod ita omnia suis (*déch. 2 cent.*) sa et singula prout quamlibet partem tangit, pro se et suis firmiter et inviolabiliter teneant, compleant (*déch. 2 cent.*) tendant et observent et observari semper et perpetuo faciant, contraque jure aliquo seu ratione vel (*déch. 1 cent.*) aliquo non veniant seu faciant per se seu per alium.

Et renunciaverunt dicte partes ex certa scientia a[cti]oni in factum et exceptioni doli et fraudis, et generali clausule *si qua justa causa michi esse videbitur*, et om[ni] alii juri, rationi et defensioni, quo vel quibus contra predicta vel aliquid predictorum venire seu facere possent... sub obligatione et ypotheca omnium bonorum suorum...

Actum Corcone in domo dicti nobilis; testes fuerunt Stephanus *Gili*, Budus Fulconi, P. *Gili*, Jacobus *Gili*, Grimoar-

dus de Molhaco, Guiraudus Guiraudi, P. Forerii de Corcona, et ego P. Maurini de (*mot effacé*), Nemausensis dyocesis, auctoritate regia notarius, qui, mandato et requisitione partium predictarum, predicta omnia scripsi et notavi, et, ad majorem de predictis firmitatem habendam, signo meo signavi solito et consueto.

(Reg. D. fol. 323 v°).

MDCX. — 25 mars 1330 (*I. A.*)

Reconnaissances faites au seigneur de Corcone.

Anno Domini 1330, et 25 die marcii, Raymunda, filia Petri de Crecio de Corcona, jurata, recognovit Bertrando Regis militi, domino de Corcona et de Vaqueriis, se tenere ab ipso in acapitum, sub ejus directo dominio, laudimio, consilio, prelatione et avantagio, peciam terre cum omnibus juribus, in qua est vinea: et confrontatur cum terra Bn. *Folchran*, et cum terra Stephani Fredoli, et cum orto Vincentii *Fanabregol*, et cum terra Petri Ruffi: quam emit hodie a Duranto de Vallecrosa: pro qua dare debet annuatim, in festo sancti Michaelis, duo sestaria ordei, que promittit portare in domo ejus apud Corconam.

Actum Corcone: testes fuerunt Stephanus *Gili*, Bn. *Folchran*, P. *Gili*, Jacobus *Gili*, Grimoardus de Malhaco, P, *Gili*, Guiraudus Guiraudi, P. Ferrerii de Corcona: P. Maurini, notarius Salvii, scripsit.

(Reg. D, fol. 322 v°).

MDCXI. — Anno Domini 1330, et 25 die marcii. Stephanus *Gili* de Corcona, juratus, de mandato Duranti de Vallecrosa presentis, recognovit Bertrando Regis militi, domino de Corcona et de Vaqueriis (*fol. 323 r° haut, déchirure sur*

un espace de 10 cent. sur 5; il s'agit d'un échange: les parties essentielles de l'acte ont disparu. On y voit seulement qu'il est question d'un setier d'orge à saint Michel. Voir le n° 1609

Actum, testes et notarius ut supra.

(Reg. D, fol. 322 v°).

MDCXII. — Anno Domini 1330, et 25 die marcii, Bernardus de Carmallo de Corcona recognovit Bertrando Regis militi, domino de Corcona et de Vaqueriis, se tenere in acapitum sub ejus directo dominio, laudimio, consilio, prelatione et avantagio, peciam terre in parrochia de Corcona, loco dicto *Camp gach*, confrontatam cum carreria publica qua itur de Sancto Felice de Vetula versus Nemausum, cum terra Alasacie Rostagne, et cum terra Duranti de Vallecrosa, prout est bolatum; pro qua dat de censu, in festo sancti Michaelis duo sestaria ordei mercatalia ad mensuram Salvii.

Actum Corcone; testes Stephanus *Gili*, Bndus Folcranni, Petrus *Gili*, Grimoardus de Malhaco, Petrus *Gili*, Guiraudus Guiraudi, Petrus Ferrerii; Petrus Maurini, notarius regius Salvii, scripsit.

(Reg. D, fol. 230 r°).

MDXIII. — 16 mai 1330

Le sénéchal de Beaucaire soumet les monnayeurs de Melgueil à la juridiction de l'évêque.

Noverint universi quod nos, Matheus de Trabe, legum doctor, officialis Magalonensis, vidimus, tenuimus et de verbo ad verbum legimus ac perscrutati fuimus quoddam instrumentum, in sui prima figura publicum, non viciatum, non cancellatum, abolitum, vel alias in aliqua sui parte suspec-

tum, receptum, subscriptum et signatum manu et signo magistri Rostagni de Peyreria notarii regii, ut prima facie apparebat, et sigillatum sigillo autentico domini rectoris regii Montispessulani, quod ad requisitionem domini Raymundi Tornerii, procuratoris reverendi in Christo patris et domini nostri, domini Arnaldi, Dei et Apostolice Sedis gratia episcopi Magalonensis, hic transcribi de verbo ad verbum fecimus, nil addito vel diminuto de eodem: cujus tenor talis est:

Post predicta, anno Domini millesimo trescentesimo tricesimo, et XVI die mensis madii, domino Philippo rege Franco-regnante, noverint universi quod in curia nobilis et potentis viri domini Hugonis Quiereti, militis domini regis, senescalli Bellicadri et Nemausi, penderet controversia, questio seu debitum (=debatum) inter procuratorem reverendi in Christo patris domini Magalonensis episcopi ex una parte, et monetarios Melgorii ex altera:

Et in processu agitato in dicta curia inter dictas partes, pars dicti domini episcopi exhibuisse[t] et produxisset quasdam patentes litteras regias, sigillo magno regio impendenti sigillatas, quas petierat exequi; quarum tenor talis est:

Karolus, Dei gratia *ut supra, T. IV, p. 696.*

Item et pars etiam dicti domini episcopi presentasset et reddicet in processu predicto quasdam alias patentes litteras regias, sigillo magno regio impendenti sigillatas; quarum tenor talis est:

Philippus, Dei gratia *ut supra, p. 76 de ce tome.*

Dictasque litteras regias procurator dicti domini episcopi excequi cum instantia petiisset, ac super eis pars dictorum monetariorum voccata fuisset, et se opposuisset, diesque presens partibus continuando assignata fuisset ad cognitionem seu sententiam audiendam super propositis hinc et inde,

prout in processu inde facto dicitur latius contineri, die tamen odierna coram viro nobili domino Bernardo de Languysello milite, Albasii domino, locum tenente dicti domini senescalli, comparuit magister Guillelmus Clari, procurator et nomine procuratorio dicti domini Magalonensis episcopi: comparuit etiam Bertrandus Audemarii, procurator et nomine procuratorio dictorum monetariorum: de quibus procurationibus dicebant latius constare per processum in anterioribus inde factum:

Petentes et requirentes partium predicti [procuratores] cognitionem dicti domini locum tenentis et per eum sententiam fierri (=ferri), super premissis, potissime juxta tenorem litterarum regiarum quas dicebant in precedentibus produxisse.

Et dictus dominus locum tenens processit ad suam cognitionem in modum qui sequitur proferendam:

Nos Bernardus de Languysello miles, Albasii dominus, locum tenens dicti domini senescalli, visis dictis litteris et attentis tenoribus earumdem, quarum tenores superius sunt inserti;

Visis etiam et attentis omnibus que procurator dicti episcopi et pras (=pars) dictorum monetariorum dicere et proponere voluerunt, et meritis eorumdem examinatis plenius et discussis:

Sedentes pro tribunali:

Attentis insuper propositis per procuratorem dicti domini episcopi ad justificationem dictarum litterarum regiarum, et per partem dictorum monetariorum ad impugnationem dictarum litterarum, ad quas ipsos duximus admittendos:

Deliberatione concilii prehabita diligenti, assidente nobis viro venerabili domino Petro Maurelli, domini regis clerico, judice majori dicte senescallie Bellicadri:

Qui[a] nobis per processum predictum constitit atque constat procuratorem dicti episcopi sufficienter fundasse intentionem suam, in et super eo quod in dictis litteris regiis continetur, videlicet dictum episcopum et suos predecessores

fuisse et esse in possesione seu quasi justitiandi per suos officiales temporales dictos monetarios suos et originarios, pro criminibus ibi comissis in loco de Melgorio, et cogendi contribuere, cum aliis hominibus dicti castri de Melgorio, in talliis communibus seu collectis;

Et per partem dictorum monetariorum nichil probatum extiterit, vel ostensum sufficiens et obviam, quominus mandatum regium predictum debeat impleri;

Ideo mandatum regium predictum exequendo, intendentes quod nostra presens ordinatio et cognitio ad illos monetarios se extendit, qui sunt oriundi de castro Melgorii et sunt monetarii dicti episcopi, cognoscimus, dicimus et volumus, sanctis Dei euvangeliis in nostro conspectu positis, ac Dei nomine invocato, quod dictum mandatum regium per dicinm pertinentem (=procuratorem) dicti domini episcopi productum, exequatur; et quod dictus procurator, et per ipsum dictus episcopus, dominus suus, atque sui successores in possessione seu quasi predicta, in dictis litteris regiis contenta, tueri, et deffendi ac conservari debere, litteras exequtorias mandati regii predictas scriptis presentibus, causa cognita concedendo.

Qua cognitione facta, per dictum dominum locum tenentem dicti domini senescalli, dictus Bertrandus, nomine procuratorio predicto dictorum monetariorum, a dicta cognitione, tanquam ab iniqua et injusta, et a dicto domino locum tenente sentiens se gravatum et oppressum, in quantum contra ipsum et partem suam facit seu facere potest, appellavit et provocavit incontinenti, viva voce, ad dominum nostrum regem Francie; petens apostolos semel, et secundo, tertio et instanter sibi concedi et tradi cum quibus adhuc (=adire) valeat regiam magestatem:

Requirens ne pendente appellatione predicta, in ipsius, et appellationis ac appellantium prejudicium aliquid innovetur seu etiam attemptetur;

Petens de sua appellatione predicta sibi fieri publicum instrumentum.

Dictus vero procurator dicti episcopi dixit se assentire cognitioni predicte, in quantum predicto domino suo facit seu facere potest; et alias, non;

Dicens et excipiens dictam appellationem super premissis admittendam non esse, cum sit de facto et contra juris formam a mero exequtore et a mero possessore interjecta;

Petens de cognitione predicta sibi, quo supra nomine, fieri publicum instrumentum.

Et dictus dominus locum tenens dictam appellationem dixit se non admittere, nisi si et in quantum de jure fuerit admittenda, magestas regia eam duceret admittendam; dictam cognitionem et omnia in presenti negotio processa dicto appellanti concedendo pro apostolis, qui sunt in talibus concedendi.

In qua respontione dictus appellans, quibus supra nominibus, dixit non consentire, in quantum faceret contra ipsum et partem suam, dicens et appellans ut supra.

Lata fuit dicta cognitio Nemausi, in consistorio regio, in presentia et testimonio testium infrascriptorum dicti domini majoris judicis, domini Bertrandi Planterii militis, legum doctoris, Stephani Orsermi, Johannis Privati, Johannis de Affriano, Raimundi Saynerii, Bertrandi Elie, Guillelmi Vitalis, Berengarii de Monteferrario jurisperitorum, magistrorum Rostangni Bernardi, Privati de Manso, Stephani Figareda, Raimundi Bonihominis, Raimundi Rubei notariorum, et mei Rostagni de Peyreria, domini regis et curie domini senescalli publici notarii, qui, requisitus a dictis procuratoribus, prout quemlibet ipsorum predicta contingunt, et de assensu dicti domini locum tenentis, in notam recepi.

De qua nota non cancellata *etc.*

(Reg. C, fol. 93 v°).

MDCXIV. — 19 mai 1330

Reconnaissance faite au procureur de l'évêque par le procureur de Raimond de Mujolan.

Anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo, scilicet die nona decima maii, domino Philippo rege Francorum regnante, et reverendo in Christo patre domino Johanne, Dei gratia Magalonensi episcopo, presidente, ego Raimundus de Molinis, presbiter de Beato Guillelmo de Desertis, procurator et procuratorio nomine nobilis Raimundi de Mujolano, domicelli quondam de Montearnaudo, prout de procuratione mea constat per quoddam instrumentum publicum, scriptum et signatum manu Philippi Gauterii, notarii publici regii, sub anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo tertio (*sic*), et vicesima die februarii, cujus tenor inferius est insertus;

Habens potestatem cum dicto instrumento omnia et singula infrascripta peragendi et faciendi, scio et confiteor, et in veritate recognosco, nomine quo supra, vobis Johanni Gervasii, vicario ecclesie Sancti Martini de Scafiaco, bajulo aule episcopalis Montispessulani, procuratori dicti domini Magalonensis episcopi, presenti, stipulanti et recipienti pro dicto domino episcopo Magalonensi et Ecclesia sua Magalonensi, dictum dominum meum habere, tenere et possidere seu quasi, in acapitum seu in emphitheosim, a dicto domino Magalonensi episcopo et sua Magalonensi Ecclesia, videlicet viginti sextarios ordei, et quatuordecim solidos et quatuor denarios turonenses censuales, acapita et incursiones, et totum jus quod dictus Raimundus de Mujolano habet et habere potest in terris seu possessionibus que sunt in decimaria ecclesie Sancti Gervasii de Juvinhaco, in loco vocato *Deves Comptal*, prout et secundum quod olim vendita fuerunt per Guillelmum Auricule, filium quondam domini Garini Aaricule campsoris Montispessulani, domine Galburgi, uxori quondam domini Raimundi de Mujulano, legum doctoris, patris dicti Rai-

mundi, cujus sum procurator, cum instrumento inde facto manu magistri Petri Helionis, notarii regii, sub anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo duodecimo (*sic*), et octava die mensis novembris;

In quibus censibus seu usaticis, et in terris et possessionibus, in quibus insunt et inesse debent dicti census seu usatica, dictus dominus episcopus habet et habere debet, et sui predecessores habuerunt directum dominium, consilium et laudimium (*cetera desiderantur*).

(Reg. E, fol. 166 r°).

MDCXV. — 20 mai 1330

Appel de l'évêque au sujet des monnayeurs de Melgueil.

Anno Domini millesimo trescentesimo tricesimo, et die vicesima mensis madii, domino Philippo Dei gratia Francorum rege regnante, noverint universi quod apud Nemausum, coram nobili viro domino Bernardo de Languysello milite, Albasii domino, locum tenente nobilis et potentis viri domini Hugonis Quiereti, militis domini regis, senescalli Bellicadri et Nemausi, existens sive constitutus discretus vir, magister magister Guillelmus Clari jurisperitus, procurator et nomine procuratorio, ut dixit, reverendi in Christo patris domini Johannis, Dei gratia Magalonensis episcopi, comitis Melgorii et Montisferrandi, tradidit michi, notario infrascripto, quamdam papiri cedulam scriptam, appellationem continentem, dicens, petens et appellans, ut in ea continetur, nomine procuratorio quo supra dicti domini episcopi; quam cedulam petiit legi coram dicto domino locum tenente, et de contentis in eis sibi fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum;

Cujus quidem cedule tenor talis est:

Cum oppressis et contra jus et justitiam agravatis appellationis remedium sit indultum, ideiro ego. Guillelmus Clari jurisperitus, procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Johannis, Dei gratia Magalonensis episcopi et comitis Melgorii et Montisferrandi, sentiens me et dictum dominum meum episcopum et comitem et ejus Ecclesiam Magalonensem fore multipliciter agravatos et in jure diminutos a vobis, nobili et potenti viro domino Bernardo de Languysello milite, domino Albasii, locum tenente nobilis et potentis viri domini Hugonis Quiereti militis, senescalli Bellicadri et Nemausi, ex eo et pro eo inter cetera quod cum ipse dominus episcopus et comes sit et sui predecessores fuerint. per se seu suos officiales temporales, ab antiquo, in possessione et saysina seu quasi justitiandi civiliter et criminaliter, in quibuscumque casibus occurrentibus, omnes et singulos singulariter et universaliter monetarios, Melgorii commorantes, occasione contractuum et quasi, delictorum et quasi, per eos initorum et comissorum, et alias in omnibus et per omnia, sicut alios non monetarios in dicto comitatu morantes, et compellendi eosdem ad contribuendum in quibuscumque talliis et collectis communibus castri de Melgorio et comitatus predicti:

Et dicti monetarii niterentur se substrahere et eximere a jurisdictione dicti domini episcopi et comitis, preterquam in tribus casibus videlicet homicidii, furti et incendii, et a contributione predicta, pretextu quorumdam privilegiorum monetariis regiis de sacramento Francie a magestate regia hactenus, ut dicitur, concessorum:

Et super hiis orta materia questionis inter reverendum in Christo patrem dominum Andream, bone memorie condam Magalonensem episcopum, comitem Melgorii, seu ejus procuratorem ex parte una: et dictos monetarios seu eorum procuratorem aut procuratores ex altera;

Et ex parte dicti condam domini episcopi et comitis, vobis seu dicto domino senescallo, aut alteri ejus locum tenenti, fuissent presentate quedam littere regie domini Caroli, clare

memorie Francorum et Navarre regis, quarum tenor inferius est insertus;

Petitumque fuisset ex parte dicti quondam domini episcopi et comitis, vocatis dictis monetariis seu eorum procuratoribus, fieri contenta in litteris regiis supradictis;

Et consequenter, ad exequendum contenta in dictis litteris regiis, ego dictus procurator alias litteras regias domini nostri regis Johannis (=Philippi) regnantis, vobis presentassem, ad observantiam juris et rationis communis obtentas et exequtorias aliarum litterarum regiarum predictarum, quarum tenor etiam inferius est insertus;

Et petiissem contenta tam in litteris novissime presentatis quam in aliis predictis, primo etiam presentatis, fieri, compleri et exequtioni mandari;

Requisivissemque me et dictum dominum meum, et suos curiales temporales curie Melgorii tuheri et deffendi in possessione seu quasi justitiandi dictos monetarios, habitatore castri Melgorii et comitatus ejusdem, et eorum liberos, sicut alios subditos castri et comitatus predicti, non obstantibus privilegiis supradictis, supplicassem curiales dicti domini episcopi et comitis de cetero non impediri in dicta sua possessione seu quasi justitiandi eosdem;

Requisivissem insuper vos ut mandaretis vicario et aliis curialibus curie Aquarum Mortuarum, quod non impedirent seu impediri permitterent curiales Melgorii dicti domini episcopi et comitis in dicta eorum possessione seu quasi justititiandi monetarios antedictos;

Et nichilominus, vocatis dictis monetariis seu eorum procuratoribus coram vobis seu vestris comissariis, de predicta possessione seu quasi, sufficienter tam per testes quam processus, litteras et instrumenta probassem;

Vos tamen inciviliter et minus juste, honore et reverentia vobis debitis semper salvis, non advertentes quod littere regie predicte, primo presentate, ad quas ultime refferuntur et super eis funduntur, indistincte et generaliter de omnibus monetariis, Melgorii commorantibus, faciunt mentionem; ultime littere regie, ad observantiam juris et rationis commu-

nis obtente, de suis monetariis ratione originis, incholatus, creationis et jurisdictionis, saltem, juxta verum et clarum intellectum, etiam sensentur facere mentionem;

Non advertentes etiam quod de omnibus dicti loci habitatoribus monetariis predicta possessio est clare probata;

Non advertentes etiam quod predicte littere regie ultime ad observantiam, ut dictum est, juris communis obtente fuerunt; sicque debuissetis, juxta formam juris et rationis communis, et secute pro parte dicti domini episcopi et comitis petitionis, supplicationis seu requisitionis processisse;

Non advertentes etiam quod per dictos monetarios nichil sufficiens fuit ostensum nec probatum, quominus dictus dominus episcopus et comes in dicta possessione generaliter servari et tuheri debeat et deberet;

Non advertentes etiam quod dicta privilegia regia, per dictos monetarios allegata, nullam de possessione et saysina dicti domini episcopi et comitis faciunt mentionem, quod tamen, ad hoc quod tenerent fieri debuisset; quod cum non faciant, quoad dictum dominum episcopum seu contra ipsum nulla sunt, et sibi prejudicare non possunt;

Non advertentes etiam quod privilegium concedi non debet; et si concedatur, de jure et ratione communi non tenet in juris alterius lesione;

Non advertentes etiam quod privilegium regium allegatum, ad monetarios regios, cudendo et morando in terra domini regis, et a domino rege vel ejus auctoritate creatos, et qui erant de sacramento Francie tempore impetrati privilegii, tantum modo se extendit; de quorum numero nullus habitator Melgorii erat, nec vobis de hoc fuit aliqua facta fides;

Non advertentes insuper ad plura alia ad que tam de jure quam ratione advertere debuissetis, cognovistis, dixistis et voluistis, reducendo vos ad speciem contra petitionis, supplicationis seu requisitionis, oblate per partem dicti domini episcopi et comitis, formam, quod mandatum regium exequtioni mandaret;

Non intendentes quod vestra ordinatio se extenderet ad

illos monetarios, qui sunt oriundi de castro Melgorii, et sunt monetarii sui ipsius domini episcopi;

Quare cum vos cognoveritis, volueritis et ordinaveritis dicta mandata regia debere exequtioni mandari et extendi ad monetarios qui sunt oriundi de castro Melgorii, et sunt sui monetarii dicti domini episcopi, et ordinarie (=ordinare) et pronunciare omisistis, quod dicte littere deberent exequtioni mandari generaliter contra omnes monetarios, Melgorii commorantes, si qui forte alii quam dicti episcopi, de Melgorio originarii, reperiuntur comorari ibidem, ut sonant littere a domino Carolo, clare memorie Francorum et Navarre rege, obtente, ad quas trahuntur ultime et super eas fundantur: et prout et secundum quod petitum, supplicatum et requisitum extitit, et in processibus inde factis clare probatum, prout etiam de jure et ratione communi facere debuistis:

Idcirco, a dicta cognitione, dicto, voluntate et ordinatione, quathenus contra dictum dominum episcopum et comitem faciunt seu facere possunt, et aliter non, in hiis et cum hiis scriptis ad dominum nostrum Francorum regem, nomine dicti domini mei, episcopi et comitis, et dicte sue terre, provoco et appello, apostolos semel, secundo, tertio et cum multiplicata instantia postulando:

Requirens vos, in quantum possum, ne, presente appellatione pendente, aliquid innovetis seu a quoquam patiamini innovari, in prejudicium appellationis predicte:

Protestans quod sit michi et dicto domino meo, per se vel per alium, seu alios, salvum jus predicta prosequi per viam appellationis, simplicis querele vel nullitatis, aut aliis juris remediis opportunis.

Tenor vero dictarum litterarum regiarum talis est:

Karolus, Dei gratia *etc., ut supra, T. IV, p. 696.*

Item.

Philippus, Dei gratia *etc., ut supra, p. 76 de ce tome.*

Et dictus dominus locum tenens dictam cedulam habuit pro lecta. et ad audiendam suam respontionem ad contenta in dicta cedula, diem mercurii post instans festum Pentecostes dicto magistro Guillelmo, nomine procuratorio quo supra assignavit.

Cui assignationi dictus magister Guillelmus Clari, nomine procuratorio quo supra dicti domini episcopi. dixit se non consentire. in quantum parti dicti domini episcopi domini sui prejudicare posset.

Et dictus dominus locum tenens assignavit ut supra.

Actum Nemausi, in hospicio ipsius domini locum tenentis, testibus presentibus Bernardo de Codolis legum doctore. Raimundo Saynerii judice Gaballi, Johanne de Affriano jurisperito, magistro Poncio Alaude notario regio, et pluribus aliis, et me Petro Pellicerii, habitatore Nemausi, dicti domini nostri Francorum regis notario publico. qui predicta scripsi et in notam recepi.

Ad quam diem mercurii superius assignatam, que fuit anno quo supra, et penultima die dicti mensis madii, comparuit Nemausi, coram dicto domino locum tenente, Petrus Clareti, procurator, ut dixit. substitutus dicti domini episcopi et nomine procuratorio ejusdem, et persistendo in dicta appellatione, supra facta per dictum magistrum Guillelmum, procuratorem dicti domini episcopi, a qua etiam actu contrario recedere non intendit;

Obtulit se fore paratum audire respontionem dicti domini locum tenentis, protestans quod per ipsum non stat, quominus dictam audiat, juxta presentis diei assignationem.

Et dictus dominus locum tenens, cum nondum deliberasset super predictis, assignavit eidem Petro, nomine procutorio quo supra, diem crastinam ad audiendum suam respontionem super predictis.

In qua assignatione dictus Petrus, quo supra nomine, non consentiit in quantum contra ipsum, et dictum dominum suum et appellationem predictam faceret seu facere posset, persistendo, ut dixit, in appellatione predicta.

Et dictus dominus locum tenens assignavit ut supra.

Acta fuerunt hec ut supra, testibus presentibus venerabilibus viris dominis Bertrando Planterii milite, Bernardo de Codolis legum doctoribus, Raimundo Sanerii judice Gaballi, Berengario de Monteferrario jurisperito, magistris Privato de Manso, Raimundo Rubey notariis regiis, et pluribus aliis, et me Petro Pellicerii notario predicto.

Quo crastino, quod fuit ultima dies dicti mensis madii, presente dicto Petro Clareti, nomine quo supra, dictus dominus locum tenens respondit ad dictam appellationem ut sequitur:

Et dictus dominus locum tenens dicte appellationi non detulit neque differt (=defert), cum nullum gravamen intulerit, pro eo quod mandatum regium fuit tantummodo executus:

Non intendens dictum dominum episcopum excludere, si, per alias litteras, aut munimenta quecumque aut processus, habeat jus justiciandi monetarios, incolas seu habitatores Melgorii, et super hiis justitiam facere, vocatis evocandis;

Et erit semper paratus et promptus, si tamen de jure debet defferri, et dominus noster rex presentem appellationem duceret admittendam, eam recipit et admittit, presentem respontionem concedendo pro apostolis, quos (=qui) de jure debent concedi.

Et dictus procurator, nomine quo supra, dicte respontioni non consentiit, in quantum contenta in eadem prejudicarent seu prejudicare possent juri dicti domini episcopi, persistendo, ut dixit, in appellatione predicta, supra interposita per procuratorem dicti domini episcopi, a qua recedere non intendit:

Petens de predictis sibi fieri publicum instrumentum.

Et dictus dominus locum tenens dixit et respondit ut supra.

Facta fuit dicta respontio et acta fuerunt hec Nemausi, ut supra, testibus presentibus venerabilibus viris dominis Bertrando Planterii milite, Bernardo de Codolis legum doctori-

bus, Guillelmo Vigerii judice Nemausi, Raimundo Sainerii judice Gaballi, Hugone Belli alias Chengo, magistris Privato de Manso, Guillelmo de Cauna, Raimundo Ruberii (=Rubei) notariis regiis, et pluribus aliis, et me Petro Pellicerii, notario supra et infra scripto, auctoritate regia publico, qui predicta omnia et singula scripsi, in notaque recepi, et in formam publicam redegi, signoque meo consueto signavi in testimonium omnium premissorum.

(Reg. C, fol. 38 v°).

MDCXVI. — 24 mai 1330

Délimitation des juridictions de Beaulieu et de Restinclières, entre l'évêque et Bermond de Sommières.

In nomine Domini Nostri Jesu Christi. Anno ejusdem Incarnationis millesimo trescentesimo tricesimo, et vicesima quarta die mensis madii, superillustrissimo principe domino Philippo Dei gratia Francorum rege regnante, sit manifestum cunctis tam presentibus quam futuris, quod cum lis seu questio verteretur et diu agitata fuisset et adhuc agitari seu verti spераretur inter nobilem et potentem virum Bermundum de Sumidrio domicellum, dominum Caslaris, seu magistrum Guillelmum de Trulharibus notarium regium, ut procuratorem et nomine procuratorio dicti nobilis, habentem, ut asseruit, potestatem ad infrascripta, ex una parte;

Et venerabilem et religiosum virum dominum Bernardum de Texeriis, canonicum Magalonensem, olim priorem Sancti Dyonisii, nunc vero Beate Marie de Tabulis de Montepessulano, vicariumque generalem reverendi in Christo patris domini J[ohannis], Dei gratia episcopi Magalonensis, ex parte altera:

Specialiter et super limitationibus jurisdictionum villarum seu locorum de Belloloco, de Restancleriis domnini episcopi

supradicti, et villarum seu locorum Sancti Ylarii de Pulchro Visu, Sancti Johannis de Corni, de Solsinis et de Buxodone domini Caslaris antedicti;

Tandem partes predicte, quibus supra nominibus, et dictus magister Guillelmus de Trulharibus, etiam de voluntate, assensu et auctoritate nobilis viri domini Raimundi de Lexis militis, curatoris et locum tenentis dicti nobilis Bermundi de Sumidrio et domini Caslaris supradicti, a quo domino Caslaris promisit facere ratificare omnia et singula infrascripta;

Et dictus dominus vicarius generalis, vice et nomine domini episcopi supradicti, a quo etiam promisit omnia et singula infrascripta ratificare facere et approbare;

Super tota questione seu questionibus, et omnibus et singulis ex eis dependentibus, partes predicte, quibus supra nominibus, gratis, liberaliter, unanimiter et concorditer se compromiserunt in discretum virum dominum Johannem Ricardi jurisperitum, Montispessulani habitatorem, presentem et hoc presens compromissum in se suscipientem, et ipsum arbitrum, arbitratorem seu amicabilem compositorem et communem amicum unanimiter et concorditer sibi elegerunt;

Ita videlicet quod dictus dominus arbiter, arbitrator seu amicabilis compositor possit et valeat dictam questionem seu questiones, lites et controversias, vel unam aut plures earum, omissis reliquis, et prout voluerit, audire, examinare, terminare et deffinire conjunctim vel separatim, de plano et sine strepitu judicario, cum libello et sine libelli oblatione, die vel diebus feriatis vel non feriatis, partibus presentibus vel absentibus, aut una presente et altera absente, citatis vel non citatis, vel alias prout sibi videbitur faciendum;

Et promiserunt partes predicte, quibus supra nominibus, stare, parere et obedire dicto, pene, arbitrio, precepto seu preceptis per dictum dominum arbitrum, arbitratorem seu amicabilem compositorem, seu de ejus mandato factis vel faciendis, et in illo (= nullo) contra facere seu venire per se nec per aliquam interpositam personam, ratione, causa seu modo, de jure nec de facto.

Quod si facerent, aut in aliquo contra premissa vel infrascripta, aut eorum aliquid devenirent, sibi tunc ad invicem partes predicte altera alteri ad invicem, quibus supra nominibus, pacto interveniente sollempni, et valida stipulatione vallato, promiserunt dare et solvere centum marcas argenti, nomine pene hinc inde sollempniter stipulata et promissa, danda et solvenda per partem inobedientem pa[r]ti parenti et obedienti pro quolibet capitulo non servato, rato manente pacto:

Et voluerunt dicte partes quibus supra nominibus, quod hoc presens compromissum duret et durare habeat hinc ad instans festum sancti Johannis Babtiste inclusive; et quod dictus dominus Johannes Ricardi possit et valeat presentem compromissum ejus effectum (= eum effectu) semel p[r]orogare, partibus presentibus et absentibus, aut una parte presente et altera absente, pro libito seu (= sue) voluntatis;

Hoc acto et convento inter partes predictas, quibus supra nominibus, pacto interveniente sollempni, et valida stipulatione vallato, quod pena predicta, semel et pluries, et totiens in solidum commitatur et commissa exhigatur, rato manente pacto quotiens contra premissa et infrascripta, vel eorum aliquid, in aliquo fieret seu veniret per aliquam partium predictarum, dictis compromisso et pronuntiatione in suo robore duraturis.

Acto etiam inter partes predictas, quod non recurrent ad arbitrium boni viri: quod si facerent aut in aliquo contravenirent, pars recurrens teneatur parti parenti et obedienti in pena predicta, ut supra premissa et stipulata: ac etiam per partem parentem et obedientem a parte non obediente dicta pena possit peti, exhigi, et levari totiens quotiens contra fieret seu veniret per aliquam partium predictarum.

Item fuit actum et conventum inter partes predictas, quibus supra nominibus, quod hoc presens compromissum habeat vim duorum compromissorum, unius ratione compromissi, et alterius ratione pene:

Hoc acto etiam inter partes predictas et in pacto deducto, sollempni et valida stipulatione vallato, quod presens com-

promissum et pronunciatio, declaratio vel limitatio terminorum, seu ordinatio dicti domini Johannis Ricardi, arbitri, arbitratoris seu amicabilis compositoris supradicti, obtineat vim sententie judicis ordinarii, a qua non fuisset appellatum, et que trasmisisset in rem judicatam.

Premissa omnia et singula attendere et complere, ac etiam inviolabiliter observare, et contra in aliquo non facere seu venire de jure nec de facto, per se nec per aliquam interpositam personam, in judicio nec extra, promiserunt partes predicte, quibus supra nominibus, altera alteri, sollempni et valida stipulatione interveniente, sub pena predicta et sub efficaci ypotheca et obligatione bonorum dominorum suorum predictorum, presentium et futurorum, et sub juris renunciatione qualibet et cauthela, et etiam sub omni restitutione dampnorum, et expensarum ac interesse, que inde fieri contingeret, veniendo contra vel alias quoquomodo.

Et juraverunt in animas dominorum suorum seu promiserunt per bone fidei plenitudinem, et renunciaverunt scienter et expresse juris et facti ignorantie, doli, et fraudis, exceptioni in factum, actioni ob causam et sine causa, et beneficio et auxilio cujuslibet juris et privilegii, rescripti, usus, consuetudinis, appellationis, emendationis et exceptionis, per quod seu per que possent dicte partes, seu altera earumdem, in totum vel in partem, a pena liberari, seu ab observatione dicti compromissi, vel arbitrii, precepti, sententie, aut pronunciationis seu limitationis domini arbitri, arbitratoris seu amicabilis compositoris supradicti.

Acta fuerunt hec in Montepessulano, in hospicio dicti domini Johannis Ricardi, presentibus testibus venerabilibus et discretis viris dominis Petro Pelagalli priore de Montillis, Guiraudo Cavallerii jurisperito, Raimundo de Buxedone milite, Guillelmo et Raimundo Monerii de Porssano clericis, et me Raimundo Celararii publico auctoritate regia notario, qui utrinque requisitus predicta in notam recepi.

Et consequenter dictus dominus arbiter, arbitrator seu amicabilis compositor, volens videre et sub[j]icere oculis lo-

cum seu loca debati, assignavit dictis partibus, ibidem presentibus, diem lune proximam post instans festum Eucaristie Domini, et locum debati: injungens dictis partibus quod, dictis die et loco, intersint cum suis testibus, probationibus et munimentis, ad finem quod, ipsis visis et deliberatione habita super predictis, possit dare finem questioni seu questionibus.

Incontinenti ibidem partes predicte, quibus supre nominibus, die et loco eis assignatis, interesse promiserunt cum munimentis: et de eorum potestate fidem facere etiam promiserunt dicta die vel interim quandocumque.

Actum die et loco in Montepessulano proxime dictis testibus presentibus quibus supra, et me Raimundo Cel[ar]arii, notario infrascripto.

Postque infra tempus compromissi et die supra proxime assignata, partes predicte de earum potestate fidem fecerunt:

Dictus magister Guillelmus de Trulharibus, per quoddam instrumentum publicum, scriptum et signatum, ut in eo legitur, manu magistri Guillelmi de Rivis, notarii regii Sumidrii, incipit in secunda linea *nobilis*, et finit in eadem *esse*;

Et dictus dominus Bernardus de Texeriis, per quasdam patentes litteras reverendi in Christo patris domini J[ohannis] Dei gratia episcopi Magalonensis, et ejus sigillo autentico in (*deux mots illisibles*) pendenti sigillatas, ut prima facie apparebat, in pargameno scriptas, que incipiunt in tertia linea *de Castario*, et finiunt in eadem *nul*.

Quod instrumentum et litteras predictas produxerunt dicte partes, exhibuerunt et ostenderunt ad faciendum fidem de potestate eis attributa.

Quorum tenores secuntur seriatim in hec verba.

Anno Domini millesimo trescentesimo vicesimo nono, et vicesima tertia die septembris, domino Philippo rege Francorum regnante, ego Bermundus de Sumidrio domicellus, dominus Castarii, cum voluntate, auctoritate et consensu no-

bilis viri domini Raimundi de Lexis militis, dominus in parte castri Montisrotundi, curatoris mei hic presentis, quod nos Raimundus de Lexis, miles et curator predictus, asserimus verum esse, cum protestatione quod propter hoc non intendo procuratores, per me actenus constitutos, in aliquo revocare, sed ipsos poscius et eorum quemlibet confirmare et in eorum officiis remanere, facio et constituo, ordino atque mando meum verum, certum et indubitatum procuratorem, generalem et specialem ad infrascripta, discretum virum magistrum Guillelmum de Trulharibus, notarium regium habitatorem Sumidrii, hic presentem et honus procurationis hujusmodi in se suscipientem:

[Sci]licet ad dividendum, limitandum et terminandum, pro sue beneplacito voluntatis, terram et jurisdictionem meam cum reverendo in Christo patre episcopo Magalonensi et Ecclesia sua Magalonensi, seu gentibus suis super debato, controversia et contrastu, inter me ex una parte, et dictum dominum episcopum et ejus Ecclesiam predictam ex altera, existente et vertente super confinibus et limitationibus jurisdictionum villarum mearum Sancti Johannis de Corni, Sancti Ylarii de *Folhos*, Buxedonis et de Sulcinis, et super confinibus et limitationibus villarum dicti domini episcopi et Ecclesie sue predicte de Bello loco et de Restanheriis;

Et generaliter super omnibus aliis contrastibus et debatis, vertentibus seu verti spectantibus, inter me et dictum dominum episcopum et ejus Ecclesiam predictam, seu gentes suas, in quibuscumque locis et jurisdictionibus existant et in omnibus et singulis dependentibus ex eisdem:

Dans et concedens dicto procuratori me[o] plenam et liberam potestatem et generale ac speciale mandatum, cum auctoritate qua supra, predicta omnia et singula nomine meo faciendi, ordinandi et exercendi, dictam terram et jurisdictionem dividendi, limitandi et terminandi, et terminos seu bolas in confinibus jurisdictionum villarum predictarum, prout expediens sibi visum fuerit, ponendi et plantandi, et et cum dicto domino episcopo seu gentibus suis super predictis, prout voluerint, concordandi et affinandi;

Et generaliter omnia et singula dicendi, faciendi et exercendi que, in predictis seu pertinentiis ad predicta, erunt necessaria seu etiam oportuna; etiam si talia essent que mandatum exhigerent speciale, et que ego dicere et facere possem, si personaliter presens essem;

Et relevans ad cauthelam, cum auctoritate qua supra, dictum procuratorem meum ab omni satisdandi honere, promitto tibi notario infrascripto, ut persone publice sollempniter stipulanti et recipienti, vice et nomine dicti domini episcopi et Ecclesie sue predicte ac omnium aliorum quorum interest, intererit vel interesse poterit quoquo modo, me ratum, gratum et firmum perpetuo habiturum et observaturum quicquid in predictis aut pertinentibus ad predicta, per dictum procuratorem meum aut cum ipso, actum, dictum fuerit seu etiam ordinatum, ac si mecum et per me personaliter actum foret:

Inde fidejussorem et reum principalem me constituens pro eodem, sub efficaci ypotheca et obligatione omnium honorum meorum et sub omni renunciatione juris pariter et cauthela.

Actum Sumidrii, testes sunt Johannes Bidocii de Sumidrio, Bernardus de Lexis domicellus de Monterotundo, et Simon Macgerii, qui moratur cum dicto domino Caslarii, et ego Guillelmus de Rivis, publicus dicti domini regis notarius, qui, per dictum dominum Caslarii requisitus, predicta stipulatus fui, scripsi publice et signavi signo meo.

Johannes, miseratione divina episcopus Magalonensis, dilecto nobis in Christo Bernardo de Texeriis, Magalonensi canonico, priori Sancti Dyonisii de Montepessulano, salutem in Domino.

Cum inter nos, nomine Magalonensis Ecclesie ex parte una, ac Bermundum de Caslario, dominum de Caslario ex altera, super limitatione jurisdictionum et territoriorum sitorum in loco de Restencleriis et de Bello loco vulgariter nuncupatis, questiones et controversie diverse et varie sint exorte, bonum pacis zelentes in Domino, periculis et scandalis,

proinde verisimiliter possent contingere occurrere, quantum nobis erit possibile, cupientes:

De fidelitate vestra plene in Domino confidentes, limitationem jurisdictionum et territoriorum superius expressorum, necnon et omnium locorum jurisdictionum et territoriorum aliorum, in quibus dictus dominus cum Ecclesia habet, vel habere potest et habuit controversiam, questionem aliquam vel rancuram, vobis committimus, nostro et Magalonensis Ecclesie nomine faciendam, potestatem plenam et liberam in hiis et dependentibus ab eisdem, tenore presentium, concedentes.

Verum quia, in et super similibus, nobiles ac plerique alii questiones et controversias diversas habere noscuntur nobiscum et cum Ecclesia supradicta, ne (=ut), quibuscumque personis supradictis, jurisdictionum et territoriorum limitationibus, nomine nostro et Ecclesie, convenire possitis, limitationesque facere, prout expedire videritis, potestatem plenam et liberam vobis concedimus per presentes.

Promittentes nos gratum et ratum perpetuo [habiturum] quicquid, in et super premissis, per vos actum, ordinatum fuerit sive gestum.

In quorum testimonium, sigillum nostrum presentibus duximus apponendum.

Actum et datum Avinione, decima octava die septembris, anno Domini millesimo trescentesimo vicesimo nono.

Et post hec, anno quo supra, et in vigilia sancti Johannis Baptiste, que erat vicesima secunda dies mensis junii, dominus Johannes Ricardi arbiter, arbitrator et amicabilis compositor supradictus, ex potestate sibi data et attributa in dicto compromisso a partibus supradictis, dictum compromissum et ejus effectum, et sub pena, obligatione et sacramento predictis, prorogavit hinc ad instans festum Assumptionis Beate Marie mensis augusti inclusive;

Requirens me Raimundum Cell[ar]arii, notarium supra et infra sciptum, quod de predictis sibi facerem publicum instrumentum.

Acta fuerunt hec in Montepessulano, presentibus testibus a proximo paragrafo citra domino Johanne de Affriano jurisperito, magistris Egidio Johannis notario regio, Johanne Lodove clerico de Montepessulano, et me Raimundo Cellararii, notario infrascripto.

Postque anno quo supra, et tertia decima die mensis augusti, dicto domino Philippo Francorum rege regnante, dictus dominus arbiter, arbitrator et amicabilis compositor, a dictis partibus communiter et concorditer electus, [sci]licet viso et occulis subjecto loco seu locis debati, et super quo vel quibus partes de limitatione concordare non poterant;

Visa etiam et diligenter examinata quadam informatione, dudum facta super predictis, seu processu sive actis inde sequtis sive factis, per magistros Berengarium Gaucelmi et Guillelmum de Portali, notarios et commissarios, acthenus super premissis per dictas partes seu eorum predecessores deputatos; que informatio, processus sive acta incipit in tertia linea prime pagine: *rege* et finit in eadem *parranis*;

Cum super depositione quorumdam testium, in dicta informatione contentorum, adhuc partes discordarent, dominus arbiter, arbitrator et amicabilis compositor supradictus, predictis bonum finem imponere cupiens et affectans, propter bricas, et discordiam et multa pericula evitanda inter partes predictas, una cum discretis viris dominis Raimundo de Capite Vilario et Johanne de Affriano jurisperitis, secum adhibitis, qui super premissis et contentis in dicta informatione alias tractaverant et pacem imponere conati fuerant, prout dictum fuit, iterato accessit personaliter dominus arbiter, arbitrator seu amicabilis compositor sepe dictus ad locum sive loca dicti debati;

Et cum diu tractasset et deliberasset super predictis, et locum sive loca occulo ad occulum sibi ostendi fecisset: habita etiam relatione et plenaria informatione plurium aliorum hominum locorum circum vicinorum, ad suam cognitionem, diffinitionem seu ordinationem audiendam super premissis, diem crastinam et horam prime dictis partibus ibi-

dem presentibus, et in eorum jure plenarie auditis, et locum debati precize et peremthorie assignavit.

De quibus idem dominus arbiter, arbitrator seu amicabilis compositor supradictus petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Acta fuerunt hec a proximo paragrafo citra, in loco debati predicti, presentibus testibus dominis Johanne de Affriano, Raimundo de Capite Vilario supradictis, domino Raimundo de Lexis milite, domino Guillelmo de Tesio priore de Solcinis, Berengario Gaucelmi notario, et pluribus aliis, et me Raimundo Celararii notario infrascripto.

Qua die crastina, circa horam prime, dictus dominus Johannes Ricardi arbiter, arbitrator et amicabilis compositor, a dictis partibus communiter et concorditer electus, visis et diligenter examinatis questionibus, petitionibus seu demandis que altera partium predictarum faciebat alteri;

Visoque loco seu locis debati occulo ad occulum;

Visa etiam informatione predicta alias facta in et super premissis, et intentionibus seu articulis in eadem informatione contentis, super qua informatione testes hinc inde fuerunt producti, recepti et examinati, quorum articulorum tenores inferius sunt incerti (=inserti);

Necnon omnibus et aliis probationibus et allegationibus, quas partes predicte voluerunt facere coram nobis et super eis, plenius deliberato;

Assistentibus et ad hoc vocatis per nos venerabilibus et discretis viris dominis Johanne de Affriano pro parte domini episcopi Magalonensis, et domino Raimundo de Capite Vilario pro parte domini de Castario supradicti;

Pro bono pacis et concordie, assentitaque partium predictarum voluntate, et ex potestate nobis data et attributa in dicto compromisso, volumus, pronunciamus, diffinimus ac etiam arbitramur sub pena, sacramento et obligatione in dicto compromisso tenenti (=contentis), ut sequitur, et ad

limitationem locorum debati procedimus per modum qui sequitur:

Et primo volumus et pronunciamus, remanente parte que est versus Sanctum Ylarium domino Caslaris supradicto, et parte que est versus locum de Restancleriis seu de Belloloco domino episcopo Magalonensi memorato: videlicet quod unus terminus ponatur in trivio seu cadrivio Podii Ayraudi, ubi cadunt seu uniuntur quatuor vie, quarum una vadit seu per quam itur de Sussanicis versus Sumidrium, et per aliam dictarum viarum itur versus Lunellum;

Et terminabit dictus terminus ab ipso termino eundo versus Sumidrium, sequendo carreriam per medium, usque ad riperiam Podii Ayraudi;

Et etiam a dicto termino dicti catrivi, sequendo viam per medium qua itur versus Gasalanicas, usque ad terminum positum in carreria Podii Ayraudi, qui terminus est prope locum seu terminum vallati Johannis de Alayraco et Raimundi *Gorgas* et Raimundi de Fonte per quindecim passus prope.

Et ab illo termino directe usque ad *Euze*, que est in campo de *Pascal*;

Et a dicto *Euze* terminabit directe usque ad angulum divisionis nemorum Raimundi Pellicerii, et Johannis de Corni et Bernardi de Fisco de Belloloco, qui angulus jungitur et tenetur cum via Samaressa, pariete tamen dictorum nemorum remanente in parte domini de Caslario;

Qui paries dictorum nemorum movet a dicto angulo seu juxta, assendendo et sequendo parietem usque ad capud nemoris dicti Petri de Salvio, ubi ponatur alius terminus;

Et exinde sequendo parietem nemoris domini prepositi usque ad nemora hominum Sancti Johannis de Corni, ubi ponatur alius terminus;

Et abinde sequendo parietes nemorum Sancti Johannis de Corni, qui dividunt nemora dictorum hominum et dicti domini prepositi, usque ad finem nemorum dicti domini prepositi, ubi ponatur alius terminus;

Et abinde procedendo recta linea usque ad quendam *piras* sive pirum, que est situata in terra uxoris Jacobi Cabalis, ubi ponatur alius terminus;

Et a dicto termino recta linea usque ad angulum terre Johannis Coste, qui angulus est *a la Lauza*, ubi ponatur aliud (=alius) terminus in medio vie;

Et a dicto termino medie dicte vie, procedendo directe usque ad medium nemoris seu quasi Bernardi de Pradis, et nemoris ecclesie Sancti Johannis de Corni, ubi aliud terminus ponatur;

Et a dicto termino medii nemoris, usque ad locum sive angulum dictum *de la Colobra*, ubi ponatur aliud terminus in medio vie, juxta seu prope possessionem Petri Gitberti et juxta calrigam *d'en Cortes*.

Volumus tamen et ordinamus quod plures termini ponantur, et positi alias [l]imitentur de quibus expedierit, et partes seu probi homines, ad hec eligendi per partes, concordaverint seu hoc commode duxerint faciendum, vocato tamen et presente ad hoc seu possessionem (=positionem) terminorum sive gachos magistro Raimundo Cela[ra]rii, notario hujus cause seu negocii, in quem partes consenserunt ad premissa;

Parte tamen que est versus Sanctum Ylarium et Sancti Johannis de Corni domino Caslarii remanente, et parte que est versus Bellumlocum et de Restencleriis domino Magalonensi episcopo remanente, salvo tamen jure suo hominibus hinc inde depascendi, et quolibet alieno.

Retinemus tamen nobis, dicto Johanni Ricardi, arbitro, arbitratori seu amicabili compositori supradicto, et de expressa partium predictarum voluntate et assensu expresso, [potestatem] corrigendi, mutandi, emendandi et interpretandi, et de hiis que restant adhuc ad limitandum, cognoscendum, pronunciandum et ordinandum pro libito nostre voluntatis, hinc ad instans festum Nativitatis Domini inclusive.

Et consequenter nobilis Bermundus de Sumidrio, dominus Caslarii, presente ibidem, volente et auctorizante domino

Raimundo de Lexis milite, ejus curatore, qui curator ad premissa omnia limitanda, tractanda et ordinanda cum dicto domino vicario seu gentibus dicti domini episcopi presens interfuit, premissa omnia et singula idem nobilis, certioratus de jure meo (=suo) plenius, ut asseruit, et instructus, laudavit, amologavit, ratificavit et confirmavit, et contra in aliquo non facere seu venire de jure nec de facto, per se nec per aliquam interpositam personam, promisit et juravit, ad sancta Dei evangelia, ab ipso domino Caslarii corporaliter sponte tacta.

Sub virtute cujus juramenti, renunciavit omni juri et exceptioni, quibus contra posset facere seu venire.

Deinde vero dictus dominus Bernardus de Texeriis, ut vicarius generalis domini episcopi supradicti, et ex potestate sibi data et at[t]ributa ad premissa seu limitationem supradictam, predicta omnia et singula amologavit, ap[p]robavit, laudavit et confirmavit, et contra non facere seu venire per se nec per aliam interpositam personam, bona fide promisit et sub virtute dicti juramenti.

Et dicto domino episcopo ac Capitulo Ecclesie Magalonensi ratificare facere premissa cum effectu promisit; et convenit michi, dicto Raimundo Celararii, ut publica persona stipulanti, et dicto nobili domino Caslarii, stipulanti et recipienti pro se et suis heredibus et successoribus universis, et sub omni renunciatione juris pariter et cauthela.

De quibus partes predicte et quelibet ipsarum requisiverunt me Raimundum Celerarii, et etiam dominus arbiter, arbitrator seu amicabilis compositor supradictus quod eis facerem publicum seu publica instrumenta.

Acta fuerunt hec in loco debati, prope locum de Lauza supradictum, presentibus testibus ad hec vocatis, dominis Raimundo de Lexis milite, Guillelmo de Tesio priore de Sussanicis, Raymundo de Capite Vilario, Johanne de Affriano jurisperitis, magistris Berengario Gaucelmi, Guillelmo de Trulharibus notariis, Thoma Malaviala de Restancleriis,

Petro Regis de Sancto Ylario, et pluribus aliis, et me Raimundo Celerarii notario infrascripto.

Post vero predicta, vicesima die mensis augusti, loco primi et secundi termini, fuit positus terminus, de voluntate partium, in ripperia Podii Ayraudi, in loco dicto ripperia Podii Ayraudi, alias *al Cardel patu*, et in via seu juxta viam per quam itur de Castris versus Sumidrium;

Qui terminus proxime dictus limitat et terminat directe ascendendo de linea ad lineam usque ad alium terminum supra positum juxta quandam arborem, que est inter duas arbores nominatas *Euzes*, et in possessione de *Pascal*; et de dicto terminio nichil mutato, prout superius est terminatum, ordinatum, seu limitatum.

Acta fuerunt hec in loco proximo dicto, presentibus testibus, vocatis specialiter et electis ad hec, jam dictis proxime, seu termini positione in loco proxime dicto, Johanne Ribelotti de Bello loco, et Johanne de Alayraco bajulo dicti loci pro dicto domino episcopo, Petro Regis Sancti Ylarii pro domino Castarii, et me Raymundo Celerarii, notario infrascripto.

Tenor vero dictorum articulorum in supradicta informatione contentorum, et de quibus supra facta est mentio, sequitur in hec verba:

Coram vobis discretis viris, dominis magistro Berengario Gaucelmi, magistro Guillelmo de Portali, notariis, commissariis deputatis per discretum virum dominum Petrum Piscis, officialem episcopalis curie Magalonensis, vicarium generalem in temporalibus reverendi in Christo patris domini Johannis, miseratione divina electi in episcopum ecclesie cathedralis Magalonensis, ex parte una; et per nobilem et potentem dominum Poncium Bremundi de Sumidrio militem,

dominum Caslarii, dominumque villarum Beati Ylarii de *Follos* et Beati Johannis de Corni, ad recipiendum et examinandum testes producendos tam [per] partem dicti domini episcopi quam per partem dicti domini Caslarii, super questione et debato, que et quod est inter dictas partes, ratione et causa limitum seu confinium jurisdictionum dicti domini episcopi, pro jurisdictione ejusdem pro villa Belliloci, et pro jurisdictione dicti domini Caslarii et jurisdictione ejusdem pro dictis villis Sancti Ylarii et Beati Johannis;

Dicit et proponit, et probare intendit Poncius Parranis, bajulus dicti domini Caslarii, quod jurisdictio dicti nobilis domini pro dictis villis, tam dicte ville Beati Ylarii quam in [villa] Beati Johannis de Corni, durat et protenditur a dictis villis Beati Ylarii et Beati Johannis, versus et usque [ad] confines dicte jurisdictionis Belliloci, usque ad viam qua itur de Sussanicis versus Sulcinas;

Et deinde sequendo dictam viam usque ad aliam viam que movet de dicta via versus mansum domini Guillelmi de Montelauro militis, siti in decimaria Beati Desiderii.

Item ponit et probare intendit dictus bajulus, quod tam dominus Caslarii quam ejus predecessores dominos (= domini) dictarum villarum Beati Ylarii et Beati Johannis sunt et fuerunt in possessione seu quasi bannejandi usque ad dictos bientes (= limites) seu confines palam et publice, et pignorandi, et omnimodam jurisdictionem tam altam quam bassam exercendi in eis casibus, in quibus evenerunt infra dictos limites per decem, per viginti, per triginta, per quadraginta, per quinquaginta annos, et a dictis temporibus citra, et a tanto tempore cujus in contrarium memoria non existit.

Item proponit et probare intendit quod Pontius de Montelauro, olim dominus dicte ville Beati Ylarii, tempore quo erat dominus dicte ville Beati Ylarii, quadraginta anni sunt elapsi, vendidit seu alias translulit domino Poncio de Arbussis, tunc priori ecclesie Beati Petri de Salvio, stipulanti nomine dicte ecclesie et conventus dicti monasterii, plura et diversa dominia, consilia, laudimia, et census, pluresque

terras et possessiones, inter quas terras est quoddam nemus devesium, vocatum *lo Pelhane*; et concessit domino priori, necnon et per eum successoribus suis prioribus dicte ecclesie, quod animalia per familiam dicti domini prioris et successorum suorum, possessorum dictorum bonorum, per dictum Pontium de Montelauro dicto domino priori venditorum, inventorum (=inventa) in dicto bosco de *Pelhane* possent includere ex concessione dicti domini Poncii, et ad domum dicti domini prioris de Sancto Ylario adducere, et captas (= capta) detinere, quousque de dampno et tala satisfecissent et bannum dicto nobili et suis successoribus satisfecissent.

Item dicit, proponit et probare intendit quod familia dicti monasterii Beati Petri Salvii, habitatrix ville Beati Ylarii, a dicto tempore citra ea concessione predicta, est et fuit in possessione seu quasi, a dicto tempore citra, dictum boscum per devesum deffendendi, et animalia in eo capiendi, includendi et capta detinendi.

Protestatur tamen dictus Pontius Parranis quod non astringit se nec dictum dominum de Castario, ad probandum omnia et singula predicta, sed ad ea solum que per testes, per partem suam producendorum (= producendos) poterit invenire.

Item proponit et probare intendit quod de predictis, per ipsum Poncium Parranis propositis, est fama apud dictas villas Sancti Ylarii et Beati Johannis, et inter notos et vicinos.

Juxta quarum intentionum tenorem petiit suos testes per ipsum, nomine dicti domini Castarii, et pro ipso producendos, recipi et examinari.

Intendit probare Petrus Arnaudi de Belloloco, pro reverendo patre Dei gratia domino Magalonensi electo, quod jurisdictio et districtus cum mero et mixto imperio de Belloloco se extendit versus locum Sancti Johannis de Corni, usque ad locum vocatum de *Brugayrolla*; et de illo loco

protenditur usque ad podium de *la Garda*; et de illo loco usque ad nemora hominum Sancti Johannis de Corni, scilicet Bernardus *Volguier*.

Item quod jurisdictio et districtus de Belloloco se extendit versus locum Sancti Ylarii, versus nemora Guillelmi Salvanni et Ylarii de Felinis, et liberorum Bernardi Gilii; et de loco illo usque ad *Euzet de Folhos*; et de loco illo usque ad caminum quo itur de Sancto Desiderio versus Sumidrium, et usque ad riperiam Podii Ayraudi.

Item quod, cum questio esset orta inter dominum abbatem Sancti Petri de Salvio et Laurentium de Fisco de Bello loco, pro quodam campo, quem modo tenet Jacobus Sabte, qui campus est in loco vocato *la Garda*, bajulus dicti domini abbatis conquestus fuit de dicto Laurentio de Fisco ad curiam de Bello loco domini episcopi Magalonensis, et dictus Laurentius in dicta curia pro dicto campo litigavit.

Item intendit probare quod Bernardus Costa Sancti Johannis de Corni fuit verberatus, in nemoribus hominum Sancti Johannis de Corni, a quibusdam hominibus de Bello loco; qui dictus Bernardus Costa venit in curiam de Bello loco demonstrare sanguinem.

Item intendit probare quod Poncius Sabaterii de Bello loco, qui modo vivit, fuit vulneratus, in nemoribus Sancti Petri de Salvio, a quibusdam hominibus Sancti Ylarii, et predicti homines per curiam dicti domini episcopi fuerunt requisiti [e] bajulo Sancti Ylarii; et Bn. Sable, qui tunc temporis erat vicarius de Buxedone pro domino de Castario, unum illorum, qui vocabatur Ylarius Salvanni, ad curiam domini episcopi remisit curialibus dicti domini episcopi, et dictus Ylarius dedit fidejussores in curiam Melgorii.

Item intendit probare, quod quidam porquerius fuit vulneratus in quodam loco vocato Podium Borelli, et venit dictus porquerius ad curiam de Bello loco demonstrare sanguinem.

Item intendit probare quod, cum homines de Bello loco venenarentur, acceperunt unum capreolum et fuit captus ultra locum vocatum Pelhonem; et prior de Bello loco, qui

tunc tenebat dominium pro dicto domino episcopo, habuit unum carter[i]um dicti capreoli pro dominio.

Item quod bannerii de Bello loco bannejabant et bannejare consueverunt, et deffendere et custodire, usque ad loca supra designata, ut territorium, et de territorio et pro territorio et jurisdictione ville de Bello loco; et de hiis omnibus est vox et fama publica in villa de Bello loco et aliis circumvicinis.

Quibus peractis cum adhuc questio seu debatum remaneret super limitatione territorsi, quod est a dicta riparia Podii Ayraudi, assendendo versus guarrigam Johannis Martini, et ab inde directe usque ad furcas que sunt in itinere publico quo itur de Sumidrio versus Montempessulanum, et in loco seu juxta locum dictum *al home mort*, finaliter fuit tractatum et ordinatum inter partes, et de voluntate etiam et concilio domini Johannis Ricardi supradicti, quod dominus Raymundus de Lexis miles, pro parte dicti domini episcopi (=Castarii), et dominus Guillelmus de Tesio, prior de Sussanicis, pro parte dicti domini episcopi, seu probi homines per ipsos eligendi et statuendi, totum debatum, quod restabat super predictis seu territorio proxime dicto, limitarent et terminarent, ad finem ut pax et finis perpetuus super predictis esset inter partes predictas.

Demum viso ad occulum loco seu locis dicti debati per dominos Guillelmum de Tesio et Raimundum de Lexis supradictos, et super hoc plenius deliberato ad limitationem eorum que restabant, fuerunt missi et electi, videlicet Johannes de Alayraco, bajulus de Belloloco, et Guillelmus Bazi, bajulus de Restancleriis pro domino episcopo Magalonensi, et Poncius Costa de Buxodone pro domino Castarii.

Qui proxime dicti, ad hoc electi, ad terminationem et limitationem suam super predictis processerunt ut sequitur:

Et primo a dicto loco seu terminio, situato in riperia Podii Ayraudi, dicto *al cap del patu*, directe assendendo juxta riperiam Podii Ayraudi in campo Johannis Martini de Sumidrio, dicta riperia remanente communi et in eadem salvo jure abeurandi hinc inde de termino ad terminum riperie supradicte.

Item directe assendendo a proximo dicto terminio, fuit alius terminus positus in garriga Johannis Martini.

Item a dicto terminio directo, eundo et terminando ad garrigiam Petri Bedocii pro uxore sua, fuit alius, scilicet, terminus tertius, positus in dicta garrigua dicti Petri Bedocii.

Item directe eundo seu terminando, fuit positus alius terminus, scilicet quartus, in campo Petri Bedocii pro uxore sua, juxta riperiam seu vallatum dictum Podium Lobas.

Item quintus terminus fuit positus directe eundo et terminando, usque ad carreriam qua itur de manso qui fuit de Trinitate versus *Boysezo*, in qua carreria fuit positus dictus quintus terminus, computando et movendo directe a dicto primo terminio riparie Podii Eraudi.

Et terminabit directe quintus terminus usque ad sextum terminum, positum in heremo sive guarrigua Poncii de *Sobremons* pro uxore sua.

Item et a dicto termino directe eundo usque ad viam que vadit a Soleinis versus Restancherias, in qua via fuit positus septimus terminus juxta riperiam Petri *Deleuze*.

Et terminabit directo usque ad octavum terminum, positum in garrigua Jacobi Bidocii de Restanceleriis, et in dicto loco *las Usceladas*.

Item terminabit directe octavus usque ad novum terminum, positum in proxime dicta garrigua, et a dicto termino directe terminabit usque ad furchas positas in itinere publico, quo itur de Sumidrio versus Montem pessulanum, et in dicto loco *al home mort*.

De quibus dicti homines, ad hoc electi, petierunt sibi fieri publicum instrumentum.

Acta fuerunt hec in loco seu locis proximum designatis.

eodem anno quo supra, et decima die mensis septembris, presentibus testibus a paragrafo citra Poncio de *Sobremons* parrochie de Belloloco, Salvatore Guillelmi de Restancheriis, Bermundo Barnerii, Bernardo *de Leuze* de Solcinis, et me Raimundo Celararii, notario infrascripto.

Postque anno quo supra, et vicesima septima die mensis septembris, idem dominus Johannes Ricardi, arbiter, arbitrator seu amicabilis compositor supradictus, certificatus ad plenum de predictis, seu limitatione et terminorum appositione supra factis et ordinatis, interrogavit dictas partes, in ejus presentia existentes, si erant contente de limitatione et terminorum appositione supradictis.

Que partes responderunt quod sic.

Et tunc dictus dominus arbiter, arbitrator seu amicabilis compositor sepe dictus, pronunciavit et declaravit, voluit et ordinavit, et pronunciavit totam dictam limitationem et omnia alia supradicta bene et juste esse facta, et etiam in eodem statu remanere et remanere debere.

Voluit etiam et pronunciavit quod, cum predictis et salvis premissis, sit pax et finis perpetuus inter partes predictas de tota questione, seu questionibus seu debato quod erat inter dictas partes, quibus supra nominibus, ratione et occasione premissorum, retenta tamen sibi potestate sibi data, ut supra continetur.

Et subsequenter, dictus dominus Bernardus de Texeriis, vicarius supradictus, ex potestate sibi data per dictum dominum episcopum ex una parte, et dictus magister Guillelmus de Trulharibus, nomine procuratorio quo supra, ex altera, presentibus ibidem vocatis et consentientibus venerabilibus et discretis viris dominis Guillelmo de Tesio, Johanne de Affriano, Guillelmo Clari jurisperitis, pro parte dicti domini episcopi, et dominis Raimundo de Lexis, milite et curatore dicti nobilis domini Castarii, et Raimundo de Capite Villario jurisperito, pro parte domini Castarii supradicti,

predicta omnia et singula laudaverunt, amologaverunt, aprobaverunt, ratificaverunt et confirmaverunt, et contra non facere seu venire promiserunt altera pars alteri solempniter stipulanti, sub pena predicta et sub omni renunciatione juris, ad hoc necessaria pariter et cauthela.

Promittentes etiam dictus dominus vicarius predictos (= predicta) facere ratificare et confirmare dicto domino episcopo et Capitulo Magalonensi; et dictus magister Guillelmus de Trulharibus, domino Caslarii supradicto.

Acta fuerunt hec in Montepessulano in camera domus habitationis dicti domini Johannis Ricardi, presentibus testibus a paragrafo citra Petro de Insula, Dalmacio Dalmacii, Raimundo de Mujulano domicellis, magistro Petro Cami, Johanne Fabri notariis, et me Raimundo Celararii notario infrascripto.

Post hec vero anno quo supra, et penultima die mensis octobris, dicto domino Philippo Francorum rege regnante, nobilis Bermundus de Sumidrio, dominus Caslarii supradictus, certificatus de limitationibus supra factis et omnibus et singulis superius factis, dictis et ordinatis, ea omnia laudavit, amologavit, cercioratus de facto et de jure consultus, ratificavit et confirmavit, et contra non facere seu venire, de jure nec de facto, in judicio nec extra, per se vel aliquam interpositam personam, promisit michi Raimundo Celararii, notario regio, ut communi et publice persone pro parte alia et omnibus quorum interest stipulanti et recipienti; et juravit ad sancta Dei evangelia, ab ipso domino Caslarii corporaliter sponte tacta.

Acta fuerunt hec in Montepessulano, ante januam curie regie Montispessulani, presentibus testibus a paragrapho citra Poncio de Caslari[o], patruo dicti Bermundi de Caslario, magistro Jacobo Peyraytoni notario regio, Petro Ruphi sederio Montispessulani, et me Raimundo Celararii, publico auctoritate regia notario, qui requisitus predicta in notam recepi.

Vice cujus et mandato, ego Firminus Rippe, clericus juratus et substitutus dicti magistri Raimundi Celararii, predicta

omnia supradicta, scripta in tribus pellibus pergameni conglutinatis, de nota seu notis dicti magistri Raimundi Celararii sumpsi, scripsi et extraxi.

Et ego idem Raymundus Celararii, notarius supradictus, facta collatione cum dicto substituto, in testimonium premissorum hic me subscripsi, et signo meo proprio et solito signavi.

(Reg. A, fol. 182 r°).

MDCXVII. 26 mai 1330

Le procureur de l'évêque proteste contre les officiers royaux, qui ont placé sons la main du roi les biens d'une femme de Villeneuve, condamnée comme hérétique.

Noverint universi quod anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo tricesimo, domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, et die vicesima sexta mensis madii, existens sive constitutus in presentia nobilis viri domini Hugonis de Carssano militis, rectoris regii Montispessulani, ac venerabilis viri domini Johannis Ricardi jurisperiti, judicis regii Montispessulani, magister Guillelmus Clari jurisperitus, procurator, ut dixit, et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Magalonensis episcopi, reddidit quamdam papiri cedulam scriptam, et coram eodem domino rectore legi fecit, dicens, petens, requirens, supplicans et protestans, ut in dicta papiri sedula continetur.

Cujus tenor talis est:

Existens Guillelmus Clari jurisperitus, procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Johannis, Dei gratia Magalonensis episcopi, comitis Melgorii et Montisferrandi, dominique de Villanova prope Magalonam, in presentia nobilis et potentis viri domini Hugonis de Cars-

sano militis, rectoris regii Montispessulani, et domini Johannis Ricardi, judicis regii Montispessulani, vel alterius eorum, dixit et proposuit coram eis ad ejus notitiam pervenisse de novo, quod, cum nuper Guillelma Ricarda castri de Villanova, ubi dictus dominus episcopus et comes habet merum et mixtum imperium et omnimodam altam et bassam justiciam, fuisset de crimine pravitatis condempnata ad perpetuum murum:

Et propterea bona sua, que habebat in castro Villenove dicti domini episcopi et comitis et ejus pertinentiis, essent de jure communi eidem domino episcopo et comiti applicata:

Gentesque et curiales dicti domini episcopi illa bona et (=ut) sibi obligata infra jurisdictionem dicti castri Villenove altam, bassam et omnimodam existentia, tamquam eidem domino episcopo et comiti aplicata, cepissent ad manum curie dicti domini episcopi et comitis, inventorio legitimo facto:

De illis nichilominus tamen dictis bonis, sub manu et arresto dicti domini episcopi et comitis et ejus curie Villenove existentibus, vos seu alter vestrum aliqua ex dictis bonis, insciis et irrequisitis gentibus predicti domini episcopi et comitis infra dictum castrum suum Villenove, ad manum domini regis cepistis in juris et jurisdictionis predicti domini episcopi et comitis, et sue curie Villenove prejudicium non modicum et gravamen, et contra jus scriptum quo regitur hec patria senescallie Bellicadri et Nemausi.

Quare supplicat et requirit dictus procurator, instantia quanta potest, vos, dictos dominos curiales et vestrum quemlibet, ut manum regiam, per vos in dictis bonis seu eorum aliquibus appositam de facto, cum de jure non possetis, honore et reverentia vobis debitis semper salvis, quathenus de facto apposuistis, de facto amoveatis et tollatis omnino:

Permittentes dictum dominum episcopum et comitem, et curiales sue curie Villenove pro eo, gaudere libere de predictis bonis:

Alias protestatur idem procurator de gravamine, juris denegatione, et recursu ad superiorem habendo.

De quibus et responcione vestrorum dominorum curialium, seu alterius vestrum, petit dictus procurator sibi fieri publicum instrumentum.

Et dicti domini rector et judex responderunt ut sequitur: Et dicti domini rector et judex dixerunt et responderunt quod, de eorum sciencia et mandato, predicta, proposita per dictum magistrum Guillelmum, facta non fuerunt per procuratorem regium bonorum incursorum domino meo regi: predicta facta fuerunt in dicta causa fuit commissa (*sic*).

Hec acta fuerunt in curia regia Montispessulani, in presentia et testimonio magistri Petri Textoris jurisperiti, Jacobi de Ozilhano notarii, et mei Egidii Johannis, notarii publici regii Montispessulani, qui requisitus hec in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. A, fol. 44 v°).

MDCXVIII. — 13 juin 1330

Échange de cens entre l'évêque et le prieur de Poussan.

Anno Dominice Incarnationis M° III° tricesimo, et die tertia decima mensis junii, domino Philippo rege Francorum regnante, noverint universi quod, in mei notarii et testium infrascriptorum presentia, cum fuissent quedam patentes littere domini abbatis monasterii Case Dei longe ante presentate diem, ut dicebatur, prout venerabili et religioso viro, domino Guigoni Carii Salada, priori ecclesie Sancti Vincentii de Porsiano, doctori decretorum, et etiam die presenti eidem: quarum tenor talis est:

Johannes, miseratione divina abbas monasterii Case Dei in Ar[vernia], venerabili et religioso viro, magistro Guigoni,

priori prioratus nostri Sancti Vincentii de Porsiano, Magalonensis dyocesis, salutem et sinceram in Domino caritatem.

Cum in castro de Porsano, ubi Magalonensis Ecclesia merum imperium ab antiquo censetur habere, possessiones seu domos emphiteoticas Ecclesie predicte Magalonensis, certis ex causis (*blanc 2 cent.*).

Vobis autem seu dicto prioratui (*blanc 8 cent.*) discretione vestra confidentes ad plenum, vobis possessiones seu domos predictas, que prioratui nostro, sicud predicitur, parum sunt utiles, pro aliis utilioribus, infra dicti prioratus parrochiam situatis, commutandi cum Ecclesia Magalonensi predicta prefata liberam per presentes concedimus facultatem, quovis nostri generalis Capituli non obstante statuto;

Promittentes ratum et firmum in perpetuo habituros, quicquid per vos super premissis factum, commutatum fuerit sive gestum.

In cujus rei testimonium, sigillum nostrum presentibus apponi fecimus et appendi.

Datum in Casamodico (*sic*), [in] camera nostra, vicesima sexta die maii anno Domini M° III° tricesimo.

Et propterea venerabilis et religiosus vir dominus Bernardus de Texeriis, prior prioratus Beate Marie de Tabulis, vicarius generalis in spiritualibus et temporalibus reverendi in Christo patris domini Johannis, Dei gratia Magalonensis episcopi, in remotis agentis, ex una parte, pro dicto domino episcopo et de ipsius, ut dicebatur, speciali mandato: et dictus dominus prior de Porsano, ex altera, elegissent Raymundum Dortalis, Michaelem Gaudilli de Porsano, Guillelmum Solerii et Bernardum Romanhacii de Gijhano ad videndum, disquerendum et examinandum res emphiteoticas, usatica, directa dominia dicti domini episcopi infra parrochiam de Porsano existentia, usque ad valorem ducentarum quinquaginta librarum turonensium parvorum, utilia et expedientia dicte ecclesie de Porsano, pro permutatione in dictis litteris contenta, pro rebus emphiteoticariis, dominiis, consiliis et lau-

dimiis, que dicta ecclesia de Porsano habet et percipit in et super hospiciis et domibus et earum pertinentiis:

Videlicet in domo magistri Raymundi Bernardi notarii, confrontata ex una parte cum domo Johannis Bernardi, et ex altera cum domo dicti domini prioris Sancti Vincentii: in qua domo dictus dominus prior habet, singulis annis in festo beati Michaelis, XV denarios:

Et in domo Johannis Bernardi, confrontata ex una parte cum domo magistri Raymundi Bernardi notarii, et ex altera cum carreria publica, et ex altera cum domo dicti domini prioris Sancti Vincentii, in qua domo dictus dominus prior Sancti Vincentii habet, singulis annis in festo sancti Michaelis, octo denarios pro usatico:

Et in domo operis dicte ecclesie de Porsano, confrontata ex una parte cum dicta ecclesia, et cum domo magistri Raymundi Bernardi notarii, et ex alia cum domo dicti domini prioris:

Tradendis dicto domino episcopo et sue Ecclesie pro permutatione predicta, existimatis usque ad valorem ducentarum librarum.

Tandem facta relatione per dictos electos, et disquisitis per eos rebus emphiteotecariis et aliis, ad dictum dominum episcopum spectantibus, et asserto per eos quod dummodo dictus dominus episcopus, aut dictus dominus vicarius pro eodem, traderet dicto domino priori Sancti Vincentii de Porsano et sue ecclesie, pro recompensatione et permutatione dictarum rerum, ad ecclesiam de Porsano spectantium, dominia, consilia, laudimia et usatica, sine jurisdictione tamen, que habet et percipit in et super possessionibus domini Raymundi Deodati presentis et fratrum suorum, Johannis Bu., Stephani Bonerii, Salvatoris Porsani, et Raymundi Porsani et Johannis Porcelli: que pecie sunt in parrochia ecclesie de Porsano.

Que possessio Stephani Bonerii confrontatur ex una parte cum honore Johannis Porcelli, et ex altera cum honore liberorum condam Guigonis *Nagent* et cum carreria publica: in

qua dictus dominus episcopus habet, singulis annis in festo sancti Petri de augusto, duo sestaria bladi, duarum partium frumenti, et tertie ordei pro usatico.

Possessio Johannis Porcelli confrontatur ex una parte cum honore Salvatoris Porsani, et ex alia cum honore Raymundi Porsani, et ex altera cum carreria publica: in qua dictus dominus episcopus habet, singulis annis in festo sancti Petri de augusto, tres eminas predicti bladi, et in festo sancti Michaelis obolum pro usatico.

Possessio Raymundi Porsani confrontatur ex una parte cum honore Salvatoris Porsani, et ex alia cum (*blanc 2 cent.*), et ex alia cum carreria publica: in qua dictus dominus episcopus habet, singulis annis in festo sancti Petri de augusto, tres cartales bladi, duarum partium frumenti et tertie ordei, et unam pictam in festo sancti Michaelis pro usatico.

Possessio Salvatoris Porsani confrontatur ex duabus partibus cum duabus carreriis publicis, et ex altera cum honore Raymundi Porsani: in qua dictus dominus episcopus habet, singulis annis in festo sancti Petri de augusto, tres cartales bladi, duarum partium frumenti et tertie ordei, unam pictam in festo beati Michaelis pro usatico.

Predicta permutatio erat utilis et fructuosa dicte ecclesie de Porsano.

Qua relatione facta et lectis predictis litteris, predicti domini vicarius et prior de Porsano, agnoscentes dictam permutationem expedire quam plurimum dictis ecclesiis et personis; et specialiter dictus dominus prior de Porsano, cognoscens utilitatem evidentem esse sue ecclesie predicte in permutatione predicta, convenerunt quod quando dicta permutatio procederet, ipsi seu alteri eorum, per se vel per alium seu alios, nullum impedimentum facerent seu fieri procurarent, nec contra venirent, quominus dicta permutatio fiat et optatum sortiatur effectum, retenta tamen voluntate dictorum dominorum episcopi Magalonensis et abbatis Case

Dei, dum tamen de dictorum dominorum episcopi Magalonensis et abbatis perseverantia apparerct.

Acta fuerunt hec infra domum prioratus Sancti Vincentii de Porsano, in presentia et testimonio domini Guillelmi de Tesio priore ecclesie Sancti Martini de Sussanicis, Gervasii de Calatorio domicelli de Pegayrollis, et mei Raymundi Bernardi, notarii publici dicti domini Magalonensis episcopi in tota ejus terra et dyocesi, qui requisitus a dictis dominis vicario et priore de Porsano, hec omnia in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. F. fol 258 v°).

MDCXIX. — 22 juin 1330

Enquête contre Pierre de Cournon et ses complices, qui ont assailli Pierre Raimond de Poussan: jugement.

Noverint universi quandam inquisitionis causam diutius, in curia regia Montispessulani, coram nobili et potenti viro domino Hugone de Carssano milite, rectore regio Montispessulani, agitatam fuisse, et titulum formatum fuisse contra nobilem Petrum de Cornone domicellum, Guillelmum Budi priorem Sancti Pauli de Monteamelo, magistrum Jacobum Melgorii, Raimundum Budi, Guillelmum de Coffinhaco, Rostagnum Budi et Johannem Boerii de Porsano, et quosdam alios suos complices, per modum qui sequitur:

Anno Dominice Incarnationis M° CCC° XXX°, domino Philippo Dei gratia Francorum rege regnante, et die XXII mensis junii, clamosa insinuatione famaque publica refferente, pervenit ad audientiam curie regie Montispessulani, et nobilis viri domini Hugonis de Carssano militis, rectoris, et honorabilis viri domini Johannis Ricardi jurisperiti, judicis regiorum Montispessulani, quod quidam iniquitatis fi-

lii, videlicet nobilis Petrus de Cornono Terralli domicellus, Launetus ejus scutifer, dominus Petrus Budi prior Sancti Pauli de Montecamelo, Jacobus Melgorii, Raimundus Budi, Guillelmus de Caffinhaco, Rostagnus Budi et Johannes Boerii de Porssano, et plures alii eorum complices, sua audatia presumptiva, spiritu nequitie imbuti, mente deliberata animoque excogitato, in magnum vituperium domini nostri regis et curie sue predicte, predicti delati, turba coadunata, armati spaleriis, gonionibus, cerveleriis platis, cirothecis de platis, balistis, musquetis et cayrellis, scutis cum signo et armis dicti nobilis Petri de Cornone, lanceis, peyreriis, ensibus, bloqueriis et targiis cum lapidibus etiam et plumbatis ad modum exercitus, et aliis armis illicitis diversimode armati, contra pacis federa et bonum statum terre, in camino publico transeunte per rectoriam Montispessulani et jurisdictionem domini nostri regis, mansum de Tarnenco, in salvagardia speciali regia existente[m], de qua pluries existebant dicti delati certificati, prout inferius apparebat, invaserunt, et portas dicti mansi rumperunt et in cellarium portas etiam rumpendo, intraverunt cum balistis trahendo et ensibus nudis percutiendo, et cum aliis armis predictis invadendo, Petrum Raymundi, in dicto manso existentem in salvagardia predicta, et in eundem irruentes, in tantum quod ipse superius in aula hospicii se inclusit se deffendendo, ut melius potuit; conantes ipsum Petrum occidere et dictum mansum spoliare, nisi a casu bajulus de Porssano et vicarius etiam domini episcopi Magalonensis ibidem venissent, et ipsos impedivissent et arrestassent, vim publicam comittendo, et salvam gardiam regiam frangendo, necnon in crimen lese majestatis incidendo.

Item pervenit ut supra, quod predicti delati, mala malis accumulantes, dum predictus bajulus et etiam serviens domini episcopi Codoletus, pro predicta invasione et illicita armorum portatione dictos delatos arrestassent, ipsi delati obedire noluerunt, sed recesserunt cum dictis armis, arrestum predictum frangendo et ordinationes regias de armis illicitis, per regnum non portandis, violando.

Item pervenit ut supra, quod predicti nobilis Petrus de Cornone et prior Sancti Pauli arrestum factum per Petrum Loniassoni, servientem regium, et predictum Codoletum, servientem dicti domini episcopi, in equis quibusdam, dictos equos in vituperium dicti arresti regii adduxerunt.

Item pervenit ut supra, quod de predictis omnibus et singulis est vox et fama publica inter notos et vicinos predictorum delatorum.

Unde cum predicta, si veritate nitantur, sunt valde detestabilia et correctionis digna, nec debeant conniventibus oculis remanere impunita, dicta curia, super predictis informata, processit ad inquirendum et alias, ut inferius continetur.

Sequitur tenor salvegardie predicti Petri Raimundi sub hiis verbis:

Hugo de Carsano miles, rector regius Montispessulani, Bernardo de Bellicadro ceterisque servientibus regiis Montispessulani, salutem et dilectionem.

Litteras patentes domini senescalli nos recepisse [noveritis] sub hiis verbis :

Hugo Quiereti miles, senescallus Bellicadri et Nemausi, rectori regio Montispessulani vel ejus locum tenenti, ceterisque justiciariis nostris, ad quos presentes littere pervenerint, salutem.

Litteras regias recepimus, formam continentes sequentem:

Philippus, Dei gratia *etc., ut supra, p. 42 de ce tome.*

Quarum auctoritate litterarum vobis mandamus et committimus, quatenus omnia et singula, in dictis litteris regiis contenta, ut ad vos pertinuerit, adimpleatis et exequamini cum effectu, juxta dictarum litterarum continentiam et tenorem

Datum in Montepessulano sub sigillo nostro, die XIX januarii, anno Domini M° CCC° XXIX°.
Reddite litteras sigillatas.

Quarum auctoritate litterarum vobis et vestrum cuilibet precipimus et mandamus, quatenus personas dicti supplicantis ejusque familiam, bona, res, quas sub salvagardia regia et protexione ponimus juxta tenorem litterarum predictarum, ab omnibus injuriis, violentiis et oppressionibus quibuscumque tuheamini et deffendatis;
Dictam salvam gardiam bajulo de Porssano ceterisque justiciariis, et aliis de quibus fueritis requisiti, intimando: eisdemque ex parte regia inhibendo, ne contra tenorem salve gardie predicte veniant quoquo modo.
Precaventes tamen ne de hiis que cause cognitionem exhigunt, vos quomodolibet intromittatis, nec de pocessione supplicantis predicti, donec coram nobis fuerit justificatum.
Reportate litteras.
Datum in Montepessulano, die IX febroarii, anno Domini M° CCC° XXIX°.

Deinde inquisito cum dictis delatis responsoque per eosdem super contentis in titulo predicto, lite igitur contestata seu habita pro contestata per responsionem dictorum delatorum, et ulterius processo in dicta inquisitionis causa, prout in inquesta inde facta plenius continetur, nobilis vir dominus Hugo de Carsano miles, rector regius predictus, assidente sibi honorabili viro domino Johanne Ricardi jurisperito, judice regio curie predicte, processit ad suam sententiam ferendam super predictis ut sequitur:

Ad hec, nos Hugo de Carssano miles, rector regius Montispessulani, assidente nobis et consulente dicto domino judice curie predicte;
Viso titulo predicto et responsionibus, factis per dictos delatos ad tituium predictum, depositionibusque testium tam pro jure dicte curie quam etiam pro deffentione delato-

rum predictorum; meritisque totius dicte inqueste maxima deliberatione discussis:

Nichil de contingentibus pretermisso, habitoque super premissis plurium consilio peritorum, et aliis servatis que in talibus servari consueverunt, solent et debent:

Die presenti et hora tibi, Raimundo Budi, nomine tuo proprio ac nominibus procuratoriis aliorum delatorum, ad sententiam audiendam precize et perhemptorie assignatis, et quas tibi iterum ad cauthelam, nominibus quibus supra, assignamus:

Sedentes pro tribunali in dicta curia more majorum, sacrosanctis Dei euvangeliis positis in conspectu nostro, ut de vultu Dei rectum nostrum prodeat judicium, et oculi nostri semper in hiis et aliis videant equitatem:

Signo venerabili Sancte Crucis premuniti: *In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen.*

Quia non constat nobis per ea que in presenti inquesta actitata reperiuntur, dictos delatos illicitam portationem armorum fecisse, nec cum turba coadunata seu ad modum guerre:

Idcirco per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam in hiis scriptis ferimus, dictos delatos et quemlibet eorum ab omnibus et singulis, in dicto titulo contentis, in quantum tangunt dominum nostrum regem et suam curiam predictam absolvimus, et absolutos declaramus.

In quantum vero tangunt dominum episcopum Magalonensem, qui altam justitiam habet in dicto manso de Caornenco, quantum ad laycos et quantum ad clericos, remittimus justitiam subituros pro suis demeritis, si que reperiantur super predictis, in dicto titulo contentis, deliquisse.

De quibus omnibus et singulis, tam dictus Raimundus Budi, nominibus quibus supra, quam magister Guillelmus Clari jurisperitus, nomine procuratorio, ut dixit, dicti domini episcopi, petierunt sibi fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Lata fuit hec sententia et remissio facta per dictum domi-

num rectorem in dicta curia, ipso domino rectore ac dicto domino judice pro tribunali sedentibus, anno Dominice Incarnationis millesimo CCC° XXXI°, domino Philippo illustrissimo principe, Dei gratia Francorum rege regnante, et die XXVII mensis febroarii, in presentia et testimonio discretorum virorum magistrorum Bndi Faventine, Guillermi Saligani jurisperitorum, Bndi de Pineto, Jacobo Sambuci notariis, Guillelmo Raimundi, Petri de Flandris, servientium regiorum, et plurium aliorum, et mei Egidii Johannis, notarii publici regii Montispessulani et curie predicte jurati, qui, mandato dictorum dominorum rectoris et judicis, ac requisitione dictorum magistri Guillelmi Clari Raimundique Bndi, nominibus quibus supra, hec in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. B, fol. 171 r°).

MDCXX. — 25 juin 1330

Inventaire, avant afferme, des biens meubles et immeubles, appartenant à l'évêque, dans la baylie de Sauve.

In nomine Domini Nostri Jhesu Chrisri. Amen. Anno Incarnationis ejusdem M° CCC^mo^ tricesimo, et die XXV mensis junii, illustrissimo principe domino Philippo rege Francorum regnante, et domino Johanne divina providentia [et] clementia Magalonensi episcopo dominoque Salvii presidente, noscat presens etas et posteritas successiva, quod, in presentia testium subscriptorum et testimonio mei subscripti notarii, discretus vir dominus Guillelmus Banerii presbiter, procurator et procuratorio nomine ac vice reverendi patris in Christo domini, et domini Johannis, divina providentia Magalonensis episcopi, ut fatebatur, et alias omnibus non dicitur occultum dictum dominum Guillelmum fore, ut premittitur, procuratorem predicti domini episcopi, cum sepissime man-

datum ipsius, palam et publice in judicio et alibi, fuerit ostensum, quod revera notorium omnibus et singulis censetur;

Attendens, inquam, predictus dominus Guillelmus, procuratorio nomine quo supra, non intendens in aliquo, tacite vel expresse, sue potestatis mandatum transgredi, sed fideliter, ut expedit, se gerere, et etiam habere ad memoriam rerum mobilium et immobilium, dictum dominum episcopum tangentium pro terra seu baylivia Salavesii, voluit de rebus supradictis inventarium inchoare manu auctoritatem habentis, pro tanto quod imposterum certum documentum pendeat de ipsis bonis mobilibus et immobilibus, prout ascribi faciet in dicti inventarii serie et forma:

Et hoc videlicet antequam Guillelmus Coguleti, clericus parrochie Sancti Thome de Duroforti, diocesis [Nemausensis], firmanus (= firmarius) omnium fructuum, reddituum et obventionum, qui et que percipi et haberi potuerunt per tempus traditum in instrumento sibi concesso, ratione firme supradicte, ex terra seu baylivia terre Salavesii supradicti, predicto Guillelmo Coguleti firmario gratum et ratum habente confectionem inventarii super premissis, et indempnitum dicti domini episcopi et ipsius firmarii, cum tempore finis sui temporis non poterit compelli ad tradendum vel restituendum ultra que sibi tradita probabuntur, per formam inventarii presentis. Et hiis diligenter inter eos peractis, de communi utriusque partis voluntate et assensu, predictus dominus Guillelmus, procuratorio nomine quo supra, presente firmario predicto, et eo postulante et requirente, suum inventarium inchoavit; et dixit inchoando eo modo quo in talibus de jure fieri potest meliori, salvo sibi quolibet juris beneficio refficiendi et refformandi, si et in quantum de jure videretur expediendum; et alias ipsum inventarium complevit, prout in eo semper sollempnitates dictorum testium et notarii exhibentur.

Nomina vero rerum dicto firmario traditarum, tam mobilium quam immobilium, sunt hec, prout per ordinationem describuntur:

Primo videlicet idem procurator, quo supra nomine, tradidit manualiter dicto firmario presenti, stipulanti et recipienti sollempniter unum cremalherium ferri.

Item duos tripedes sive *andos* ferri.

Item unum *astier* ferri.

Item quasdam coanas ferri.

Item duos *mesterers*.

Item unam sartam sive padenam.

Item unam *gyadoyra* ferri

Item aliam sartam perforatam.

Item duo cloquecissa ferrea, quorum unum est perforatum.

Item unum *tusonier* ferri.

Item unum ar (*blanc 2 cent.*) ferri.

Item unum signum ferri ad signandum parapsides.

Item unum morterium lapideum.

Item unum trissonum fusteum.

Item unum *gaudal* fusteum.

Item X parapsides.

Item septem cisoria fustea.

Item quatuor grosaletos fusteos.

Item unam grazilham ferream.

Item unam escueyram modici valoris, que est in pariete coquine.

Item unam magnam ollam de terra.

Item duas ollas de terra modicas se[u] forme communis.

Item unum *reffrejador* de terra.

Item unum *soc* sive cellam ad tenendum morterium.

Item unum *orjal* de terra ad portandum aquam modicum.

Item III mensas cum VI scamnellis causa comedendi paratas.

Item VIII scamnos sive *bancs* tam magnos quam parvos.

Item unam cathedram fusteam perforatam ad exiendum ad cellam.

Item unum armarium fusteum,

Item unam cellam fusteam cum tribus pedibus.

Item unum lectum *cordeih*.

Item unum *tressador* in aula.

Item duas cupas ad recipiendum bladum.

Item tria cartalia ad mensurandum bladum, quorum unum est de tanta baylivie de Duroforti.

Item unam paleam fusteam.

Item unum cophinum alias *cabas* modici valoris.

Item duo candelabra.

Item quatuor tassas vitreas.

Item quatuor gabellos vitreos.

Item tres amphoras.

Item unam cupam cum pede vitreo.

Item unam palhassam.

Item III lodices modici valoris.

Item duos lodices communes.

Item tres culcitras de translicio, de pluma competenter munitas.

Item duo pulvinaria de translicio cum pluma.

Item duo pulvinaria de lana, unum cum pluma, et aliud sine pluma.

Item tria linteamina.

Item unum *chalo* modici valoris.

Item tria vasa fustea pauci valoris.

Item duo scrinnia cum clave.

Item omnes portas hospicii publici domini episcopi, quod quidem hospicium est in villa Salvii scitum, clavium munitas, tribus ex[c]eptis, in quibus non sunt claves.

Item quinque compedes sive *grilhos* de ferro, ad incarcerandum malefactores, suis demeritis exigentibus.

Item unam lunam de ferro.

Item unum *dembiador*.

Item unum martellum.

Item quasdam cordas carceris ad questionandum malefactores.

Acta fuerunt hec Salvii, infra hospicium memorati domini nostri Magalonensis episcopi, et fuerunt testes ad predicta presentes magister Bn. Loberie notarius, Laurentius Boarene clericus, Bernardus de Mejano ac Bn. Roca serviens curie

Salvii dicti domini episcopi, et ego Johannes de Laudio notarius publicus infrascriptus.

Et post predicta, [anno] quo supra, et die ultima dicti mensis junii, memoratus dominus G. Barrerii, procurator et procuratorio nomine supradicto, nolens hujus inventarii negocium relinquere indiscussum, sed vero ipsum totaliter perficiendi, una cum dicto Guillelmo Coguleti firmario, personaliter accessit ad mansum de Besornis prefati domini episcopi, et eidem firmario, sub continuatione inventarii supradicti, tradidit civiliter et naturaliter bona conscia (= consistentia) in dicto manso, prout per ordinem sequitur:

Et primo unam pasteriam.

Item unum scrinium sine clave.

Item duo vasa modici valoris ad tenendum bladum.

Item unum signum ad signandum bestiarium de ferro.

Item unum morterium lapideum.

Item unum trissonum fusteum.

Item unum scannum.

Item unum *cremalh* alias *palissenghe.*

Item unam tinam vinariam.

Item duos postes.

Demum tradidit idem dominus Guillelmus, procuratorio nomine predicto, prefato firmario, presenti et ut supra stipulanti et recipienti, possessiones, ac predia et bona que secuntur, et sub serie et forma continentibus (= contentis) in presenti inventario, seminatas et seminata, cultivatas et cultivata, ut ecce:

Unum primum videlicet campum, vocatum *la parra* de area, seminatum de frumento.

Item alium campum vocatum *l'angle dal Noguier*, seminatum de frumento, circa unam eminatam.

Item alium campum vocatum *la Cumba*, qui campus tenet seu se extendit ab itinere de *Besornet* usque ad iter quo itur versus Andusiam, seminatum mixture; et est tertia pars vel circa frumenti, et residuum de spenca: et sunt circa octo sestayriate.

Item alium campum, seminatum de ciseeribus, qui vocatur de Foule vida, circa unam eminetam, duabus vicibus aratus.

Item alium campum, vocatum *lo Vinhal*, qui est subtus dictum mansum, seminatum de quibus (*sic*) palmela, circa tres sestariatas.

Item alium campum, vocatum de Vinea, seminatum de saligine, circa duas sestariatas.

Item alium campum, vocatum *la Moleyrela*, seminatum de avena, circa unam sestariatam.

Item sunt in dicto manso de Besornis alique terre arate seu quo (= quasi) arate, per modum qui sequitur infrascripte:

Primum videlicet quidam campus, situs juxta iter quo itur versus Andusiam, et est aratus semel tantum sive pluries, et tenet quatuor sestariatas vel circa.

Item alius campus, qui est in loco vocato in riperia de molendino, qui est aratus semel tantum sive pluries.

Item sunt in dicto manso et de pertinentiis ipsius mansi duo orti, plantati de caulibus.

Item etiam sunt alique terre, que tenentur pro dicto domino episcopo et nomine ipsius pro dicto manso, et (*blanc 2 cent.*) bladorum et leguminum et aliorum quorumcumque granorum ibidem exeuntium.

Primo tenet et possidet unam ex dictis terris peciam, tamquam colonus, Stephanus de Torondo, vocatam Valescureta, nunc seminatum de speuca.

Item etiam tenent et possident aliam terre peciam, equis partibus pro indiviso, et ut coloni ejusdem terre, Johannes de Tribus Fontibus et Petrus de Corboneriis in loco vocato Valescureta, nunc seminatam de speuca.

Item tradidit, predicto nomine, prefatus procurator predicto firmario, presenti ut supra et stipulanti, recipienti, quoddam molendinum theotherium, situm in riperia de *Besornet*, ad dictum mansum pertinens, munitum debite de molis, radetis, duobus martellis ferreis, et aliis rebus neces-

sariis ad dictum molendinum et servitium ejusdem pertinentibus.

Item quoddam pratum cum herba que erat de presenti in eodem. cum adhuc non esset secatum, prout cuilibet apparenter hoc expresse apparebat.

Item quandam vineam, bene et sufficienter fossam, et putata et alias bene conducta, et debitis operibus cultivata.

Item quendam alium ortum, in quo quidem orto sunt *alliciet*, sepe et quedam alia ortolhalha: adjecta conditione quod, finito tempore dicte firme, dictus Guillelmus Coguleti firmarius dictum ortum dimittere teneatur et debeat cum consimile orthalhalha, et in tali quali quantitate ipsum recepit in presenti.

Et si super hiis, in solidum vel in parte, discrepet in aliquo cum dicto domino episcopo vel ejus parte, promisit eo casu dictus firmarius bona fide cognitioni stare proborum hominum inferius nominatorum et electorum, neutri parti minime suspectorum, et exinde facere et sequi que ipsi cogno[vi]ssent simul vel separatim contra eundem, sub obligatione et ypotheca suorum bonorum omnium, per eum inferius obligatorum:

Et sub hiis obligationibus fuit, in presentia dictorum testium et mei infrascripti notarii, actum et specialiter in pactum deductum, et sollempniter conventum in modum pacti utilis, a jure procedentis, inter dictum dominum Guillelmum Barnerii, procuratorem predictum et procuratorio nomine quo supra ex parte una, et preditum Guillelmum Coguleti, arrendatorem predictum, ex parte altera, quod prenominatus arrendator et firmarius in fine anni ultimi sue predicte firme rene (*blanc 2 cent.*) et debent (= deberet) dimittere et relinquere possessiones dicti mansi, in illo videlicet statu in quo nunc recipit easdem, sub illis culturis et seminibus tunc totaliter dicto domino episcopo vel successori suo remanentibus seminatis seminibus quibus nunc, et, ut supradictum est, reperiuntur arate et seminate, dictorum bonorum inferius obligatorum per eum obligatione expresse repetita.

Ceterum dictus dominus Guillelmus, procuratorio nomine quo supra, antequam se ad alios actus diverteret, in dictorum testium et mei notarii presentia, tradidit dicto Guillelmo Cogulети, arrendatori presenti, et ut supra stipulanti et recipienti, animalia dicti mansi, seu in ipso manso existentia; que siquidem animalia nominantur et designantur per ordinem inferius.

Super quorum valore seu precio, dictus tradens et dictus recipiens stare [promiserunt] cognitioni et extimationi Guillelmi Berengarii de Duroforti, Guillelmi Seguini, Guillelmi de Besornis et Idontii Amalrici, bonorum hominum, et legualium virorum, et quibus corporaliter prestito juramento super sancta Dei evangelia, per me notarium infrascriptum [et] presentes testes infrascriptos, quod fideliter cognoscent et extimando pronunciabunt, super valore cujuslibet animalis, prout sequitur:

Predicti, inquam, Guillelmus Berengarii, Guilielmus Seguini, Raimundus de Bisornis, et Idoncius Amalrici, homines jurati quod legaliter et juste extimabunt dicta animalia: et per juramentum, per quemlibet eorum prestitum, ad extimam dictorum animalium et cognitionem suam super dictam extimam, dictis procuratore et firmario presentibus et sic fieri postulantibus, processerunt:

Videlicet unum bovem pili rubei, communi extima valere dixerunt pronunciando sex libras et X solidos turonensium parvorum.

Item duas sues sive truejas cum decem porcellis lachivis et novem porcellis *noyridors* anni preteriti; in quibus duobus trogis, et novem porcellis medietatem censetur habere dictus episcopus antedictus, et custos dicti domini episcopi, qui pro eodem dictum tenuerunt mansum, causa dicta porcina animalia nutriendi et pro labore suo, aliam medietatem animalium predictorum, extimando partem dictorum animalium porcinorum dicti domini episcopi valore (= valere) LXV solidos cum sex denariis turonensium parvorum.

Item tres oves cum lacte;

Novem vacivas anni preteriti:

Septem mutones unius anni:

Et XXXIII agnos anni presentis tam masculos quam femellas.

In quo avere lanuto dimidiam habet partem item (=idem) dominus episcopus, alia media parte remanente penes custodem mansi supradicti: extimando partem dicti domini episcopi valere dixerunt LXXII solidos et VI denarios.

Item XXXII animalia cogerina, tam antiqua quam innealia anni presentis: in quibus idem dominus episcopus habebat medietatem, et aliam residuam idem custos: communi et leguali extima valere dixerunt dicti domini episcopi partem LXXI solidos turonensium parvorum.

Hoc expresse acto etiam inter partes predictas et in pactum specialiter deducto. quod idem firmarius, in fine temporis sue firme, teneatur et debeat et ad hoc faciendum sit astrictus omnia predicta animalia quecumque sint, prout superius sunt nominata et leguali extima extimata. reddere et restituere dicto domino episcopo vel successori suo indilate, prout dicta animalia stabunt seu reperientur ad extimam iterato faciendam per dictos Guillelmum Berengarii, Guillelmum Seguini. R. de Besornis et Poncium Amalrici, si tempore illo vivant. per illos videlicet qui ex ipsis tempore illo vitam habebunt, ad eorum extimam et cognitionem dicta animalia restitui, ut premittitur, si extent.

Si vero, quod absit et Deus avertat. tempore illo non extarent. quod idem firmarius, juxta extimam, in presenti factam, emat et emere teneatur, et debeat dicto domino episcopo vel ejus successori illa animalia que ex tunc non extarent; et super hoc idem dominus episcopus habeat jus eligendi vel ad pretium nunc extimatum. vel ad rehabendum alia non extimata. usque ad summam extime facte in presenti. pro capite quorumcumque animalium infrascriptorum.

Et predicta prenominatus Guillelmus Coguleti omnia et singula, prout superius, exprimuntur. attendere et complere

et in nullo contraire per se vel alium, de jure vel de facto, per sollempnem stipulationem et sub obligatione omnium bonorum suorum presentium et futurorum, dicto domino Guillelmo Barrerie presenti, et procuratorio nomine dicti domini episcopi sollempniter stipulanti et recipienti, bona fide plevita que vim habet juramenti, promisit et convenit, et super hiis petitioni et obligationi libelli et beneficio appellandi et provocandi, et fori sui privilegio, feriis messium et vindemiarum, et dilationi decem et XX dierum, et induciis quinquinalibus, et aliis majoribus et minoribus, et juri dicenti confessionem factam extra judicium non valere renunciavit expresse, supponens se pro predictis et quolibet predictorum jurisdictioni et cohertioni curie domini Nemausensis episcopi;

Et si in exigendis dampnis vel interesse, una cum principali sorte omnium predictorum, a dicto firmario dampnum aliquod sustineret, reputaret vel haberet [episcopus], predictus firmarius promisit dicto domino Guillelmo stipulanti, ut supradictum dampnum et interesse, una cum sorte principali, predictum, sub obligatione dictorum suorum bonorum, restituere et emendare, super quibus credere promisit simplici verbo predicti domini episcopi et cujuslibet ipsius successoris:

Promittens se non dixisse..., propter quod obligatio rerum infrascriptarum posset de jure tolli, vel alias infringi aut modo quolibet annullari in solidum vel in parte:

Volens et concedens firmarius, quod hoc presens instrumentum, in judicium productum vel non productum, possit et valeat per me dictum et infrascriptum notarium confici et refici semel, bis et pluries, et totiens quotiens per partes predictas fuero requisitus, facti tamen substantia in aliquo non mutata.

De quibus omnibus et singulis supradictis, tam dictus Guillelmus Barrerii, procuratorio nomine quo supra, quam etiam dictus Guillelmus Coguleti firmarii predicti, ratione et occasione sue firme predicte, petierunt sibi fieri publicum ins-

trumentum, prout superius est expressum, per me notarium infrascriptum.

Acta fuerunt hec a paragrapho citra, in dicto manso de Besornis, in presentia et testimonio Stephani Aychelemi, Johannis de Coguleto parrochie de Duroforti, Guillelmi de Glamoleriis et Bn. Guarnerii parrochie Sancti Andree de *Vabre*, et me[i] Johannis de Laudio, notarii publici prelibati domini nostri Magalonensis episcopi, qui de mandato dicti domini Guillelmi, procuratoris predicti et procuratorio nomine quo supra, predicta fieri postulantis et volentis, et ad requisitionem dicti Guillelmi de Coguleto, arrendatoris predicti, de predictis omnibus et singulis suprascriptis, notam recepi et scripsi, et in hanc formam publicam redegi, et ad majorem firmitatem omnium et singulorum suprasriptorum habendam signo meo signavi consueto.

Et constat in rasura *etc*.

(Reg. D, fol. 78 v°).

MDCXXI. — 9 juillet 1330

Philippe de Valois ordonne de donner des compensations à l'évêque, pour les biens de Déodat Séguier.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri, salutem.

Ad supplicationem dilecti et fidelis nostri episcopi Magalonensis, asserentis quod vos seu alii officiales vestri quasdam possessiones, sitas in pertinentiis castri sui de *Melguer*, ubi omnimodam altam et bassam habet justitiam, ut dicitur; que possessiones per forefacturam Deodati dicti *Seguier*, regie magestati venerunt in commissum, certis personis, pro certo annuo censu nobis solvendo, in emphiteosim concessistis, volumus, vobisque mandamus et comitimus quatenus, si est ita, dictum censum annuum, cum censibus quos idem

episcopus annuatim percipit supra domos quas tene[n]t subvicarius et alii officiales nostri in Montepessulano, valorem ad valorem, vocato procuratore nostro et aliis evocandis, excambialis auctoritate nostra, et, prout vobis faciendum videbitur, permutetis.

Si vero census nostri ipsius episcopi censibus prevaleant, eundem ad finandum in pecunia pro majori valentia, attentis etiam hiis omnibus attendendis et nostra retenta voluntate in omnibus, admittatis, et super hoc vestras eidem litteras concedatis, per nos, si et prout vobis visum fuerit, postmodum confirmandas.

Datum Parisius, die IX julii, anno Domini M° CCC° tricecesimo.

(Reg. C, fol. 166 r°).

MDCXXII. — 14 juillet 1330

Publication de quelques lettres royaux.

Noverint universi quod anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo tricesimo, domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, et die quarta decima mensis julii, existens sive constitutus in curia Montispessulani, in presentia nobilis viri domini Hugonis de Carssano militis, rectoris regii Montispessulani, magister Poncius Berengarii, procurator, ut dixit, et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini episcopi Magalonensis, et reddidit et presentavit quasdam patentes litteras, sigillatas in dorso sigillo senescallie Bellicadri et Nemausi, ut prima facie apparebat.

Quarum tenor talis est:

Bernardus de Languysello miles, Albasii dominus, locum tenens domini senescalli Bellicadri et Nemausi, rectori regio

Montispessulani, aut ejus locum tenenti, ceterisque justitiariis dicte senescallie ad quos presentes littere pervenerint, et eorum alteri vel ipsorum loca tenentibus, salutem.

Litteras patentes regias nos recepisse noveritis sub hiis verbis:

Philippus, Dei gratia *etc.; ut supra n° 1602 p. 72 de ce tome.*

Quarum litterarum regiarum auctoritate, vobis et vestrum cuilibet mandamus quatinus omnia et singula, in dictis litteris contenta, faciatis et exequamini diligenter juxta formam et tenorem earumdem.

Datum Nemausi, die undecima marcii, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo nono.

Reddite litteras sigillatas.

Suivent, avec les mêmes formules au commencement et à la fin, les lettres royaux suivantes: n° 1606 p. 75, n° 1604 p. 73, n° 1593 p. 56, n° 1600 p. 70, n° 1601 p. 71, de ce tome.

Quibus litteris ex[h]ibitis et productis coram predicto domino rectore, dictus magister Pontius, procuratorio nomine quo supra, petiit et requisivit contenta in dictis litteris adimpleri, juxta continentiam litterarum predictarum.

Et dictus dominus rector obtulit se paratum contenta in dictis litteris celeriter adimplere juxta continentiam earumdem.

De quibus dictus magister Pontius, necnon magister Guillelmus Clari petierunt sibi fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Hec acta fuerunt in curia regia Montispessulani, in presentia et testimonio domini Geraldi Lombardi, Andree de Egidio jurisperitorum, Raymundi Massipi ordearii Montis-

pessulani, et mei Egidii Johannis, notarii publici regii Montispessulani, qui requisitus hec in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. C, fol. 34 v°).

MDCXXIII. — 15 juillet 1330

Autre publication de lettres royaux.

Noverint universi quod anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo tricesimo, domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, et die quinta decima mensis julii, existens sive constitutus in curia regia Montispessulani, in presentia nobilis viri domini Hugonis de Carssano militis, rectoris regii Montispessulani, magister Guillelmus Clari jurisperitus, vice officialis Magalonensis, et ut procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Johannis, Dei gratia episcopi [Magalonensis], presentavit et per me notarium infrascriptum legi fecit, coram dicto domino rectore, quasdam patentes litteras, sigillatas in dorso earumdem sigillo senescallie Bellicadri et Nemausi ut prima facie apparebat:

Quarum tenor talis est:

Bernardus de Languisello miles, Albasii dominus, locum tenens domini senescalli Bellicadri et Nemausi, rectori regio Montispessulani, vel ejus locum tenenti, ceterisque justitiariis dicte senescallie ad quos presentes littere pervenerint, et eorum alteri, vel eorum loca tenenti, salutem.

Litteras patentes regias recepimus sub hiis verbis:

Philippus, Dei gratia *etc. ut supra T. IV, n° 1275, p. 711.*

Quarum auctoritate litterarum regiarum, vobis et vestrum

cuilibet mandamus, quatenus omnia et singula, contenta in dictis litteris regiis, faciatis et exequamini diligenter, juxta earum continentiam et tenorem.

Datum Nemausi, undecima die marcii, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo nono.

Reddite litteras sigillatas.

Quibus litteris presentatis, predictus magister Guillelmus requisivit dictum dominum rectorem, ut contenta in dictis litteris adimpleret, et ut sibi remitteret Raimundum Perrini, Petrum de Comba, Poncium Ricardi et Bernardum [de] Balmis, clericos conjugatos, quos in suo carcere regio Montispessulani detinebat captos et arrestatos, ut dixit, juxta continentiam litterarum predictarum:

Petens de predictis et de responsione dicti domini rectoris super predictis, sibi fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Et dictus dominus rector, visis dictis litteris et diligenter intellectis, assidente sibi honorabili viro domino Johanne Ricardi jurisperito, judice regio Montispessulani, obtulit se paratum contenta in dictis litteris adimplere juxta continentiam earumdem.

Et nichilominus remisit eidem predictos clericos, superius nominatos, pro suis demeritis puniendos.

Hec acta fuerunt in curia regia Montispessulani, in camera inquestarum, in presentia et testimonio domini Girardi Lombardi, Andree de Sancto Egidio jurisperitorum, Raimundi Mancipi ordearii Montispessulani, et mei Egidii Johannis, notarii publici regii Montispessulani, qui requisitus hec in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. E, fol. 56 r°).

MDCXXIV. — 31 juillet 1330 (?)

L'évêque prend en commis deux maisons à Montpellier.

Anno Incarnationis Domini millesimo trecentesimo vicemo nono (*sic*), scilicet ultima die julii, domino Philippo rege Francorum regnante, et reverendo in Christo patre domino Johanne, Dei gratia Magalonensi episcopo presidente, noverint universi, quod cum Raimundus Claparede, habitator partis regie Montispessulani, cessasset in solutione usaticorum duorum hospiciorum et unius casalis, que tenebat in emphiteosim a domino episcopo supradicto, per sex annos et ultra: que quidem hospicia et casale cum eorum censibus inferius designantur, discretus vir dominus Johannes Gervasii presbiter, bajulus aule episcopalis Montispessulani, procuratorque et nomine procuratorio dicti domini episcopi, accedens ad predicta hospicia et casale, juris auctoritate et juxta consuetudinem in hac patria in talibus observatam, ac etiam juxta concessionem, prout predicta omnia predictus procurator asserebat, regiam predictis consonam, contentam in litteris regiis infrascriptis, predicta hospicia et casale, propter dictum censum seu usaticum non solutum, cepit in manum dicti domini Magalonensis episcopi, in comissum et tanquam comissa, intrando corporalem possessionem eorum, apperiendo, claudendo et deambulando pacifice et quiete.

Dicta vero hospicia sunt contigua. Quorum unum fuit Marie, uxoris quondam Guillelmi Aymerici alias Fusterii, et pro quo de censu consuevit solvi dicto domino episcopo, singulis annis, tres denarios turonenses; et aliud fuit Guillelmi de Pererio hostelarii, pro quo consuevit prestari et solvi de censu seu usatico dicto domino episcopo, singulis annis, sex denarios turonenses.

Et sunt situata in parte regia Montispessulani, in loco dicto *las Balmas*, que confrontatur ex una parte cum hospicio

domini Hugonis Sazi presbiteri, et a parte ante cum hospicio dicti Raimundi Claparede, carreria descendens in medio, et cum hospicio Guillelmi Michaelis.

Item dictum casale fuit Johannis Pinhol alberguerii, pro quo consuevit exsolvi et prestari de censu seu usatico dicto domino episcopo, et singulis annis, decem et octo denarios turonenses. Est situatum in loco dicto *las Balmas*, in parte regia predicta; quod confrontatur ex una parte cum carreria vocata Pojada de Sancto Dyonisio de *Balmas*, et ex duabus partibus cum honore liberorum Raimundi magistri quondam.

Tenor vero litterarum regiarum predictarum talis est: Philippus, Dei gratia *etc. t. V, p. 75.*

Acta sunt hec in Montepessulano in parte regia. Testes horum sunt Symon Dominici, Guillelmus Bernardi de Lunello mercator, magister Guillelmus jurisperitus, et ego Petrus Verdelli, notarius publicus dicti domini Magalonensis episcopi, qui requisitus hec in notam recepi, scripsi et signo meo signavi.

(Reg. E, fol. 148 v°

A cause des lettres royaux insérées dans cet acte, nous croyons qu'il est de 1330, ou même postérieur.

MDCXXV. — 4 septembre 1330

Arbitrage au sujet des droits de l'évêque sur la capture d'un dauphin.

Anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo tricesimo, et die quarta septembris, illustrissimo principe domino Philippo rege Francorum regnante, et reverendo in

Christo patre domino Johanne, divina providentia Magalonensi episcopo, presidente, noverint universi, quod cum questio verteretur seu verti spferaretur inter Petrum Mathei, castri Villenove, renderium decime piscarie pro dicto domino Magalonensi episcopo in castro predicto Villenove, ex una parte; et Remondum Ruphi, piscatorem castri de Bosigiis, ex altera: super eo videlicet quod dictus Petrus Mathei, ut renderius dicti domini episcopi, nomine ejusdem, petebat a dicto Remondo Ruphi drechuram cujusdam dalphini, quem cepit in bolegio suo in mari infirmarie, videlicet totum alvum predicti dalphini usque ad umbilicum, et penam auriolam et caput;

Et dictus Remondus ex adverso dicens se paratum solvere drechuram predictam, pertinentem ad dictum dominum episcopum, ad cognitionem discreti viri domini Nicolai Audini, bajuli dicte curie, quem requisiverunt eidem Remondus et Petrus Mathei, quatenus, super drechuram predicti dalphini cognoscat quod erit ex[s]olvendum de pretio dicti dalphini venditi pretio septuaginta quinque solidorum turonensium, ad istum finem quod, de cetero ab inde in antea, sciatur qualiter in talibus erit faciendum, seu dicto domino episcopo ex[s]olvendum super drechura predicta.

Et incontinenti dictus dominus bajulus, facta per eum primitus informatione super premissis cum Guillelmo Cavalli seniore, olim renderio dicti domini episcopi, et Johanne Serrerii, ordinavit quod, ratione dicte drechure capitis, et pene auriole et totius alvi usque ad umbilicum, eidem domino episcopo pertinentium, idem Remondus Ruphi det de pretio dicti dalphini, terciam partem precii predicti dicto Petro Mathei, renderio, et recipienti pro dicto domnino episcopo:

Tamen hic dictus dominus bajulus predictam ordinationem fecit de voluntate dictarum partium, ad hoc concordantium, quod dictus Petrus Mathei et Remondus Ruphi confessi fuerunt esse verum.

De quibus idem dominus bajulus petiit et requisivit sibi

fieri publicum instrumentum, testibus presentibus, Poncio Vedelli, Petro Nadalesii, Stephano Bonafacii, et magistro Johanne Baudilii, publico auctoritate episcopali notario in tota terra, et jurisdictione ac diocesi Magalonensi, qui requisitus de predictis notam recepi.

De qua nota non cancellata, *etc.*

(Reg. F, fol. 352 v°).

MDCXXVI. — 15 octobre 1330

Dauphin de Saint-Jean reconnaît tenir de l'évêque ses possessions de Montaubérou.

Anno Domini millesimo CCC^mo^ tricesimo, scilicet quintadecima die octobris, domino Philippo rege Francorum regnante, et reverendo in Christo patre domino Johanne, Dei gratia Magalonensi episcopo, presidente, ego Dalphinus de Sancto Johanne domicellus, filius quondam domini Jacobi de Sancto Johanne militis, certificatus de quadam divisione olim facta inter dominum Johannem de Montelauro, bone memorie Magalonensem episcopum, comitem et dominum Melgorii et Montisferrandi, et Raimundum de Pace ejus bajulum pro ipso domino episcopo ex una parte; et Guillelmum de Texeriis tutorem Rostagni de Montearbedone, et Hugonem de Sancto Johanne antecessorem meum, et Johannem de Latis jurisperitum, ex altera parte;

De dominiis, consiliis, laudimiis, usaticis, prelationibus, et solo terre que habebant communia in parrochia Sancti Petri de Montearbedone, in honoribus qui ab antiquo vocabantur Patua, prout de dicta communitate constat per quoddam publicum instrumentum, scriptum et signatum, ut in eo legitur, manu Ademarii Scriptoris notarii, sub anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quinto (*sic*), et quarto idus febroarii; prout etiam de dicta divisi-

one constat per aliud instrumentum publicum, scriptum et signatum manu Bernardi de Costa, notarii Montispessulani et dicti domini episcopi, sub anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo septimo, scilicet quarto decimo kalendas octobris;

Ex qua divisione pervenit ad partem domini episcopi et comitis omnia dominia, laudimia, et usatica et solum terre, que de et in dictis honoribus, que ab antiquo Patua vocabantur in parrochia Sancti Petri de Montearbedone, illa videlicet que erant subtus viam publicam inferiorem, qua itur directe de Palmassanicis versus Morunhacum, ex parte maris; et ad partem dictorum Guillelmi de Texeriis tutorem dicti Rostagni, et dicti Hugonis de Sancto Johanne et Johannis de Latis pervenerunt ex dicta divisione omnia dominia, laudimia, usatica, et solum terre que erant super dictam viam versus septentrionem, prout predicta latius apparent in instrumento divisionis predicte:

Certificatus etiam per dicta instrumenta superius designata, quod partes que pervenerunt ad dictos Rostagnum Hugonem et Johannem, teneri debent in feudum a dicto domino episcopo et comite sub alberga quatuor militum, in anno illo tantum in quo essent requisite, sine alio servicio cum juramento tamen fidelitatis.

Ego, inquam, dictus Dalphinus, per me et successores meos, confiteor et in veritate recognosco vobis, venerabili et religioso viro, domino Bernardo de Texeriis, canonico Magalonensi, priori de Tabulis Montispessulani, vicario generali in spiritualibus et temporalibus reverendi in Christo patris domini Johannis, Dei gratia Magalonensis episcopi, in remotis agentis, et pro eodem domino et comite et ejus successoribus stipulanti et recipienti, me tenere et tenere velle ab eodem domino episcopo et comite et sua Ecclesia in feudum videlicet dominia, consilia, laudimia, prelationes, usatica et servicia, que habeo in dicta parrochia de Montearbedone, supra dictam carreriam, tam in loco dicto Podium *Arbossier*, in quo habeo usatica in universo, que per diversas personas

michi prestantur, singulis annis, centum et decem solidos et quinque denarios turonenses;

Tam in loco dicto *la Torrassa*, in quo habeo usatica in universo, que per diversas personas michi prestantur triginta novem solidos et quinque denarios turonenses;

Tam in loco dicto *Monuhac*, in quo habeo usatica in universo, que per diversas personas michi prestantur, singulis annis, viginti solidos et novem denarios;

Tam in loco dicto *las Batailhas*, in quo habeo usatica in universo, que per diversas personas michi prestantur, singulis annis, duodecim solidos;

Quam etiam in loco dicto *la Mora*, in quo habeo usatica in universo, que per diversas personas michi prestantur, singulis annis, viginti novem solidos et octo denarios cum obolo turonensium parvorum seu melgoriensium.

Pro quo quidem feudo vobis, nomine quo supra stipulanti, presto sacramentum fidelitatis super sancta Dei evangelia, per me corporaliter gratis tacta; et pro ipso feudo facio et facere teneor, et in futurum facere promitto albergam unam et tertiam partem alterius militum quolibet anno, in quo requireretur, tamen sine aliquo servicio; et similem recognitionem faciam, quando fuero requisitus.

Acta fuerunt hec in Montepeesulano, testibus presentibus dominis Guillelmo de Tesio priore de Sussanicis, Johanne Gervasii vicario de Scaffiaco, magistris Guillelmo Pruneti clerico et Guillelmo Clari jurisperito, Guillelmo Toilhet clerico, et pluribus aliis, et me Petro Verdelli notario publico dicti domini Magalonensis episcopi, qui requisitus hec in notam recepi.

(Reg. E, fol. 134 r°).

MDCXXVII. — 7 novembre 1330

Les Carmes promettent de respecter la juridiction ecclésiastique de l'évêque.

In Dei nomine. Amen. Anno Incarnationis ejusdem millesimo trecentesimo tricesimo, videlicet septimo idus novembris, illustrissimo principe domino Philippo Francorum rege regnante, et reverendo in Christo patre domino Johanne, Dei gratia Magalonensi episcopo, presidente, noverint universi, quod cum gentes reverendi in Christo patris domini Johannis, Dei gratia Magalonensis episcopi, conquererentur de priore et fratribus ordinis Beate Marie de Carmelo conventus Montispessulani, ex eo et pro eo qua (= quod) dicti prior et fratres clericos, confugientes ad eorum monasterium, indistincte admittunt in fortiis et presertim in campanile ipsorum fratrum, nec permittunt gentes dicti domini episcopi intrare eorum monasterium, nec ad loca, in quibus ipsi criminosi infra cepta (= septa) ipsius monasterii se reponunt, pro citationibus et aliis processibus cum ipsis clericis seu contra ipsos clericos malefactores rationabiliter faciendis; nec permittunt clericos, qui immunitate ecclesiastica, propter eorum comissa delicta seu crimina, gaudere non debent: nec super hiis officiali Magalonensi seu ejus locum tenenti, dicenti se legitime i formatum, credere volunt, a suo monasterio predicto extrahi, licet, jure permittente, extrahi possent; impediendo jurisdictionem dicti domini episcopi ecclesiasticam per salvam gardiam regiam, et alias de facto, quantum possunt, invocando brachium seculare.

Tandem congregato et convocato conventu dictorum fratrum, infra Capitulum domus dictorum fratrum, ut moris est, congregari, in qua congregatione interfuerunt prior et fratres inferius nominati, conventum facientes;

Ipsi, inquam, fratres, conventum facientes, si aliqua in premissis contra jurisdictionem dicti domini episcopi acta fuerunt, illa rata non habent; quinymo magistro Guillelmo Clari jurisperito, procuratori et procuratorio nomine dicti domini episcopi, pro ipso ibidem presenti, veniam humiliter postularunt.

Promittentes et convenientes per se et successores suos, quod ab inde in antea nichil dicent aut facient per se vel per alios, per quod jurisdictio dicti domini episcopi in premisis valeat impediri; quinymo favorabiles erunt curie dicti domini episcopi in casibus predictis, in omnibus in quibus poterunt, semper in aliis libertate ecclesiastica debita, et privilegio debito exemptionis dictorum fratrum in vigore suo semper remauente illeso.

Nomina vero dictorum fratrum, conventum facientium, ut dicebant, sunt hec: fratres Hugo de Verneda prior provincialis dicti ordinis, Guillelmus Figuerie prior conventualis, Bertrandus Malfredus, Arnaudus de Matha, Johannes de Sancto Felice, Guillelmus de Serancio, Petrus de Fogaretis, Petrus Raimundi Egidii, Petrus Malfesti, Alriassius Alphanti, Bertrandus Alphanti, Guillelmus Stephani, Petrus Stephani, Arnaudus Pastoris, Bartholomeus Rosca, Bernardus Vilapol, Henricus de Folta, Bertholdus de Lapide, Bertrandus de Ventenaco, Bernardus Dhatbaupi, Hugo Frumenti, Petrus Rivi, Petrus Natalis, Johannes Clementis et Petrus Ressa.

De quibus omnibus et singulis, dictus magister Guillelmus Clari petiit sibi fieri publicum instrumentum, nominibus quibus supra, per me notarium infrascriptum.

Acta fuerunt hec in Capitulo domus Montispessulani dictorum fratrum in presentia et testimonio dominorum Guillelmi Barrerie, Johannis Gervasii presbiterorum, magistri Jacobi de Ozilhano notarii, Johannis Andree, Arnaudi de Furno, et Francisci Vincentii, et mei Bernardi de Malafossa, auctoritate regia et dicti domini Magalonensis episcopi et

sue curie Montispessulani notarii, qui requisitus hec scripsi, signoque meo solito signavi rogatus.

(Reg. L, fol. 26 v°).

MDCXXVIII. — 27 novembre 1330

Signification, faite au recteur royal de Montpellier, de l'hommage prêté par l'évêque au roi de France.

Noverint universi quod anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo tricesimo, et die vicesima septima mensis novembris, domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, existens in presentia venerabilis et discreti viri domini Johannis Ricardi jurisperiti, judicis et locum tenentis domini rectoris regis Montispessulani, magister Guillelmus Clari jurisperitus, procurator et procuratorio nomine reverendi in Christo patris domini Johannis, Dei gratia Magalonensis episcopi, dixit se venisse ad presentiam dicti domini judicis et locum tenentis, ad manifestandum et revelandum eidem recognitionem quam dictus dominus episcopus et sui predecessores facere consueverunt domino nostro regi de hiis rebus et juribus, que ab eodem tenere noscuntur.

Pro quarum manifestatione et revelatione, exhibuit et hostendit, eidem domino judici et locum tenenti, quasdam patentes litteras regias, sigillo magno inpendenti sigillatas: necnon et quoddam publicum instrumentum, scriptum et signatum manu Privati de Manso, notarii auctoritate regia, et sigillatum inpendenti sigillo senescallie Bellicadri et Nemausi.

Quarum litterarum et instrumenti tenores sunt tales:

Universis presentes litteras inspecturis, *etc. T. V, p. 44, jusqu'à la fin.*

Karolus, Dei gratia Francorum et Navarre rex, *etc*, *T. IV*, *p. 587*.

Quibus litteris et instrumentis exhibitis et ostensis, dictus procurator dicti domini episcopi manifestavit et revelavit ut in eisdem continetur; protestans quod si aliqua alia perveniant ad notitiam suam, que tenerentur a domino rege predicto, illa confestim manifestaret, et nulla maliciose occultat aut occultare intendit in prejudicium dicti domini nostri regis. De quibus petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Et dictus dominus judex et locum tenens predicta habuit et haberi voluit pro manifestatis.

Hec acta fuerunt in Montepessulano, in hospicio dicti domini judicis et locum tenentis, testibus presentibus magistris Andrea de Sancto Egidio jurisperito, Raimundo Celarerii notario regio, pluribusque aliis, et ego Johannes Macellarii, notarius regius, qui predicta in notam recepi et scripsi.

Vice cujus et mandato *etc*.

(Reg. E, fol. 63)

MDCXXIX. — 22 décembre 1330

Le procureur de l'évêque déclare tombés en commis les biens de Guillaume de Combaillaux.

Anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo, et die vicesima secunda mensis decembris, domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, comparuit in curia regia Montispessulani, coram nobili et potenti viro domino Hugone de Carssano milite, rectore regio Montispessulani, dominus Guillelmus de Tesio, rector ecclesie Sancti Martini de Sussanicis, procurator et procuratorio nomine reverendi in Christo patris domini Johannis, Dei gratia Magalonensis episcopi, dicens se fecisse citari ad presentem diem, et locum et ho-

ram tertie, Colobrium de Sancto Justo domicellum, maritum et procuratorem ac nomine procuratorio nomine Marie uxoris sue, et Guillelmum Sabaterii, procuratorem et nomine procuratorio Beatricis, sororis dicte Marie, filiarum quondam Guillelmi de Combalholis domicelli, prout de dicta citatione dixit constare per relationem Guillelmi Bertrandi, regii servientis, qui retulit, in presentia dicti domini rectoris et ejus mandato, se dictam citationem fecisse;

Exhibens et producens idem dominus Guillelmus de Thesio, procuratorio nomine quo supra, quasdam patentes litteras, alias, ut dixit, curie dicti domini rectoris exhibitas et ostensas, tenorem qui sequitur continentes:

Bernardus de Languicello miles, Albasii dominus, locum tenens domini senescalli Bellicadri et Nemausi, rectori regio Montispessulani, ceterisque justiciariis dicte senescallie, ad quos presentes littere pervenerint, et eorum alteri vel eorum loca tenentibus, salutem.

Litteras regias patentes recepimus in forma que sequitur:

Philippus, Dei gratia *etc. T. V, p. 75.*

Quarum litterarum regiarum auctoritate, vobis et vestrum cuilibet mandamus, quatinus omnia et singula, in dictis litteris regiis contenta, faciatis et exsequamini diligenter, juxta formam et tenorem litterarum predictarum.

Datum Nemausi, die undecima martii, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo nono.

Reddite litteras sigillatas.

Item reddidit idem dominus Guillelmus, quo supra nomine, contra dictos citatos, quamdam papiri cedulam scriptam, cujus tenor talis est:

Existens in presentia domini rectoris regii Montispessulani, seu ejus locum tenentis, Guillelmus de Thesio, rector ecclesie Sancti Martini de Sussanicis, procurator et nomine

procuratorio reverendi in Christo patris domini Johannis, Dei gratia Magalonensis episcopi, comitis Melgorii et domini Montisferrandi requisivit eundem, instantia quanta potuit, et humiliter supplicavit, ut, pro debito justitie, sibi concedat licentiam et autoritatem capiendi, ad manum dicti domini episcopi in comissum, omnia et singula usatica, census, servitia, directa dominia, consilia, laudimia ac jura prelationum, que quondam habuit Guillelmus de Combalholis domicellus, condominus de Combalholis in castro de Combalholis, et ejus toto territorio et districtu; et que nunc possident seu quasi Maria et Beatrix, ejus filie quondam, pretextu divisionis, que, inter liberos dicti quondam Guillelmi, dicitur fore facta:

Ex eo et pro eo quod, cum totum castrum de Combalholis et ejus territorium totum, et jus in accapitum dandi sit et esse consuevit feudum dicti domini episcopi et sue Ecclesie Magalonensis, et in vita dicti quondam Guillelmi de Combalholis et post, plures domini episcopi mutati fuerunt et vassalli, de dictis usaticis et dicto feudo, que, ut dictum est, in feudum tenebant a dicto domino episcopo seu ejus Ecclesia, nullam recognitionem fecerunt, nec investituram aliquam receperunt, nec juramentum fidelitatis prestiterunt; propter quod sunt et fuerunt de jure comissa.

Quibus exhibitis et ostensis, cum frequenter, ut dixit, verbothenus requisivisset dictum dominum rectorem super contentis in dicta cedula, ipsum dominum rectorem iterato requisivit, instantia quam potuit, ut in dicta cedula continetur.

Et ad faciendum fidem quod dicta dominia, consilia, laudimia, prelationes, et usatica et jus in acapitum dandi teneantur in feudum a dicto domino episcopo, exhibuit et ostendit quoddam prima facie publicum instrumentum, scriptum et signatum, ut in eo legitur, manu Petri Garnerii, notarii publici Montispessulani, sub anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, videlicet octavo kalendas januarii.

Et ibidem comparuerunt dictus Calabrus de Sancto Justo, maritus et procurator nomine procuratorio dicte Marie, uxoris sue, prout de dicta procuratione constat per quoddam instrumentum publicum, scriptum et signatum, ut in eo legebatur, manu magistri Bertrandi Bosqui, notarii regii; et dictus Guillelmus Sabaterii, procurator et procuratorio nomine dicte Beatricis, alias Raimunde, sororis dicte Marie, prout de ejus procuratione dixit constare per instrumentum publicum inde factum manu Raimundi Benedicti, alias Reganhoti, notarii publici Montispessulani:

Et reddiderunt quandam papiri cedulam scriptam, tenorem qui sequitur continentem:

Et ibidem existentes Calabrus de Sancto Justo domicellus, et procurator dicte Marie et nomine procuratorio ejusdem, et Guillelmus Sabaterii, procurator et nomine procuratorio dicte Beatricis, dixerunt et in judicio confessi fuerunt dicta usatica teneri in feudum a dicto domino episcopo et comite, et dictas dominas suas illa tenere et possidere in et ad feudum predictum.

Dixerunt etiam et confessi fuerunt dictum quondam Guillelmum de Combalholis, nec dictas dominas suas recognitionem fecisse, nec investituram recepisse, nec juramentum fidelitatis prestitisse ab aliquo domino episcopo Magalonensi, quod ipsi sciant vel sciri poterunt, licet cum diligentia duxerint indagandum.

Sed petierunt, quo supra nomine, secum misericorditer agi: dicentes, et confitentes et petentes, ut in ea continetur.

Et dictus dominus rector, visa petitione dicti procuratoris domini episcopi, et litteris et instrumento, per ipsum productis;

Visa etiam responsione facta per dictos procuratores dictarum Marie et Beatricis, alias Raimunde;

Assidente et consulente sibi venerabili viro domino Girardo Lombardi, jurisperito et locum tenente domini judicis regii Montispessulani;

Eidem petitioni annuens, ut consone rationi, dedit et concessit auctoritatem et licentiam dicto domino de Thesio, quo supra nomine, ut dicta dominia, consilia, laudimia, prelationes, avantagia et usatica, tanquam comissa dicto domino episcopo et ejus Ecclesie, percipiendi pleno jure, salvo tamen in omnibus jure quolibet alieno, cui non vult nec intendit, propter sui licentiam et auctoritatem, in aliquo prejudicium generari.

Et incontinenti dictus dominus Guillelmus de Thesio, quo supra nomine, in presentia dicti domini rectoris et dictorum procuratorum, cepit ad manum dicti domini episcopi predicta omnia dominia, consilia, laudimia, usatica et prelationes tanquam commissa;

Inhibens, in quantum potuit, dictis procuratoribus, et, per eos, dictis dominabus suis, ne exinde in antea se intromittant de perceptione seu usu, tam in proprietate quam in possessione, bonorum et jurium predictorum.

De quibus omnibus et singulis, dictus dominus Guillelmus de Thesio, quo supra nomine, petiit, per me notarium infrascriptum, sibi fieri publicum instrumentum.

Acta fuerunt hec in dicta curia Montispessulani, presentibus testibus magistro Johanne de Vineis jurisperito, Petro Clareto, Raimundo Buxonis, et pluribus aliis, et me Johanne Macellarii, publico auctoritate regia notario, qui, requisitus ut supra, predicta in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. E, fol. 277 v°).

MDCXXX. — 29 décembre 1330

Le sénéchal de Beaucaire ordonne de rétablir les fourches patibulaires de l'évêque dans le bois de Valène.

Anno Domini millesimo trescentesimo triscesimo, et vicesima nona die mensis decembris, domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, cum Radulphus de Cassiliaco, Jacobus Durifortis, Andreas de Furno, Guillelmus Andree, Bernardus Garus, consules Montispessulani, pro se et aliis conconsulibus suis dicte ville, conquesti fuissent nobili et potenti viro domino Hugoni Quiereti militi, senescallo Bellicadri et Nemausi, quod gentes domini Magalonensis episcopi quasdam furchas ex aliqua causa consumptas et dirutas, in nemore de Valena reerexerunt, contra tenorem cujusdam compositionis, super hoc olim inhite inter partes, ut dicebant; et dicti consules peterent dictas furchas dirui:

Et vicarius generalis ejusdem domini episcopi, tam in spiritualibus quam in temporalibus, videlicet dominus Bernardus de Texeriis, canonicus Magalonensis et prior Beate Marie de Tabulis, ex adverso responderet et diceret dictas furchas fuisse consumptas et dirutas opera hominis, scilicet per gentes consulum predictorum: et gentes dicti domini episcopi dictas furchas juste et debite erexisse, et in nichilum fecisse contra compositionem predictam; ipsasque furchas dirui non debere, set eas in statu, in quo nunc sunt remanere debere;

Et diu coram dicto domino senescallo super hoc altercassent partes predicte;

Tandem dictus dominus senescallus, auditis hiis que dicte partes super hoc dicere, proponere et hostendere voluerunt;

Pressecitaque (= prescitaque) voluntate partium predictarum et de earum consensu, voluit et ordinavit ut sequitur;

Considerans quod forte presumi poterat, quod dicte furche opera hominis essent dirute, videlicet quod dicte furche

lignee, que nunc sunt, evellantur et amoveantur: et, ipsis evulsis et amotis, incontinenti, per gentes dicti domini episcopi et pro jure suo, in eodem loco alie lignee pro nunc reeriganlur et reponantur.

Et quod deinceps, post dictarum furcharum reerectionem dicta compositio super hoc, de verbo ad verbum et punctum, inviolabiliter observetur.

Et nolens quod, propter predicta vel aliquid de predictis, dicta compositio infringatur in aliquo.

De quibus omnibus, dicti consules et dictus dominus vicarius petierunt sibi et cuilibet ipsorum fieri unum vel plura publica instrumenta per me notarium infrascriptum.

Acta fuerunt hec apud Montempessulanum, in domo episcopali, in presentia et testimonio venerabilium virorum domini Petri de Probavilla domini regis clerici, domini Bernardi Saporis legum doctoris, domini Johannis Ricardi Montispessulani, domini Petri Ricardi judicis sigilli regii dicti loci domini Guillelmi Vigerii Nemausi judicis, et plurium aliorum, et mei Stephani Figareda, prefati domini Francorum regis publici notarii, qui requisitus de premissis notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. A, fol. 175 v°).

MDCXXXI. 9 février 1330 (n. s. 1331)

Le procureur de l'évèque énumère les localités que son maître tient en fief du roi.

In nomine Domini. Amen. Anno Dominice Incarnationis ejusdem millesimo trecentesimo tricesimo, et nona die mensis februarii, serenissimo principe domino Philippo Francorum rege regnante, et reverendo in Christo patre domino Johanne, Dei et Apostolice Sedis gratia Magalonensi episcopo

presidente, noscant universi quod, existens sive constitutus in curia regia Montispessulani, in presentia honorabilis et circumspecti viri domini Johannis Ricardi jurisperiti, judicis regii Montispessulani, magister Poncius Berengarii jurisperitus, procurator, ut dixit, et nomine procuratorio reverendi in Christo patris dicti domini Magalonensis episcopi, reddidit quamdam papiri cedulam scriptam coram dicto domino judice, et eidem tradidit, dicens, protestans et producens pro jure dicti domini episcopi et Ecclesie sue predicte, ut in dicta cedula continetur.

Cujus quidem cedule tenor talis est:

Existens in presentia nobilis et potentis viri domini Hugonis de Carssano militis, rectoris regii Montispessulani, seu ejus locum tenentis, Poncius Berengarii clericus, procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Johannis, Dei gratia Magalonensis episcopi, in remotis agentis, dixit et proposuit coram eo, quod ipse nuper audiverit mandatum fuisse universaliter per senescalliam Bellicadri et Nemausi, ut quilibet recognosceret ea que tenentur a domino nostro rege, et bona alodialia revelaret;

Ipse procurator de mandato dicti domini episcopi, specialiter sibi facto, accessit per loca et castra dicti domini episcopi, ad videndum et disquirendum, in cartafilassiis episcopatus Magalonensis, litteras, instrumenta et privilegia, ad finem ut dictum mandatum posset perfecte et certitudinaliter, quo supra nomine, adimplere.

Item dixit et proposuit quod, visis per eum et diligenter inspectis instrumentis, litteris et privilegiis antedictis, expresse reperit quod dictus dominus episcopus tenet in feudum, a dicto domino nostro rege, sub juramento fidelitatis, totam villam et balliviam Salvii, cum castris, villis et parrochiis, et cum mero et mixto imperio et omnimoda jurisdictione, cum feudis etiam et res[s]ortis, et aliis suis juribus;

Et etiam totam balliviam et castrum de Duroforti, cum pertinentiis suis;

Et etiam quicquid habet in villa de Porssano, et ejus territorio et districtu:

Et etiam villam Sancte Crucis de Fontanesio;

Prout et secundum quod predicta omnia per dominum nostrum regem tradita et assignata fuerunt domino Magalonensi episcopo et ejus Ecclesie Magalonensi ex causa permutationis olim facte inter dictum dominum regem de premissis, et dictum dominum episcopum pro parte nunc regia Montispessulani: quam permutationem vobis domino rectori exhibet et hostendit.

Item dixit et proposuit se reperisse plures litteras regias recognitionum, factarum domino regi per dictum dominum episcopum, ejusdem tenoris in effectu, mutatis duntaxat nominibus, quando domini reges et domini Magalonenses episopi mutabantur; quarum litterarum unius tenor inferius est insertus.

Item dixit et proposuit se non potuisse reperire aliquam aliam recognitionem, sub alio tenore factam predicto domino regi, nec etiam quod dictus dominus Magalonensis episcopus, qui nunc est, alia seu aliter ten[e]at a prefato domino nostro rege;

Protestans quod aliqua non celat, nec celare intendit aliqua in fraudem, seu prejudicium aut lesionem aliquam juris dicti domini regis;

Protestans etiam quod, quandocumque et quotiescumque, ad suam noticiam seu scientiam seu prefati domini sui veniret quod aliqua alia seu aliter tenerentur a dicto domino rege per dictum dominum episcopum et Ecclesiam Magalonensem, illa incontinenri manifestaret et revelaret dicto domino regi aut ejus gentibus, ut fidelis.

Protestatus fuit etiam quod, quandocumque et quotiescumque, ipse procurator seu dictus dominus suus informaretur seu informari possit per quamcumque personam, etiam per gentes dicti domini regis, et per quecumque instrumenta, vel testes seu alia legitima documenta, quod dictus dominus episcopus seu ejus Ecclesia Magalonensis alia bona et jura et aliter teneret a domino nostro rege, illa recognos-

cerent et parati sunt recognoscere incontinenti, postquam essent aut fuerint sufficienter informati:

Offerentes, quo supra nomine, licet dictus dominus episcopus, dominus suus, qui nunc est, recognitionem fecerit dicto domino nostro regi, qui hodie est, seu gentibus suis, recognitionem de presenti facere et sacramentum fidelitatis prestare, prout in dictis litteris regiis continetur, super simili recognitione alias facta.

Cetera vero que non invenerit recognita fuisse domino regi nec aliis dominis, cum Ecclesia ab aliquibus aliis dominis aliqua teneat, ea credit esse alodialia, et tamquam alodialia Magalonensem Ecclesiam possidere et ha[c]tenus possedisse.

Protestatur tamen quod, si predicta apparent in posterum non esse alodialia, quam primum hec innotuerit seu innotesceret, paratus esset ea recognescere cui debet, et faceret quod esset consentaneum rationi.

Qua cedula reddita, ad fidem faciendum de permutatione, de qua mentio fit in cedula predicta, exhibuit et produxit quoddam vidimus seu transcriptum, copias seu transcripta plurium litterarum in se continens, de permutatione predicta mentionem facientes, sigillatas inpendenti sigillo curie Montispessulani, ut prima facie apparebat, quod incipit in secunda linea *episcopus*, et finit in penultima *est insertus*; quod vidimus seu transcriptum, ut in eo legitur, factum fuit anno Domini M° CCC^mo^ VI°, videlicet IIII idus augusti.

Item ad plus docendum de contentis in cedula predicta, exhibuit et produxit quoddam prima facie publicum instrumentum, signatum, ut in eo legitur, per magistrum Privatum de Manso, notarium publicum, sigillatumque inpendenti, ut prima facie apparebat, sigillo senescallie Bellicadri et Nemausi.

Cujus quidem instrumenti tenor talis est:

Universis presentes litteras inspecturis, *etc.*, *ut supra*, *T. V*, *p*. *44*.

Quibus redditis. exhibitis et productis, petiit idem procurator de premissis sibi fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Hec acta fuerunt in dicta curia, et horum fuerunt testes Petrus de Cluneto clericus. Petrus de Lodeva serviens regius, et ego Jacobus Sambuci, publicus dicti domini Magalonensis episcopi notarius, qui predicta omnia et singula, requisitus per dictum procuratorem, hec in notam recepi, manuque mea propria scripsi, et signo meo solito signavi.

(Reg. E, fol. 62 r°).

MDCXXXII. — 29 avril 1331

Philippe de Valois défend à ceux qni sont sous sa sauvegarde de se soustraire à la juridiction épiscopale.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri vel ejus locum tenenti, ceterisque justitiariis salutem.

Conqueritur dilectus et fidelis noster episcopus Magalonensis, quod ipse et officiarii sui, occasione salvarum gardiarum. suis subditis et justicialibus concessarum, in sua jurisdictione temporali et ipsius exercitio multipliciter impeditur in gravem ipsius lesionem.

Quare, cum hujusmodi salvagardie jurisdictionem non tollant nec impedire debeant. mandamus vobis et cuilibet vestrum, prout pertinebit ad eum, quod, occasione hujusmodi salvagardiarum, non impediatis vel impedire quomodolibet permittatis eundem, quominus, in suos justiciabiles et subditos, justicie debitum exequatur.

Gardiasqus hujusmodi, nonnisi causa cognita, concedatis

et revocetis: et nos etiam revocamus gardias concessas aliter, nisi nos ex certa scientia duxerimus concedendas.

Datum Parisius, die vicesima nona aprilis, anno Domini M° III^c XXXI.

(Reg. D, fol. 248 r°).

MDCXXXIII. — 11 mai 1331

Proclamations faites au Terral au nom de l'évêque pour rechercher des assassins.

Anno Dominice Incarnationis millesimo CCC° XXXI°, et die undecima mensis maii, regnante domino Philippo rege Francorum, noverint quod nobilis vir Gervasius de Calatorio domicellus, vicarius Melgorii et Marcherose pro reverendo in Christo patre domino Johanne, Dei gratia Magalonensi episcopo, comite Melgorii et Montisferrandi, ac domini Marcherose, cum ad ejus, ut dicebat, audientiam pervenisset, quod nonnulli iniquitatis filii, depredatores, et insidiatores ac agressores itinerum, de nocte depredaverant et interfecerant quemdam hominem viatorem, interfectum repertum infra juridictionem dicti domini episcopi, prope locum dictum hospitale de Avena, per ipsum dominum vicarium seu ejus curiam et curiales; et non posset reperire dictos agressores et maleficos;

Tandem cupiens ipsos maleficos juris remediis reperire, si posset, cum in pluribus locis ipsos perquisivisset et perquiri fecisset, ut dicebat;

Nolens (= volens) ampliorem diligentiam adhibere ne maleficia remaneant impunita, ex suo officio, in presentia mei notarii et testium subscriptorum, fecit edici et preconizari palam et publice per Johannem Martini, preconem publicum curie dicti domini vicarii, more solito, cum namphilo seu ad sonum ejusdem, per jurisdictionem seu territorium

castri de Terrallo dicti domini episcopi et per loca infrascripta:

Videlicet in itinere publico, quo itur a Montepessulano versus Montembaseneum ex parte Terralli et maris, transeundo ante ecclesiam Beate Marie de *la Bela*. prope locum dictum rivum Columbi:

Et iterum etiam in eodem itinere et ex eadem parte, juxta crucem vocatam de Podio Acuto:

Et iterum etiam ex eadem parte in eodem itinere, juxta quandam teuleriam, vocatam *d'en Figuieyra* canabasserii:

Et etiam iterum in eodem itinere et ex eadem parte, prope pontem appellatum de Veyruna;

Et iterum etiam eandem fieri fecit preconisationem dictus dominus vicarius, in quodam termino, quod est subtus et prope dictum castrum de Terrallo, in quadam alia via publica infra territorium dicti castri.

Tenor vero dicte preconisationis talis est:

Manda la cort de mossenhor l'avesque de Magalona, compte de Melguer e de Monferran, senhor de Marcarosa e del Terralh, el fa assaber a tota persona de qualque condition que sia, estranha o privada, que saupes nommar e essenhar alcuns homicidas et raubadors de camins, que an mort et raubat un home deffra la juridiction del dich mosenhor l'avesque, prop l'ospital d'Avena, en lo camin public:

La cort del dich mosenhor l'avesque, ad aquel que lo nompnaria (= nompmaria), donaria e pag[a]ria LV libras de tornes; e que se vengues pagar de contenen al dich castel del Terralh.

Encara may manda la dicha cort, ad aquels que an mort e raubat un home, atrobat mort el camin public, prop l'ospital d'Avena, defra la juridiction del dich mossenhor l'avesque, que vengon far drech, e penre drech e comparer al Terralh, en la cort del dich mossenhor l'avesque, di ious prop danamen, sotz la pena que poyrian cometre a la dicha cort.

Acta fuerunt hec in locis predictis, et fuerunt testes vocati ad preconisationem predictam, factam prope dictum rivum Columbi Guillelmus de Sancto Martino castri de Piniano, Petrus Paderni cultor Montispessulani, et Guillelmus Dal de Suris Ruthenensis diocesis, habitator et custos bovium hospicii Cellenove, domini abbatis Aniane.

Item fuerunt testes vocati secunde preconisationis, supra facte et iterate juxta crucem de Podio Acuto, dictus Guillelmus de Sancto Martino, et Raymundus Michaelis castri de Piniano.

Item fuerunt testes vocati quoad tertiam preconisationem, iteratam et factam juxta dictam teuleriam *d'en Figuieyra*, dictus Petrus Paderni, et Berengarius de Valhauquesio castri de Piniano.

Item fuerunt testes vocati ad preconisationem, iteratam et factam prope dictum pontem de Veyruna, G. de Sancto Martino predictus, et Raimundus de Ueis castri de Veyruna.

Item testes fuerunt vocati ad dictam preconisationem, iteratam et fectam in dicto trivio prope dictum castrum de Terrallo, Petrus Paderni et Berengarius de Valhauquesio superius nominati, et ego Guillelmus de Campo, publicus supradicti domini regis Francorum auctoritate notarius, qui predictis omnibus et singulis interfui, et, requisitus per dictum dominum vicarium, predicta in notam recepi et scripsi.

Vice cujus notarii *etc.*

(Reg. B, fol. 143 r°).

MDCXXXIV. — 20 juin 1331

Philippe de Valois ordonne de faire une enquête sur la gestion des consuls de Montpellier.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, dilectis magistris Arnaldo de Belsenx legum professori, et Hugoni Fabrefortis, clericis nostris, salutem et dilectionem.

Cum super debato, in curia nostra pendente, inter perplures (=populares) Montispessulani ex una parte, et consules ejusdem ville, qui nunc sunt et qui pro tempore fuerunt, ex altera, ordinavimus quod, remanentibus processibus factis contra quosdam ex dictis consulibus in curia nostra in statu, ceteri dabuntur per nos comissariis, coram quibus consules dicte ville, preteriti et moderni, qui alias, coram comissariis a nobis deputatis, non reddiderunt rationem de gestis et administratis per ipsos in dicto consulatu, rationem reddere tenebuntur, ut, in litteris nostris de dicta ordinatione confectis, pluries continetur; et dilecto et fideli nostro magistro Raymundo Saqueti clerico et consiliario nostro, alias comisso, aliis negotiis nostris occupato, vos tenore presentium, subrogantes, vobis comittimus et mandamus, quatenus, ad villam predictam Montispessulani personaliter accedentes, compotes et rationes dictorum consulum, qui nunc sunt [et] qui pro tempore fuerunt, audiatis et examinetis diligenter; et de gestis et administratis per vos (= eos) in administratione sua consulatus predicti, vocatis evocandis, inquiratis cum quanta poteritis diligentia, veritatem et inquestam seu processus:

Et quicquid super predictis feceritis, curie nostre adportetis vel mittatis sub sigillis vestris:

Ad dies senescallie Bellicadri nostri futuri proximo parlamenti, adjornantes partes predictas, ad dies predictos inquestam seu processus predictos judicari visuras, et cetera

contenta in dicta ordinatione vestra celeriter et debite executioni demandent.

Sane cum eisdem popularibus et consulibus de speciali gratia dedimus licentiam concordandi seu pacificandi, volumus quod, in casu in quo dicte partes concordaverint seu pacem fecerint, a dicta comissione recedatis, et, in predictis omnibus et singulis vobis comissis, supersedeatis ex toto.

Volumus tamen quod nobis apportetis vel mittatis, ad dies predictos, modum pacis seu concordie supradicte.

Mandantes senescallo nostro Bellicadri, et omnibus aliis justiciariis et subditis nostris, quatenus, in predictis et ea tangentibus, vobis pareant efficaciter et intendant.

Datum in parlamento nostro, de consensu dictarum partium, vicesima die junii, anno Domini M° trecentesimo [tricesimo] primo.

(Reg. D, fol. 167 r°).

MDCXXXV. — 2 juillet 1331

Sur la réclamation du procureur de l'évêque, le sénéchal fait recommencer une proclamation à Montpellier.

In nomine Domini. Amen. Anno Dominice Incarnationis ejusdem millesimo trecentesimo tricesimo primo, et die secunda mensis julii, serenissimo principe domino Philippo, Dei gratia Francorum rege regnante, noverint universi quod, cum de mandato nobilis viri domini Bertrandi Planterii, militis et legum doctoris, locum tenentis nobilis viri domini Hugonis Quiereti militis, senescalli Bellicadri et Nemausi, litteratorie facto nobili viro domino Hugoni de Carssano militi, rectori regio Montispessulani, ut preconizare faceret publice per Montempessulanum, ne aliquis, pro re mere temporali, auderet trahere laycos indebite ad curiam ecclesiasticam:

Preceptum fuisset per dictum dominum rectorem, seu ejus locum tenentem, Menebillo preconi regio, ut, mandatum predictum exequendo, dictam preconizationem faceret, juxta dictum mandatum dicti domini locum tenentis domini senescalli, diligenter voce preconia et cum tuba, per loca consueta dicti loci, prout in talibus est fieri consuetum:

Diceretturque quod dictus preco predictam preconisationem minus bene, juxta tenorem mandati dicti domini locum tenentis domini senescalli, fecit, non faciendo expressam mentionem de verbo *indebite*:

Qua de causa, predictis intellectis et attentis per discretum virum magistrum Pontium Berengarii jurisperitum, procuratorem reverendi in Christo patris domini Magalonensis episcopi, idem procurator conquestus fuit de premissa preconizatione dicto domino locum tenenti domini senescalli:

Et ipse procurator litteras obtinuit a dicto domino locum tenenti domini senescalli, prout de eisdem ibidem fecit fidem: quarum tenor talis est:

Bernardus Planterii, miles et legum doctor, locum tenens domini senescalli Bellicadri et Nemausi, rectori regio Montispessulani vel ejus locum tenenti, salutem.

Nuper, ad requisitionem procuratoris domini regis Majoricarum illustris, vobis mandavimus ut faceretis preconizari publice et edici sub certa pena, ne aliquis auderet trahere laycos indebite ad curiam ecclesiasticam pro re mere temporali.

De quibus dictus Magalonensis episcopus plurimum est conquestus, dicens quod, quamvis appositum fuerit verbum *indebite*, non fuit publicatum: et si fuerint layci, non intelligunt tanquam minimum generale;

Et quod, per dominum nostrum regem Francorum, tales preconisationes fieri fuerat interdictum; et intentio erat regia ecclesiis suas justitias conservare, quas habent de jure aut de consuetudine approbata: de dicta intentione regia et mandato fidem faciens per publica documenta.

Unde, cum, a dictarum litterarum concessione et secuta

exequtione, procurator dicti domini episcopi appellasset, deliberatione consilii prehabita, diximus quod, etsi verba essent generalia et obscura, et aliquod possent generare prejudicium, nostra fuit et est intentio, quod layci trahi possint in curia ecclesiastica dicti domini episcopi, prout de jure sibi competit vel consuetudine approbata.

Quare vobis mandamus, sequendo mandatum regium, quatenus sic publicari faciatis, et jurisdictionem dicti domini episcopi, occasione predicta, contra intentionem nostram prefatam minime perturbetis:

Quin poscius dictas preconisationes, mandato nostro factas, per contrarias preconisationes faciatis, in quantum essent contrarie nostre intentioni predicte, protinus revocare; in quantum vero nostre intentioni et interpretationi non essent dicte preconisationes contrarie, eas volumus in suo robore permanere.

Et, ut per vos in parte regia hec fiant faciatis et in parte domini regis Majoricarum etiam requiratis, et in eorum deffectu, si fuerit, suppleatis, vobis quoad hec committimus vices nostras.

Datum Nemausi, die vicesima sexta junii, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo primo.

Reddite litteras sigillatas.

Quas litteras idem procurator presentavit venerabili viro domino Johanni Ricardi jurisperito, judici regio et locum tenenti dicti domini rectoris, petens et requirens ut, juxta tenorem dictarum litterarum, idem dominus locum tenens primam preconisationem faceret revocare, in quantum minus bene facta fuerat, et aliam preconisationem novam faceret fieri per loca consueta Montispessulani, publice voce preconia et cum tuba, per Menebretum, preconem regium predictum, juxta continentiam litterarum predictarum.

De quibus idem procurator dicti domini episcopi petiit fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Quibus his visis et attentis per dictum dominum judicem

el locum tenentem dicti domini rectoris, precepit et in mandatis dedit dicto Menebrelo, preconi regio, ut novam preconisationem faceret super predictis, modo in talibus consueto, per modum et formam qui sequitur:

Baros, manda la cort de nostre senhor lo rey de Fransa, e fa assaber a tota manieyra de gens de qualque condicion que sian, stranha ni privada, que lo noblhe baron, mosenher Bernart Plantier, cavalier et doctor en leys, luoc tenent de mosenher lo senesqual de Belcayre et de Nemze, a mandadas unas lettras, en pergami scrichas, del sagel de la senesquallia davan dicha a mosenher lo rector reial de Monpeylier sigilladas, contenens la forma que s'ensec:

Bernart Plantier, cavalier et doctor en leys, luoc tenent de mosenher lo senesqual de Belicayre et de Nemze, al rector reial de Mompeylier ho a son luoc tenent, salut.

Non a gayros, a la requisicion del procurayre del senhor rey de Malhorguas noble, a vos aian mandat que feresses cridar publicament e manifestar sub certa pena, que negun non aures trayre los layx non degudament a la cort ecclesiastica per causa mera temporala.

De lasquelas causas mosenhor l'avesque de Magalona es mot complangut, disens que jesiaysso 'appausat sia estat aquesta paraula *non degudament*, non font publicada, et su ho font los layx non ho entendent aitant, coma medie general.

Et que, per nostre senher lo rey de Fransa, aitals cridas esse faichas era entredich, et entencion era rial a las glieysas las lur justicias conservar, lasquals han de drech ho de coustumo aproada: de la dichá entencion rial et del mandadament fasens fey per publicx instrumens.

En pamordaysso, cum a la concession de las dichas lettras et seguda exeqution, lo procurayre del dich senher avesque agues appellat deliberation del consel prehaut, aven dich que si aquestas paraulas fossen generals et obscuras,

et aucun poyrren engendrar prejudice, nostra font et es entencion que los layx puosson esse messes en la cort ecclesiastica del dich mosenher avesque, en ayssi quant de drech ad el competit ho de costuma aproada.

Perque a vos mandam, seguen lo mandamen rial, que en ayssi fassas publicar, et la jurisdiction del dich mosenher avesque, per la occasion davan dicha, contra la entencion nostra davan dicha en neguna manieyra perturbes.

Que las dichas cridas, del mandament nostro fachas, per contrariayas cridas fassas, en quant serien contrarias a la nostra intencion davant dicha, de tot en tot revocar.

En quant enpecho a la nostra entencion et enterpretration non seran las dichas cridas contrariays, aquelas volem remaner en sa fermetat, et per vos, en la part rial, aquestas causas fassas far: et, en la part de nostre senher lo rey de Malhorguas, enquaras mays requeres, et, [en] lur deffalhament, si y era, suppleas: a vos, quant ad aquestas causas, cometem nostras vegudas.

Dadas a Nemze, lo dia [X]XVI de jun, en l'an de Nostre Senher mil CCCXXXI.

Reddes las lettras sigilladas.

Qua littera in lingua romana, ut superius continetur, lecta fuit per me notarium supra et infra scriptum, et preconizata per dictum preconem regium, voce preconia cum tuba, de verbo ad verbum, prout superius continetur, ad requisitionem procuratoris dicti domini episcopi, et populo ibidem congregato in carreria publica, ante curiam regiam Montispessulani, testibus presentibus ad hec vocatis, magistris Egidio Johannis, Guiraudo de Grueyas, notariis regiis de Montepessulano, et me Jacobo Sambuci, notario publico regio infrascripto, qui, requisitus per dictum procuratorem dicti domini episcopi, predicta in notam recepi.

Deinde incontinenti dictus preco regius accessit, una mecum notario supra et infra scripto, ad locum vocatum *Pilar de San Gili*;

Et ibidem dictam litteram preconisavit de verbo ad verbum, prout superius continetur, presentibus Johanne Cotellerii piperario, Johanne *Roquier* piperario, Petro Martialis mercatore, et me dicto Jacobo Sambuci, notario supra et infrascripto, qui, requisitus per dictum procuratorem dicti domini episcopi, hec in notam recepi.

Deinde incontinenti, dictus preco regius accessit, una mecum notario supra et infrascripto, ad locum vocatum *la peyra*:

Et ibidem dictam litteram preconisavit de verbo ad verbum, prout superius continetur, presentibus testibus magistris Guiraudo Cavallerii jurisperito, Johanne Holanie, Petro Peira notariis regiis, Raimundo Grossi burgensi, Petro Amellerii mercatore de Montepessulano, et me dicto Jacobo Sambuci, notario regio supra et infra scripto, qui, requisitus per dictum procuratorem dicti domini episcopi, hec in notam recepi.

Post hec paulo post, dictus preco regius accessit una mecum notario supra et infra scripto, ad portale Latarum:

Et ibidem dictam litteram preconisavit in romana lingua de verbo ad verbum, prout superius continetur, presentibus testibus Petro Ymberti cederio, Nicolao de Soluma clerico, Guillelmo Boysso veyrerio, et me dicto Jacobo Sambuci, notario supra et infra scripto, qui predicta, rogatus per dictum procuratorem dicti domini episcopi, hec in notam recepi.

Deinde dictus preco regius accessit, una mecum, notario supra et infrascripto, ad petram Sancti Arnaudi:

Et ibidem dictam litteram preconisavit in romana lingua, de verbo ad verbum, prout superius continetur, presentibus testibus Martino de Manso pistore, Guillelmo de Lineriis cultore, Petro Supplici sabaterii Montispessulani, et me sepedicto Jacobo Sambuci, publici dicti domini Francorum

regis notario, qui predicta, requisitus per dictum procuratorem dicti domini episcopi, hec in notam recepi, et signo meo solito sequenti signavi in testimonium omnium premissorum.

(Reg. E, fol 71 r°).

MDCXXXVI. — 3 juillet 1331

Le roi de Majorque fait faire une proclamation pareille à la précédente.

Noverint universi presentes pariter et futuri, quod anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo tricesimo primo, scilicet tertia die julii, serenissimo principe domino Philippo, Dei gratia Francorum rege regnante, venerabilis et discretus vir Bernardus Roardi, bajulus curie Montispessulani illustris domini regis Majoricarum et domini Montispessulani, sedens pro tribunali in dicta curia, causa cognita, dixit et cognovit, et cognoscendo decrevit infrascriptam preconisationem fore faciendam publice, alta voce et intelligibiliter, per villam Montispessulani et loca consueta, cum tubis, per preconem publicum dicte ville, ad requisitionem domini rectoris regii Montispessulani, necnon et magistri Poncii Berengarii jurisperiti, procuratoris reverendi in Christo patris domini Johannis, Dei gratia Magalonensis episcopi, prout alie preconisationes dicte curie dicti domini Majoricarum regis per dictam villam Montispessulani, sunt publice fieri consuete.

De quibus dictus magister Poncius Berengarii jurisperitus, procurator et nomine procuratorio dicti domini Magalonensis episcopi, petiit sibi, quo supra nomine, fieri publicum instrumentum unum vel plura.

Cujus quidem preconisationis tenor dinoscitur esse talis:

Manda la cort de nostre senhor lo rey de Mailhorguas, senhor de Monpeylier, que com, l'autre jorn, a requisicion del senhor rector rial de Monpeylier, per mandamen del luoc tenen de mosenhor lo senesqual de Belcayre et de Nemze, a el fag, fos cridat publicamen que neguna persona non aures trayre a cort ecclesiastica los layx, per causa mera temporale non degudamen.

De laqual causa, lo senhor avesque de Magalona et sos procurados se son met (= mot) complans al devant dich mosenhor lo senesqual e son luoctenen.

E ara mostrat per publicas proas, que aytals cridas generals lo senhor rey de França avedat de far, et que a las gleyas sian servadas sas drechuras et juridictions, lasquals an de dreg o du coustuma aproada.

En (= et), per amor deycho, fa assaber la devant dicha court, a requesta del dig senhor rector, e de mandamen del devant dig luoctenen de mosenhor lo senescal a el fag, que sa intencion es que los layx puosco esse citatz et conengutz en la cort ecclesiastica del devant dig senhor avesque, en aysi quant de dreg li apertang o de coustuma aproada, segon lo mandamen del senhor rey de França;

E que per la devant dicha crida, la cort del devant dig senhor avesque non sia empachada en sa juridiction, que a de dreg e de coustuma;

En encara may, la devant dicha crida, antant quant seria contraria a la entention subredicha, de tot en tot sia revocada.

Per que fa assaber la devant dicha court, que antan quant la devant dicha crida seria contraria a la entencion subredicha, de tout (*sic*) en tot sia revocada e la revoca.

Acta sunt hec in dicta curia Montispessulani dicti domini Majoricarum regis, predicto domino bajulo pro tribunali sedente in presentia et testimonio domini Bernardi de Caranta jurisperiti, judicis dicte curie dicti domini Majoricarum regis, magistri Guillelmi de Podio notarii publici Montispessulani

et ejusdem curie, et magistrorum Bernardi Camini, Bernardi Fizas, Johannis Juliani, Stephani Galterii, scriptoris dicte curie dicti domini Majoricarum regis, et plurium aliorum, et mei Guillelmi Gasqui, notarii publici dicti domini nostri Francorum regis in Montepessulano et in toto regno Francie auctoritate regia, qui requisitus hec in notam recepi, scripsi et inferius signavi.

Postque paulo post, eadem die, dictus dominus Bernardus Roardi, bajulus dicte curie Montispessulani dicti domini Majoricarum regis, sedens pro tribunali in dicta curia, dicta causa cognita, precepit et in mandatis dedit Petro de Cardalhaco preconi publico Montispessulani, ut dictam preconisationem suprascriptam, prout superius continetur, publice, alta voce et intelligibiliter, per villam Montispessulani et per loca consueta, proclamet et faciat prout alie publice preconisationes dicte curie dicti domini Majoricarum regis, per dictam villam Montispessulani, sunt fieri consuete.

De quo precepto sive mandato, facto dicto Petro de Cardalhaco, preconi publico predicto, dictus magister Poncius Berengarii, prcourator et nomine procuratorio dicti domini Magalonensis episcopi, petiit sibi, quo supra nomine, fieri publicum instrumentum unum vel plura.

Acta sunt hec, a proximo paragrafo citra, in Montepessulano in dicta curia dicti domini Majoricarum regis, in presentia et testimonio domini Bernardi de Caranta jurisperiti judicis *etc. ut supra, iidem testes et notarius, usque ad* inferius signavi.

Postque eadem die paulo post, dictus Petrus de Cardelhaco, preco publicus Montispessulani, predictam preconisationem coram curia predicta dicti domini Majoricarum regis, palam, publice et alta voce fecit, et intelligibiliter proclamavit de verbo ad verbum, prout superius continetur, et prout per dictum dominum bajnlum sibi datum extiterat in mandatis.

De qua proclamatione, sic publice per dictum preconem facta, dictus magister Poncius Berengarii jurisperitus, procurator et nomine procuratorio dicti domini Magalonensis episcopi, petiit, quo supra nomine, sibi fieri publicum instrumentum, unum vel plura.

Acta sunt hec a proximo paragrafo citra in carreria publica, coram curia ordinaria Montispessulani dicti domini Majoricarum regis et domini Montispessulani, in presentia et testimonio magistri Ermengaudi Cavalerii procuratoris dicti domini Majoricarum regis, magistrorum Arnaudi Bodonis, Guillelmi de Vabro notariorum publicorum Montispessulani dicti domini Majoricarum regis, Guillelmi de Mora jurisperiti, Bernardi Guillelmi draperii, Jacobi Maura ordearii Montispessulani, et plurium aliorum, et mei Guillelmi Gasqui, notarii *etc.*

Deinde sequuntur proclamationes, precedenti similes, quas abreviatas typis tradimus, et facte fuerunt ab eodem precone: de quibus Petrus de Clareto clericus, procurator substitutus a dicto Poncio Berengarii petiit instrumentum per eumdem notarium.

Prima, coram domo consulatus; et fuerunt testes Petrus Folcrandi, Johannes de Pradis canabasserii, et Thomas Cayssani de Oratorio.

Secunda, in platea sive vico pelliparie, et fuerunt testes Berengarius de Vallebuxeria, R. Aymoini pelliparii, Franciscus Stimberti apothecarius, et Berengarius de Sumena canabasserius.

Tertia, in vico draperie rubee, et fuerunt testes Bertrandus Vallete piperarius, Raimundus Aymoini pelliparius.

Quarta, in platea cambiorum nummorum, et fuerunt testes Braychacus de Braychaco draperius, et Bernardus Blanchardi campsor.

Quinta, in vico carrerie Sancti Nicolai, et fuerunt testes Petrus de Panato, Petrus Vabre, Durantus Rotlandi, Egidius de Panata junior, mercerii.

Sexta, in vico Agulharie, et fuerunt testes Johannes Alexandri mercerius, Petrus Fabri junior et Hugo Blanc piperarii.

Septima, in vico subtus furnum Agulharie, et fuerunt testes Johannes Bruni, Stephanus Musa senturerii, Bernardus Engilberti piperarius.

Octava, in vico capitis carrerie Pilaris Sancti Egidii, subtus curiam episcopalem, et fuerunt testes Guillelmus de Fonte presbiter, Bernardus Berengarii fusterius, magistri Petrus Elionis, Philippus Galterii, Guillelmus Cabanis notarii regii.

Nona, in vico de *la Peira*, prope ecclesiam Sancte Fidis, et fuerunt testes magistri Johannes Holanie, Bernardus Gaschi notarii regii, Bernardus Rotgerii fusterius, Petrus Britonis hostalerius, Poncius Lemosini jurisperitus.

Decima, in vico carrerie Tropassens, et fuerunt testes Petrus Martini corraterius, Johannes *del Luc* mercator animalium, Guillelmus de Alto vilari surgicus.

Undecima, in vico capitis carrerie Salnerie, et fuerunt testes Johannes Alamanni, Petrus Alvernhaci et Petrus Thome sabaterii, Raimundus de Luco fornerius.

Duodecima, in vico Pilaris Salnerie.

Finis abreviationis instrumenti

Deinde dictus preco accessit per alia loca cõnsueta, ad faciendum et proclamandum dictam preconisationem, cum Stephano Galterii, scriptore dicte curie domini Majoricarum regis, qui dictam preconisationem in quolibet vico consueto preconisari legebat dicto preconi dictam preconisationem, et cum duobus trompatoribus, qui cum tubis suis et penuncellis dicte curie dicti domini Majoricarum regis, ibant cum dicto

precone, pro dicta preconisatione facienda per dictam villam Montispessulani, ut est fieri consuetum.

De qua preconisatione et proclamatione, sicut dictum est, per dictum preconem palam et publice, et alta voce, in dicto vico Pilaris Salnerie facta, dictus Petrus de Clareto, procurator substitutus per dictum magistrum Poncium Berengarii jurisperitum, procuratorem dicti domini Magalonensis episcopi, petiit sibi, quo supra nomine, fieri publicum instrumentum, unum vel plura.

Acta sunt hec a proximo paragrafo citra in Montepessulano, in dicto vico Pilaris Salnerie, in presentia et testimonio Petri de Barossa barberii, Raimundi Andree notarii Montispessulani, et plurium aliorum, et mei Guillelmi Gasqui notarii publici, dicti domini nostri Francorum regis in Montepessulano et in toto regno Francie auctoritate regia, qui requisitus hec in notam recepi, omniaque predicta scripsi, et in testimonium premissorum hic signum meum consuetum apposui, quod est tale.

(Reg. E, fol. 72 v°).

MDCXXXVII. — 16 juillet 1331

Le juge royal de Montpellier absout des sergents de l'évêque, qui avaient insulté le seigneur de Laroque.

In nomine Domini. Amen. Noverint universi quamdam causam inquisitionis agitatam fuisse coram nobis, Johanne Ricardi, olim judice criminum totius senescallie Bellicadri et Nemausi et commissario in hac parte deputato, nunc vero judice regio Montispessulani, et commissario domini senescalli Bellicadri et Nemausi seu ejus locum tenentis, prout de nostra comissione constat per quasdam patentes litteras, quarum tenor inferius est insertus, contra Raimundum Riquerii de Muro veteri, Johannem Miramam de Brossa, Ber-

nardum Roque de Caturco, servientes curie Salvii reverendi in Christo patris domini Johannis, Dei gratia Magalonensis episcopi et domini temporalis dicti loci;

In qua quidem causa fuit formatus titulus contra dictos servientes, formam que sequitur continens.

Pervenit ad audientiam venerabilis et discreti viri domini Johannis Ricardi jurisperiti (=judicis) ordinarii causarum criminalium senescallie Bellicadri et Nemausi, per comissarios ad infrascripta deputati per nobilem et potentem virum dominum Bernardum de Langucello militem, Albesii dominum et locum tenentem domini senescalli Bellicadri et Nemausi, quod quidam iniquitatis filii, videlicet Bernardus Rocas, Raimundonus Riquerii et Johannes Miramam, servientes curie Salvii temporalis reverendi in Christo patris domini Johannis, divina gratia episcopi Magalonensis et domini Salvii, cum quibusdam sibi associatis, nuper accesserunt ad castrum de Ruppe Ayneria, causa capiendi quemdam hominem ipsius loci, pro quibusdam maleficiis per ipsum, ut dicebant, perpetratis.

Et cum ipsum cepissent, obviaverunt nobili viro domino Johanni de Salsano militi, condomino dicti loci de Ruppe Ayneria, et ejus filio cum quibusdam aliis: et dictum dominum Johannem et filium suum percusserunt, verberaverunt, vulneraverunt (*blanc 2 cent.*), tractaverunt, et plures alias injurias eidem domino Johanni et ejus filio fecerunt, in suo officio delinquentes, et multa alia male perpetrantes et comittentes: et quod de hiis est vox et fama in dicto loco de Ruppe Ayneria et aliis locis circumvicinis.

Unde, cum talia, si veritate nitantur, sint mali exempli, et remanere non debeant impunita, dictus dominus Johannes et comissarius, volens inquirere veritatem, ad finem de veritate reperta delinquentes taliter punire valeat, quod eorum pena talia vel similia attemptare volentibus transeat in exemplum;

Quare coram se venire fecit supranominatos servientes, et cum ipso et eorum quolibet inquisivit, ut sequitur:

Raymundus Riquerii de Muro veteri, Bitterensis diocesis, juratus ad sancta Dei euvangelia super contentis in dicto titulo, etc.

Lite igitur habitata (= habita) pro contestata per responsionem, factam ad dictum titulum per dictos delatos, dieque presenti assignata precize et peremptorie ad nostram cognitionem seu sententiam audiendam, quam diem et horam nos, dictus judex et comissarius, iterato et ad cautelam et denuo asignamus:

Sedentes majorem (= sedentes pro tribunali more majorum), sacrosanctis Dei euvangeliis positis in conspectu nostro, ut, de vultu Dei, rectum prodeat judicium, et oculi nostri in hiis et aliis semper videant equitatem:

Venerabili signo Sancte Crucis premuniti: *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.*

Quia constat nobis, comissario supradicto, dictos delatos esse ignossentes a contentis in dicto titulo, idcirco, per nostram diffinitivam sententiam, quam in hiis scriptis ferimus, per dictum magistrum G. Clari procuratorem et nomine procuratorio dictorum delatorum, et per nos et nostro ministerio, dictos delatos ab omnibus et singulis contentis in dicto titulo absolvimus, et absolutos pronunciamus et declaramus, cum ea que facta fuerunt per ipsos in personam dicti domini Johannis de Salsano, et ejus fratris ac filii, licite et juste facta fuerint jure permittente.

Et incontinenti, lata dicta sententia, dictus magister Guillelmus Clari, nomine procuratorio dictorum delatorum, de predictis seu sententia predicta, petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Tenor vero potestatis seu comissionis domini judicis et comissarii supradicti, sequitur in hec verba:

Bernardus de Languicello miles, Albasii dominus, locum tenens senescalli Bellicadri et Nemausi, domino Johanni Ricardi, judici criminum dicte senescallie, salutem.

Magnificationem, vobis redditam, vobis mitentes inclusam sub sigillo dicte senescallie, mandantes et comitentes vobis, quatinus inquiratis, faciatis et ordinetis quod super contentis in ea, vocatis evocandis, breviter et de plano fuerit rationabiliter faciendum.

Datum Nemausi, die duodecima augusti, anno Domini millesimo CCC vicesimo nono.

Reddite litteras sigillatas.

Petrus Maurelli, domini nostri regis clericus, ejusque judex major in senescallia Bellicadri et Nemausi, locum tenens nobilis et potentis viri domini senescalli Bellicadri et Nemausi, discreto viro magistro Johanni Ricardi jurisperito, judici regio Montispessulani, salutem.

Ad requisitionem procuratoris Bernardi Roque, Johannis Miramandi et aliorum suorum consortum, delatorum de nonnullis excessibus per eos, ut dicitur, in personam domini Johannis de Salsano, domini de Ruppe Ayneria, militis, contra quos inquisitionem fecistis de speciali comissione dicti domini senescalli seu ejus locum tenentis, vobis mandamus quatenus [in] inquisitione predicta, juxta vestram comissionem, sic debite et celeriter procedatis, quod dicti delati materiam non habeant conquerendi, et quod justitie satisfiat.

Datum in Montepessulano, quinta die martii anno Domini millesimo tricentesimo vicesimo nono.

Reddite litteras sigillatas, sub nostro sigillo, altero absente.

Acta et lata fuit dicta sententia per dictum dominum Johannem Ricardi et comissarium, ante januam curie regie

Montispessulani, sub anno Dominice Incarnationis millesimo tricentesimo tricesimo primo, et sexta decima die mensis julii, superillustrissimo principe domino Philippo, Dei gratia Francorum rege regnante, presentibus testibus domino Johanne Gervasii presbitero, magistris Johanne Benedicti jurisperito, Jacobo Fabri notario, Jacobo Galli serviente regio Montispessulani, Firmino Rippe clerico de Montepessulano, ac pluribus aliis, et me Raymundo Celerarii auctoritate regia notario, qui requisitus predicta in notam recepi.

Vice cujus et mandato, *etc.*

(Reg. A, fol. 143 v°).

MDCXXXVIII. — 24 septembre 1331

Hommage fait à l'évêque par le prieur de Saint-Martin-de-Londres.

In nomine Domini Nostri Jesu Christi. Amen. Anno salutifere Incarnationis ejusdem millesimo trecentesimo tricesimo primo, et die vicesima quarta mensis septembris, domino Philippo rege Francorum regnante, noverint universi quod ego Raymundus de Privenqueriis, monachus monasterii Sancti Guillelmi de Desertis Lodovensis diocesis, doctor decretorum et prior prioratus Sancti Martini de Londris... recognosco vobis, in Christo patri domino Johanni, Dei gratia episcopo Magalonensi, quod ego teneo et tenere debeo et volo in feudum honoratum, a vobis et vestris successoribus, villam Sancti Martini de Londris, *etc: ut supra n° 1291, T, IV p. 231, mutato nomine episcopi.*

Actum in prioratu predicto, presentibus venerabilibus viris dominis Bernardo de Texeriis, priore de Balhanicis, Petro de Sobeyracio monacho monasterii supradicti, Arnaudo Siquardi vicario de Porsano, Raimundo Guillelmi de Fabersano clerico, ac Petro Luciano castellano Montisferrandi, testibus

vocatis ad predicta, et magistro Duranto Catherini, notario publico et speciali prefati domini Magalonensis episcopi, qui predicta in notam recepit.

Vice cujus et mandato, *etc.*

(Reg. E, fol. 221 r°).

MDCXXXIX. — 5 octobre 1331

Philippe de Valois approuve l'arbitrage, rendu par l'évêque entre les consuls de Montpellier et un parti populaire.

Philippe, par la grâce de Dieu, roys de France.

Savoir faisons à touz, présenz et à venir, que nous avons veues unes lettres e instrumenz, ci dedanz scriptes, contenanz la fourme qui s'ensuit:

In nomine Domini. Amen. Noverint universi quod, cum Johannes de Fraxino, Petrus Cambafortis, Ber. Columberii, Andreas Bonenoctis, Bertrandus Rolgerii, Symon Cambafortis, Petrus Ripperie et Stephanus Aymerici, substituti sindici, actores seu procuratores popularium ville Montispessulani, prout hec, in certis instrumentis publicis, nos Johannes, miseratione divina Magalonensis episcopus, et Rolgerius de Rovenaco miles, arbitri, arbitratores seu amicabiles compositores, super infrascriptis et a partibus infrascriptis electi, vidimus contineri, pro se et nomine omnium aliorum popularium, et aliarum personarum contentarum in dictis instrumenris:

Habentes etiam potestatem specialem ad infrascripta, per dictos constituentes in eisdem instrumentis eisdem atributam, prout hec in dictis instrumentis vidimus contineri, ex parte una:

Et Raimundus Franchi, Guillermus Lamberti pro se et

Petro Columberii cujus vocem habet. et Petrus Ame[l]lerii pro se et Thoma Hugueti cujus vocem habet, Petrus de Longayranicis, Johannes Adzemarii, Johannes Faraudi, et Petrus de Lava[ur], consules anni presentis dicte ville Montispessulani: et Geraudus Genesii, et Poncius Boni amici, sindici consulum et universitatis dicte ville. nomine consulatus et universitatis predicte, ex altera parte;

Compromiserunt de alto et basso super omnibus controversiis et demandis, quas una de dictis partibus habebat seu habere poterat vicissim contra aliam, in nos, prefatos Johannem episcopum Magalonensem et Rogerium de Rovenaco militem, per partes predictas comuniter electos, tanquam in arbitros, arbitratores seu amicabiles compositores, prout hec in instrumentis, super hoc confectis per magistros Guillermum de Fen, Guillermum de Cruce, Johannem Laurentii, Petrum Cardinalis, et Bernardum [H]olanie, notarios publicos, plenius continetur.

Tandem, pluribus tractatibus habitis inter dictas partes et etiam inter certos tractatores, a dictis partibus electos, coram coram nobis electis, syndici seu procuratores substituti dictorum popularium petierunt coram nobis, nomine quo supra, quod cum plures de habitatoribus dicte ville non contribuissent in collectis comunibus dicte ville pro possessionibus suis, quas infra dictam villam et ejus pertinentias habebant, factis retroactis temporibus, exigentibus necessitatibus ejusdem loci:

Pluresque alii habitatores dicte ville tallias, sibi impositas per consules ejusdém ville, non solvissent ob favorem vel negligentiam consulum, qui pro tempore fuerant, in dampnum rei publice predicte, licet nullum privilegium immunitatis non contribuendi in dictis collectis pro dictis possessionibus, vel etiam non solvendi collectas sibi indi[c]tas haberent:

Petentes eosdem compelli ad contribuendum in dictis collectis, pro modo dictarum possessionum, pro tempore pre-

terito et etiam pro futuro, necnon et ad solvendum collectas sibi indi[c]tas.

Et etiam petierunt, quod cum super relevatione (= revelatione) bonorum mobilium dictorum habitatorum, cum collecte facte fuerunt retroactis temporibus, ut dicebant, plures fraudes intervenissent, pro eo quia dicti habitatores dicta bona relevare (= revelare) nolebant medio juramento: et postea, sine juramento, minus se habere in bonis mobilibus dicebant quam haberent: sicque in minori summa collectizati fuerant quam deberent.

Quod deinceps unusquisque de habitatoribus dicte ville, cum tallie fieri habebunt in eadem, consulibus dicte ville seu deputatis ab eisdem super hoc, bona sua seu ipsorum valorem debebunt revelare medio juramento:

Et, dicta revelatione facta, tallie predicte debebunt choequari inter omnes cives et incolas dicte ville, qui, nullo privilegio immunitatis, de eis et super eis excusationem habebunt.

Quodque consules vel alii administratores dicte ville preteriti temporis, qui aliqua de bonis comunitatis predicte recelaverint vel sibi appropriaverint, vel alias quoquo modo penes se retinuerint, vel aliqua in administratione predicta dolose et fraudulose administraverint, ad eadem reddenda compellantur.

Et etiam quod illi de dictis consulibus, qui mutua, per ipsos facta dicte communitati, sibi ipsis solverint, vel alias sibi solvi procuraverint de bonis dicte communitatis, antequam ceteris satisfacerent, qui dicte comunitati in casu consimili aliquas summas pecunie mutuarunt, ad easdem reddendas compellantur.

Et quod consules et ceteri arrendatores, seu administratores bonorum communium universitatis dicte ville, qui condempnati fuerint per deputatos olim per nobilem et potentem virum dominum Alphonsum de Yspania, tunc locum

tenentem domini nostri regis in partibus Occitanis in certis peccuniariis summis dicte comunitati restituendis, qui nondum de eisdem satisfecerunt, ad easdem solvendas compellantur.

Et quod exactio que fiebat in dicta villa, seu actiones que vulgariter appellantur *los moliez*, *las tacides* et *les beazses*, amodo cessare deberent in dicta villa, seu alias moderari, juxta formam antiquitus observatam.

Item quod, cum dominus noster rex eisdem popularibus fecisset gratiam non solvendi, infra biennium, debita usuraria, ad que certis Lombardis tenebantur, et quod etiam dicti Lombardi pura sorte haberent contentari.

Super quibus quidam, ipsorum emuli, nomine dictorum consulum, litteram revocariam impetraverint;

Et super prosecutione dicte gratie, quam multipliciter impediti fuerant, et dicta littera revocatoria esset penes dictos consules vel eorum mandat[ari]um, ut dicebant, petierunt dictam litteram nobis tradi et eam per nos dilaniari;

Et etiam ut dicti consules, et alii administratores et arrendatores condempnarentur et compellerentur per nos in premissis, ut prout unumquemque ex predictis premissa tangent seu tangere possent:

Necnon ad tractandum eosdem populares ut alios homines et habitatores dicte ville, et ad juvandos ipsos in prosecutione dicte gratie, et ad dandum consilium et favorem in eadem:

Necnon ad solvendum dictis popularibus, de bonis comunitatis predicte, expensas factas et faciendas, occasione litium pendentium in curia Francie inter dictas partes et dependentium ab eisdem, juxta certas litteras regias, quas super premissis dicebant eisdem per dictam curiam fuisse concessas;

Vel alias super premissis cum eisdem et indempnitati rei publice dicti loci, pro bono pacis et concordie, per nos mise-

ricorditer provideri de remedio oportuno, et plures quoad hec rationes allegarunt.

Dictis consulibus et subditis universitatis petentibus sindicatum dictorum popularium per nos anullari, in casu in quo pax fieret inter dictas partes, cum ipsum dicerent periculosum esse in dicta villa, et quam plura scandala. ejus pretextu. credidisse evenisse et evenire posse in futurum.

Et etiam nulla male vel dolose administrata fuisse per ipsos vel eorum predecessores in officio suo, nec fraudulenter agisse (= egisse) in eadem, prout per libros dictarum administrationum et alias legitime dicebant apparere:

Et qui plures rationes proponentes, ad finem quod impositiones que fiebant pro molegiis, tasidis et beazsis in dicta villa, remanere deberent.

Et tandem dicte partes, super omnibus premissis, ordinationi nostre, videlicet Symon Cambafortis, Pe. Corberie. Bertrandus Rogerii, Bernardus Columberii. Johannes de Fraxino, Andreas Bone noctis, Petrus Rogan, actores seu procuratores substituti sindicorum popularium predictorum, pro se et nomine dictorum popularium, ex parte una;

Et Raimundus Franchi, Bernardus Salas, Petrus Amellerii pro se et habens vocem Thome Hugueti, et Guillelmus Lamberti pro se et habens vocem Petri Columberii, et Petrus de Longayranicis, Johannes Feraudi et Johannes Adzemarii. consules dicte ville Montispessulani. et Gueraudus Genesii et Poncius Boni amici, sindici consulum et universitatis Montispessulani, nomine dicte universitatis, ex parte altera;

Supposuerunt se [de] novo, et ordinata et ordinanda per nos super eisdem tenere, et servare et in contrarium non venire promiserunt, et sub pena promissa et stipulata inter dictas partes in compromisso, super premissis recepto per notarios infrascriptos.

Nosque dicti arbitri, arbitratores seu amicabiles compositores, propter bonum pacis et concordie dicte ville, volentes ipsam ad unitatem perducere, que hactenus magnis temporibus, propter diversos motus popularium, fuerat in seipsa divisa, et magna pericula sustinuerat usquequaque: et propter scandalum evitandum, amodo in eadem misericordia moti et inducti, dictum arbitrium seu compromissum in nos recepimus.

Et, auditis diligenter dictis partibus super hinc inde propositis coram nobis per easdem;

Habitoque etiam diligenti contractu (= tractatu) cum eisdem de premissis:

Et etiam dil[ig]entius et attentius informati per nos et per alias personas ydoneas de voluntate dictarum partium, ad hec constitutas cum pluribus probis viris dicte ville etiam, quorum quidam nullam partem fecerant cum una vel alia de partibus memoratis;

Vocatis et presentibus venerabilibus et discretis viris magistris Arnaldo de Belsenx legum professore et Hugone Fabrefortis jurisperito, in curia Francie advocatis, comissariisque per dictam curiam deputatis in causa mota et pendente inter dictas partes in curia memorata, et ad reportandum concordiam seu pacem medendam inter dictas partes et modum pacis domino nostro regi curie supradicte:

Et presentibus et vocatis notariis infrascriptis:

Dictum nostrum seu pronunciationem super premissis, in modum qui sequitur, pronunciamus, partibus presentibus supra proxime memoratis:

Videlicet quod si qui habitatores dicte ville, per libros clavarie dicti consulatus et alios factos super exactione communium talliarum et exactione dicte ville, in quibus indictiones tales et solutiones earumdem scribi consueverunt, in dicta villa facta per dictos consules vel alios de eorum mandato, ab anno Domini M° III^{c} tertio inclusive usque ad annum presentem, qui non contribuerint in collectis predictis pro possessionibus vel aliis bonis suis, vel collectas sibi in-

dictas non solverint a dicto tempore citra, ad contribuendum in eisdem. juxta valorem possessionum et aliorum bonorum suorum. et ad solvendum tallias sibi indictas compellantur, pro tempore preterito ac etiam pro futuro, nisi privilegio aliquo a premissis, de jure vel de consuetudine excusentur ad hec (*blanc 1 cent.*) onera dicte universitatis communiter per omnes ejus incolas, prout decens est, communiter habebunt supportari.

Quo[d]que. cum collecte fieri habebunt deinceps [in] dicta villa, incole universitatis ejusdem et alie persone talliabiles, more solito, per consules, qui pro tempore fuerint in dicta villa, habeant evocari, vel per alios. ad hec per dictos consules deputatos, qui valorem omnium bonorum suorum habeant indicare medio juramento. et ad dicti juramenti prestationem compellantur,

Et dicta indicatione facta, collecte indicende in eadem villa, pro solido et libra vel alias, prout super modo dicte collecte pensati utilitati communi fuerit ordinatum, habeant indicari ac etiam coequari inter omnes incolas et alias personas talliabiles predictas. pro modo possessionum et aliorum bonorum eorumdem.

Item et quod consules dicte ville preteriti temporis. a dicto tempore citra. qui aliqua de bonis comunitatis predicte, summarie et de plano, per dictos libros vel alias legitime, reperti fuerint recelasse, vel sibi appropriasse, vel alias penes se retinuisse, vel in usus suos quomodolibet convertisse fraudulose vel maliciose;

Vel aliqua de bonis dicte communitatis dolose vel alias maliciose administrasse:

Vel mutua, per ipsos facta dicte comunitati, sine causa legitima vel voluntate expressa aliorum consulum suorum et aliorum administratorum dicte universitatis. prout hactenus extitit fieri consuetum in eadem, sibi ipsis solverint, antequam ceteris incolis vel habitatoribus dicte ville satisfaceret. qui in casu consimili, dicte comunitati aliqua mutua fecerant, et pro eadem necessitate:

Et quod consules memorati ad eadem reddenda et restituenda dicte comunitati compellantur.

Et quod dicta mutua eis solvi debeant, quantum et ceteris, qui in casu consimili, quo et ipsi dicte communitati aliquas summas peccunie mutuarunt, satisfiet, prout hactenus in dicta villa est fieri consuetum:

Quousque si aliquibus de dictis consulibus vel aliis habitatoribus dicte ville aliqua mutua, per ipsos dicte communitati facta, soluta fuerint cum causa legitima et de voluntate consulum predictorum, antequam ceteris, qui in casu consimili dicte comunitati mutuarunt, satisfieret, et a dicta muta (= summa), per ipsos recuperata, reddenda compulsi fuerint dicte universitati, qualibet occasione premissa, salva sit eis actio sua (= contra) dictam comunitatem pro premissis mutuatis:

Et quod eis satisfieri debeat de bonis comunitatis predicte, quando ceteris satisfiet, qui in casu consimili mutuarunt, secundum quod est consuetùm fieri in eadem villa:

Et si aliquo casu, dicta actio sive eorum factio posset dici fuisse extincta, eadem ex nunc reviviscat. et suum quilibet (= cuilibet) de dictis mutuantibus sortiatur effectum;

Et pro dictis mutuis recuperandis. nove littere eis fient, ut equalitas inter ipsos observetur. et ut aliquis ipsorum suum non habeat admittere (= amittere) sine causa:

Et hec dicimus nos. dicti electi, intelligere in mutuis fectis de comunitate univrsaliter per habitatore dicte ville, que quodam modo inter mutuantes sapiunt naturam talliarum. sed mutua singulariter facta seù facienda, et per singulares personas dicte comunitati solvantur aut (= ac) si persone dic (*sic*) singulari dicta mutua essent facta.

Item pronunciamus quod sententie late contra consules olim dicte [ville], et alios administratores vel arrendatores bonorum omnium dicte ville per deputatos olim a dicto domino Alfonso de Hispania, sint nulle juxta ordinationem regiam et contenta in eadem.

De mollegiis et aliis impositionibus superius expressatis, que dicti populares aboliri a dicta universitate petebant vel ad certum reduci, nos, dicti electi, pronunciamus nos reperisse per dictam informationem, quod dicte impositiones in dicta villa apposite fuerunt pro bono publico et pro supportandis oneribus dicte ville, et de voluntate et assensu universitatis predicte, et solempnitate adhibita, qui in talibus est fieri consuetum.

Et pro evitandis fraudibus, que fiebant in molendis bladis per molendinarios seu molendina gubernantes, propter quod fuerat introductum quod duo pondera fierent in dicta villa, et etiam facta fuerunt, ad que pondera dicti molendinarii, seu dicta molendina gubernantes, blada molendini et farinam mulitam (=molitam) apportare et ponderare haberent:

Et quod propter onera dictorum ponderum et alia onera dicte ville supportanda, predicte impositiones juste et licite fuerunt invente, et de voluntate illorum, quos premissa principaliter tangebant, et qui sua premissis obligare poterant et etiam obligarunt;

Et quod dicte impositiones levate fuerant in dicta villa per triginta annos continuos, et etiam ultra;

Quare dicimus et pronunciamus quod, cum dicte impositiones pro utilitate publica invente fuerint, et utilitas publica sit dicte ville, ut leventur prout levantur, et dampnum esset ejusdem si nunc removerent, quod dicte impositiones in statu in quo nunc sunt remaneant, et etiam leventur, moderande per consules cessantibus hominibus (=oneribus) dicte ville, si et quando eis videbitur expedire:

Quodque nullus de habitatoribus dicte ville molendinum habens vel molendinum gubernans quoquo modo, vel alius quicumque a predictis impositionibus aliqualiter valeat excusari, nisi alicujus privilegii prerogativa, de jure vel patrie consuetudine a prestatione earumdem meretur executionem vel immunitatem habere:

Quodque, si in premissis vel circa premissa, per se vel per alium, aliquam fraudem fecerint vel comiserint contra

dictam communitatem et utilitatem rei publice ejusdem, ad restituenda dampna dicte communitati compellantur, que, occasione premissa, incurrisse seu sustinuisse summarie et de plane constiterit sine strepitu judicii et figura.

Item ad hec ut super compositis (=compotis) consulum, qui pro tempore fuerint, vel eorum administratorum comunitatis predicte, nullum scrupulum imposterum oriri possit ve[l] materia discordie in villa predicta, nos electi ordinamus quod, in libris clavarie dicti consulatus, et in aliis libris qui fient super indictione et receptione collectarum, specificari habeant recepta et data seu expensa, et causa inseri debeat in eisdem;

Ad hec, ut omnis fraudis et suspicionis materia et omnis discordia evitetur, et quod scripta in dictis libris, ex quo in eisdem scripta [sunt], seu etiam dicti libri de voluntate ipsius, ad quem premissa spectant, mutari vel etiam variari non possint, sed imperpetuum teneant in prejudicium illius seu illorum, qui ad compotum seu rationem reddendi de eisdem tenebuntur, nisi errorem manifestum continerent: Quo casu, dicto errore comperto, in presentia omnium consulum dicte ville, et de voluntate et assensu ipsorum, et non alias, corrigi habeant, vel aliter quam prius scripta fuerant mutuari (= mutari).

Super expensis vero factis et faciendis per dictos populares, occasione litium motarum et pendentium in curia Francie, et dependentium ab eisdem inter dictas partes, quas dicti populares sibi solvi de comunibus bonis dicte ville petebant, nos electi dicimus et pronunciamus quod, licet prima facie videretur quod eorum petitio fieri non deberet, cum nec dicti populares in dicta villa causa[m] adhuc obtinuerint, nec dicti consules in aliquo convicti vel condempnati fuerunt: nec etiam taxari debeant expense occasione alicujus litis facte, donec post sententiam sequtam super negotio principali; et per alias plures rationes hinc inde propositas, quas, silencii causa, breviter duximus omittendas;

Actenus attento quod dicti populares sunt membrum communitatis predicte et de dicta comunitate, et etiam quod multa administrarunt et expenderunt, simpliciter credentes hec facere bona fide;

Attendentes etiam paupertatem et tenuitatem ipsorum popularium, et quod super dictis expensis sibi misericorditer provideri petierunt:

Et quod si dicta comunitas in aliquo eis juvet ad supportandum et solvendum onera sua, non multum erit gravata, et ipsi populares valde relevabuntur; quo[d]que dicti populares, si que fecerunt et petierunt contra consules et administratores dicte ville, sub colore cujusdam boni et pro utilitate dicte ville nuntiare crediderunt:

Ordinamus quod comunitas predicta, seu consules dicte ville nomine ejusdem, dent et solvant dictis popularibus ad subsidium seu adjutorium solvendi debita, contracta per eosdem, occasione litis mote inter dictas partes, compatiendo eorum paupertati, scilicet quod caput debet compati membris suis, infra IIII^or^ menses post confirmationem subsecutam, et etiam factam per dominum nostrum regem super contentis in presenti instrumento, et post receptionem ejusdem, valorem IIII^or^ milium florenorum de Florencia, boni ponderis et legalis in moneta regia solvenda;

Et dicta comunitas et consules ad premissa solvenda compellantur;

Et quod valor IIII^or^ milium florenorum ponetur penes aliquem campsorem dicte ville, quem dicte partes duxerint eligendum, si fuerint concordes; et si discordes essent, quod per nos, dictos electos, vel alios per nos subrogandos, eligantur, exinde distribui atque solvi debeant in acquitatione dictorum debitorum popularium, per ordinationem IIII^or^ proborum virorum, et non alias; quorum duo eligentur per consules, et alii duo per populares predictos;

Et quod dictorum popularium administratores compellantur ad reddendum compotum de administratis per eosdem, nomine popularium predictorum, coram dictis IIII^or^ probis viris, et ad reliqua prestandum;

Que reliqua in acquitatione dictorum debitorum, et in expensis et dampnis que sustinuerunt occasione presentis litis, et non alias, distribui debeant atque solvi per ordinationem dictorum proborum virorum:

Et quod, si qua supersint solvenda, de bonis dictorum popularium, post distributionem premissorum, omnes illi, qui sindicos, procuratores seu actores dictorum popularium creaverunt, seu eorum creationi consenserunt et presentes fuerunt, ac etiam ipsos pro se et nomine sui constituerunt, compellantur contribuere eisdem ad solvendum debita supradicta pro solido et libra;

Necnon et ad solvendum expensas factas et faciendas occasione premissa:

Et etiam dampna, de quibus summarie et de plano constiterit, et sine strepitu judicii et figura; ad que compellantur dicti constituentes, juris remediis ad hec dicentibus sic celeriter, quod a captivitate, in qua dicti populares positi sunt propter debita usuraria ad que tenentur occasione premissorum, celeriter valeant liberari et servari indempnes.

Dicimus etiam et pronunciando declaramus, quod omnes illi dictorum popularium, qui se obligaverunt ad trentenum fructuum bonorum suorum pro ducenda causa predicta, annis singulis ex[s]olvendum, ad solvendum dictum trentenum juxta obligationem super compellantur.

Item et quod, ex post incontinenti executis premissis, dictus sindicatus, et omnia procuratoria et substitutiones eorumdem, occasione premissa per dictos populares facta, licet auctoritate seu decreto cujusvis judicis concessa seu confirmata extiterint, cassa et nulla sint, et pro cassis et nullis reputentur:

Et quod sindici, et procuratores seu actores, seu substituti eorum, constituti in predictis sindicatu, procuratoriis seu substitutionibus, eisdem, in judicio vel extra, minime se fraudare (= juvare) valeant, nomine popularium predictorum vel aliarum singularium personarum, qui eos consti-

tuerunt seu substituerunt in eisdem; sed ex tunc censeantur privati omni potestate, sibi per dictos constituentes in dictis instrumentis attributa.

Item ordinamus et pronunciamus quod dicti consules, qui nunc sunt et pro tempore fuerint in dicta villa, predictos populares in dicta villa et eorum adherentes deinceps tractent et tractare debeant bona fide, ut alios habitatores dicte ville, adherentes dictis consulibus ante pacem seu concordiam presentem, et melius, si melius posseut, sub virtute prefati juramenti, et etiam sub pena hinc inde stipulata inter dictas partes in dicto compromisso. omni odio et rancore postpositis.

Et quod dicti populares deinceps unum corpus faciant cum dictis consulibus, et eis obediant in licitis et honestis, scilicet quod ceteri habitatorum dicte ville faciunt et facere tenentur; nullamque deinceps comotionem seu divisionem faciant in dicta villa pro aliquo negotio, sed ad dictos consules recurrere habeant super hiis, super quibus sentient se gravatos, sub virtute prestiti juramenti et incursionis pene supradicte, sicut et alii habitatores dicte ville ad ipsos recurrere consueverunt.

Quodque dicti consules eisdem providere habeant super premissis bona fide, ut possibile erit per eos fieri, et premissa ad eos spectabunt.

Et quod dicti consules dictos populares juvent et juvare debeant in personis et consiliis, infra villam Montispessulani. in prosecutione dicte gratie contra Lombardos, vel contra alios quos eisdem sunt concessa, per se et per assessores, consiliarios, advocatos vel alios pensionarios suos, bona fide; et illis prestent totum illud consilium, auxilium et favorem, seu prestari faciant per predictos palam et publice, quod eisdem in premissis prestare poterunt, dum fuerint requisiti, vel dum viderint ipsis popularibus expedire.

Et quod, post pacem presentem confirmatam et éxequtam libri consulatus dictis consulibus restituantur.

Et cum predictis volumus et pronunciamus fore pacem perpetuam et concordiam inter dictas partes, et eam servandam et tenendam in omnibus et per omnia; et quod dicte partes premissa omnia teneantur emologare incontinenti, sub pena et juramento predicto, jure in omnibus premissis dominorum regum Francorum et Majoricarum semper salvo.

Item ordinamus quod si dominus noster rex Francorum, seu ejus curiales, predictam pacem seu concordiam confirmare nollent, quod omnia predicta, ordinata et pronunciata per nos super premissis, nullius valoris extant, sed pro non dictis, ordinatis et pronunciatis habeantur; sic quod in dicto casu, neutrarum dictarum partium contra aliam, jus aliquod sit acquisitum vel prejudicium generatum occasione premissorum; sed in omnibus actibus et negotiis, inter ipsas pendentibus, et omnia et singula ex eis dependentia, in eo statu, in quo erant ante compromissum et pronunciatione predicta, [remaneant].

Et ibidem incontinenti, supra ultimo prenominati actores seu procuratores substituti dictorum popularium seu eorum subditorum, quibus supra nominibus, ex una parte; et dicti supra ultimo nominati consules et eorum sindici, nominibus quibus supra, ex parte altera:

Auditis et intellectis pronuntiationibus et ordinationibus supradictis, unanimiter et concorditer, nemine discrepante, ipsa omnia et singula pronunciata et ordinata per dictos dominos arbitros, arbitratores seu amicabiles compositores, vera esse constanter asseruerunt, ipsamque laudaverunt, approbaverunt, et emologaverunt, et confirmaverunt, et contra non venire promiserunt, interveniente stipulatione mutua et sollempni;

Supplicantes humiliter et devote, tenore presentis publici instrumenti, regie majestati domini nostri Francorum regis, ut, annuendo paci et concordie supradicte, dignetur omnia premissa, de sui assueta clementia, confirmare.

Facta et recitata fuit dicta pronunciatio et ordinatio per dictos dominos electos in Montepessulano, anno Dominice Incarnationis M° III° tricesimo primo, quinta die mensis octobris, domino Philippo rege Francorum regnante, testibus presentibus et vocatis, religiosis viris dominis Bernardo de Texeriis Beate Marie de Tabulis, Guillelmo Fulci de Castronovo ecclesiarum prioribus, Petro Pelagalli rectore ecclesie de Montillis Magalonensis diocesis, et Petro Robini licenciato in legibus, officiario Magalonensi, et magistro Petro de Cremiraco notario Montispessulani, et Guillelmo Clari, Johanne Laurentii et Guillelmo de Fen notariis regiis, et me Guillelmo de Grace, auctoritate regia publico notario, qui una cum proxime suprascriptis notariis et testibus dictis, pronunciationi, et ordinationi, ratifficationi, emologationi et supplicationi presens interfui, et rogatus ac requisitus per dictas partes, et de mandato dictorum dominorum electorum, hec scripsi, et in formam publicam redegi et signo meo solito signavi.

Excellentissimo principi et superillustri domino suo, carissimo domino Philippo, Dei gratia Francorum regi, seu ejus venerabili consilio et tenenti pro ipso parlamentum Parisii, sui humiles clerici Arnaldus de Belsenx, legum professor, et Hugo Fabrefortis se ipsos cum promptione servicii, subjectionis et honoris.

Reverendissime domine, noveritis nos vestras litteras recepisse, tenorem qui sequitur, continentes:

Philippus, Dei gratia Francorum rex *etc. ut supra T. V, p. 168.*

Et quod nos, virtute dictarum litterarum, accessimus personaliter ad villam predictam Montispessulani, et vocare fecimus coram nobis partes predictas.

Cumque compota quorumdam consulum dicte ville, qui pro tempore fuerant, audivissemus, dicte partes, juxta licentiam eis per vos sibi datam, volentes inter se pacem inire et concordiam, super hiis de quibus pendebat lis in curia predicta, se compromiserunt, de alto et basso, in reverendum in Christo patrem et dominum, dominum Johannem, divina providentia Magalonensem episcopum, pro parte dictorum popularium, et in nobilem virum dominum Rogerium de Rovenaco militem, pro parte consulum, electos, tanquam in arbitros, arbitratores seu amicabiles compositores:

Et certis articulis traditis pro parte dictorum consulum ad eosdem, dicti arbitri, super contentis in dictis articulis et responsione dictorum consulum, nobis vocatis et presentibus, se legitime informarunt, ac etiam super eisdem, juxta responsionem et informationes predictas, pronuntiaverunt, presentibus partibus predictis, et sub certa forma pacem inter dictas partes ineuntes.

Quam pacem dicte partes approbaverunt et emologaverunt, retenta voluntate vestra, instantes et supplicantes per vos eandem confirmari prout de premissis constare potest per quedam publica instrumenta super dictis compromisso et pronunciatione confecta per Guillelmum de Cruce clericum, auctoritate vestra notarium publicum, et ejus signo signata, huic presenti nostre rescriptioni annexata, que vobis sub sigillis nostris mittimus fideliter interclusa.

Et hiis peractis, a dicta comissione recessimus, juxta traditam in dicta comissione nostra nobis formam, et eadem vobis per dictas partes remisimus seu apportari misimus.

De quibus omnibus vos certificamus per presentes.

Datum sub sigillis nostris apud Montempessulanum, sexta die mensis octobris, anno Domini M° III^c [tricesimo] primo.

(Reg. D, fol. 164 r°).

MDCXL. — 7 octobre 1331

Le viguier d'Aigues-Mortes refuse de livrer un adultère au procureur de l'évêque.

Anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo primo, et die septima mensis octobris. domino Philippo Dei gratia illustrissimo Francorum rege regnante. noverint universi quod existens sive constitutus in curia regia Aquarum Mortuarum. coram discreto viro Bertrando Ben[e]dicti, locum tenente venerabilis et discreti viri Petri Benedicti, regentis castellaniam et vicariam Aquarum Mortuarum, Raimundus de Moleriis, procurator et procuratorio nomine, ut asserebat, domini Magalonensis episcopi, exhibuit et presentavit dicto locum tenenti quasdam patentes litteras nobilis et potentis viri domini Bertrandi Planterii, militis et legum doctoris, domini senescalli Bellicadri et Nemausi [locum tenentis]. sigillo ejusdem domini Bertrandi in earum dorso sigillatas: quarum tenor talis est:

Bertrandus Planterii miles, locum tenens domini senescalli Bellicadri et Nemausi. vicario Aquarum Mortuarum, vel ejus locum tenenti, salutem.

Supplicationem per procuratorem domini Magalonensis episcopi, comitis Melgorii. nobis redditam. vobis mittimus sub nostro sigillo inclusam. vobis mandantes qualenus informationem, quam de facto in ipsa contento et alias contra servientes dicti domini episcopi, nominatos in supplicatione predicta. fecistis, nobis mit[t]atis vestro sigillo fideliter interclusam.

Interim tamen ab executione cujusdam littere citatorie, a vobis contra dictos servientes emanate, ad comparendum coram vobis. die lune proxima, sub pena. in citatorio vestro mandato vestro contenta, supersedeatis, et ab omni proces-

su, contra ipsos faciendo, omninó, et donec per nos, visa dicta informatione, aliud fuerit ordinatum.

Datum in Montepessulano, sub sigillo nostro, in absentia magni sigilli senescallie, die quinta octobris, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo primo.

[Reddite] litteras sigillatas.

Deinde et incontinenti, ibidem presentavit eidem domino locum tenenti idem Raymundus de Moleriis, procurator et procuratorio nomine quo supra, supplicationem, de qua in suprascriptis fit mentio litteris, sub sigillo dicti domini Bertrandi Planterii, ut prima facie apparebat, interclusam; cujus superscriptio noscitur esse talis: *Regenti vicariam et castellaniam Aquarum Mortuarum.*

Qua supplicatione per dictum dominum locum tenentem dicti domini regentis aperta, et diligenter lecta et inspecta, idem dominus locum tenens respondendo obtulit se fore paratum contenta in eisdem litteris et supplicationem, juxta continentiam et tenorem dictarum litterarum adimplere.

Tenor vero dicte supplicationis talis est:

Nobilitati et justitie vestri, domini Bertrandi Planterii, militis et legum doctoris, significat procurator domini Magalonensis episcopi, quod nuper intellecto per vicarium Melgorii, quod quidam iniquitatis filius, in loco dicto *lo Columbier*, jurisdictionis dicti domini episcopi, adulterium cum quadam marìtata muliere [perpetrare] non erubuit, licet conjugatus esset, ad dictum locum servientes sue curie destinavit, ut dictum adulterium citarent, eum secum adducerent pro justitia facienda.

Dicti servientes, ad dictum locum accedentes, et dictum hominem, qui dictum dicebatur adulterium comisisse adinvenerunt, et ipsum ad presentiam dicti vicarii venire fecerunt;

In cujus presentia confessus fuit se quamdam mulierem in dicto loco carnaliter cognovisse, quod licite, ut dicitur

asseruisse, facere poterat pro eo quia ejus uxor in[h]abilis erat et inepta ad carnaliter cognoscendum (*sic*); et, tam ab ea quam a domino senescallo, licentiam dicebat se habere alias mulieres cognoscendi, quas habere posset:

Asserens, cum fuit in presentia dicti vicarii seu ejus locum tenentis, et ante, non, se vocari Petrum de Hedino, servientem regium garnisionis Aquarum Mortuarum.

Quo audito, idem vicarius, ob domini nostri regis reverentiam, cujus servientem se dicebat, licet signum aliquod non portaret, libere, quoad tunc, habire permisit.

Dictusque vicarius, sive regens vicariam Aquarum Mortuarum, ad dicti Petri mitigationem (= instigationem), asse[re]ntis se fore depredatum per Johannem de Aphana, Bernardum Spalle, Johannem Ruffi et Raimundum Foresterii, servientes Melgorii, citari mandaverit prenominatos ad comparendum, die lune proxima, personaliter coram eo, sub pena quilibet viginti quinque librarum turonensium, responsuros de predictis et quibusdam aliis in suis litteris contentis, de quibus se dicit informaturum;

Dictique servientes in predictis non reperiantur deliquisse, informatioque sufficiens facta non fuerit, sicut nec fieri potuit, et modo quo dicitur esse facta.

Quare petit per vos, dictum dominum locum tenentem, dictam informationem, si que est facta, videri et inspici, et, ea visa, ordinari quod justitia suadebit, dictoque domino regenti mandari, [quod] dictam informationem, si quam fecit contra predictos, vobis mittat fideliter inclusam sub suo sigillo, et quod interim cesset totaliter procedere contra eos ac desistat, quousque aliud per vos fuerit ordinatum.

Et ibidem presens magister Petrus de Hedino, serviens garnisionis Aquarum Mortuarum, petiit et requisivit cum instantia quanta potuit, dictum dominum locum tenentem, copiam dictarum litterarum per eundem sibi concedi et tradi, tanquam illi cujus interest, ut asseruit.

Et dictus dominus locum tenens, audita petitione per dictum magistrum Petrum sibi facta, dictam copiam ipsarum

litterarum apertarum eidem magistro concessit et tradi jussit.

Et nichilominus dictus Raymundus de Moleriis, procurator et procuratorio nomine quo supra, petiit et requisivit, ut supra, contenta in dictis litteris adimpleri, et copiam totius inqueste seu informationis contra dictos Johannem de Anhana, Bernardum Spalle, Johannem Ruffi et R. Foreselii, per presentem curiam facte, sibi concedi atque tradi.

Et dictus dominus locum tenens, respondendo ut supra, dixit se fore paratum contenta in dictis litteris et supplicatione, juxta ipsarum litterarum tenorem et continentiam, adimplere, et dictam informationem eidem domino Bertrando Planterii, locum tenenti dicti domini senescalli, juxta dictarum litterarum seriem et tenorem transmittere, denegando eidem Raymundo copiam dicte informationis, per eum petitam, tradere predictam.

De quibus omnibus et singulis, dictus Raymundus de Moleriis, nomine quo supra, petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Acta fuerunt hec in dicta curia regia Aquarum Mortuarum, testibus presentibus Stephano Yndoli burgensi dicti loci, Petro Poti serviente portarum ejusdem loci, Egidio Bordelli armigero, et magistro Guillelmo de Monteforti notario publico domini nostri Francorum regis, qui requisitus et rogatus predicta omnia in notam recepit.

Vice cujus notarii et mandato *etc.*

(Reg. A, fol. 106 v°).

MDCXLI. — 4 novembre 1331

Statuts du Chapitre de Maguelone

Ces statuts ont été édités par Germain, dans Maguelone sous ses évêques, *p. 219. Nous lui empruntons ce texte, qu'il a pris dans un ms. format in-8°, aux Arch. Départ. de l'Hérault. La copie du* Cart. de Maguelone *est trop mutilée pour en faire usage.*

Salvator Noster Dominus Jhesus Christus, rex regum et omnium potestatum, pacem faciens et non minus judicium et justitiam subministrans, qui, ut pacem doceret, venit in mundum, et ejus regnum de hoc mundo non erat: et qui illam carnalem noluit, dicens: *pacem meam do vobis*; guerram spiritualem insuper imperavit, juxta illud: *induite vos armaturam Dei, ut adversus astutias diaboli stare possitis*; cujus imperio pax et inimicitie refformantur; qui pro crucifigentibus salvandis venit crucifigendus occidi; cujus universe vie misericordia et veritas: juste consulens misericordia et pie seviens disciplina, ab eterno disposuit sibi subditos pudicos fore et in moribus et in verbis, ut non superflua, sed utilia discrete proferrent; et insuper pacificos dicens: *beati pacifici, quoniam Dei filii vocabuntur*; non igitur seditiosos, non seditionarios, nec facile litigantes, sed quorum modestia omnibus hominibus nota esset;

Ille autem versutus hostis bucadurus, cupiditas quoad transitoria temporalia adquirenda et tenaci manus glutino retinenda, virtutes expellens et vitia introducens, pocessorem non querens, omni paci impatiens, cui adesse non possunt neque societas neque finis; et cui etiam totus mundus modicus et adulterinus obolus non videtur, litium materies extra judicia et in judiciis jurgiorum, fragilitati conditionis humane, que ab adolescentia prava est in delicta, tot cotidie nova litigia generat, que morum subvertionem, tam in

religiosos Dei servos, quos utique decet esse quietos, quam in populo et clero alio, quasi quod est illicitum, videant licitum, administrat;

Adeo quod, nisi justitia, que ab aliis virtutibus augeri et ad majus desiderat apparere, tam per determinationis oportune suffragium, tollendo ambigua, auferendo lites et jurgia, altercationes dirimendo, mores insuper reffrenando, ejus cupiditatis conatus illicitos reprimeret, concordia extra mundi terminos exularet.

Sane, cum in Magalonensi Ecclesia, ad honorem principis apostolorum beati Petri constructa, divinus cultus, tranquillus status, pax, in helemosinis et hospitalitate liberalitas et munificentia citra temporibus floruerint, fructus honoris et honestatis laudabiliter producentes: nunc vero detestanda cupiditas supradicta, querens que sua sunt, non que Christi, inter personas dicte Ecclesie, dignitates, officia, administrationes, prioratus et beneficia obtinentes, nonnullosque alios ipsius Ecclesie canonicos nulla etiam possidentes, super debitis suportandis oneribus, plura ambigua, lites et jurgia duxerit seminanda:

Nos Johannes, miseratione divina episcopus Magalonensis, residentes et presidentes in nostro Capitulo generali Magalone, ad diem presentem cum dierum sequentium continuatione assignato, et ad campane sonitum, ut moris est congregato;

In qua congregatione interfuerunt venerabiles et religiosi viri Raimundus de Canilhaco prepositus, Hugo de Affuello prior claustralis, Guillelmus de Lauduno vestiarius, Jacobus de Claperiis sacrista, Bertrandus de Villanova Sancti Firmini, Raimundus de Montadino de Lunello novo, Hugo de Combreto de Piniano, Johannes Camboni de Montearbedone, Johannes de Viridissico Sancti Egidii de Fisco, Guillelmus Fulci de Castronovo, Berengarius de Fabricis de Fabricis, Bernardus de Texeriis Beate Marie de Tabulis, Petrus Audini Sancte Eulalie, Raimundus Blanchi de Claperiis, Bernardus de Texeriis de Balhanicis, Arnaudus Bernardi de Mar-

cafaba de Novigentibus, Stephanus Saporis do Soregio, Bertrandus de Mandagoto Sancti Johannis de Bodia, Hugo de Broeto Sancte Marie de Lundris, Raimundus de Melgorio de Cornone Terralli, Raimundus de Piniano Sancti Andree de Bodia, Stephanus Christiani de Venranicis, Bernardus de Gabriaco de Ozorio, Guillelmus Haboti Sancti Vincenciani, Johannes de Salino de Adavo, Poncius de Olargiis Sancti Georgii. Jordanus de Monteolivo de Latis, ecclesiarum priores;

Jacobus Ymberti operarius, Gaufridus de Felgueriis infirmarius, Augerius Malfredi helemosinarius. Jacobus Fulci coquinarius, Rostagnus de Leucis cellararius:

Bremundus de Montelauro. Petrus de Sala, Bertrandus Beraudi de Pradellis, Petrus Raimundi de Buxodone, Bernardus Capitis Probi hominis, Arnaudus de Montadino. Guillelmus de Jauioza, Petrus Raimundi de Crudio. Guillelmus Petri de Agantico, Guiraudus de Sancta Valeria, Poncius de Thesano, Johannes de Montelauro, Sicardus de Felgario, Raimundus de Alba Ruppe. Petrus de Alba Ruppe. Andreas Brachii fortis, Poncius de Viridisicco. Petrus Gavanoni, Raimundus Savarici, Guillelmus Vesiani, Petrus Bessede, Petrus de Coliaco, Stephanus de *Mandajors*, Rotbertus de Leiracio, Petrus Ceruti. Raimundus Sejani, Raimundus de Vieussano, Johannes Barriani, Berengarius de Conchis, Guiraudus Savarici. Johannes de Manhania et Petrus de Sobeyracio.

Nostri canonici. et de ipsius Capituli et personarum singularium predictarum ejusdem ad concordiam redactarum voluntate, consilio et expresso consensu, nemine discrepante, quod nos dictum Capitulum et ejusdem persone singule supradicte esse fatemur, pacem querentes, quia non nisi pacis tempore bene colitur pacis Actor, ad tollenda ambigua, auferendas lites et jurgia, dirimendas altercationes. et obscura penitus succindenda, et pro bono statu et reformatione dicte Magalonensis Ecclesie sponse nostre, ad laudem et gloriam Divini Nominis, ipsiusque cultus stabilitatem, et, ut desideramus, augmentum qui sine sustentatione rerum temporalium diu esse non potest, ad perpetuam rei memoriam, declara-

tiones, ordinationes et statuta edidimus infrascripta, perpetuo valitura, et nullo unquam tempore per non usum, desuetudinem, consuetudinem contrariam, aut alio modo quolibet, nisi per statuta contraria facienda in generali Magalonensi Capitulo abolenda.

De Preposito (1)

In primis igitur declaramus, ordinamus et statuimus quod Magalonensis prepositus, qui est et qui pro tempore fuerit, nomine prepositure Magalonensis, tenetur et teneatur infrascripta onera supportare, et in omnibus et singulis infrascriptis, libere et sine contradictione qualibet, perpetuis temporibus providere.

1. — Primo tenetur prepositus dare panem canonicis et omnibus venientibus ad insulam Magalone, ibidem comedere volentibus et comorantibus, panem videlicet de frumento puro et mundato, quantum mundari bono modo poterit cum crivellis, et sine mixtura ordei et alterius cujuslibet grani, quod possit panem brunum reddere vel male sapidum.

2. — Item de illo pane debet hospitibus et canonicorum scutiferis et famulis providere.

3. — Item messaderiis, per aquam venientibus, et etiam illis qui cum funere per aquam ad insulam et ecclesiam Magalone venerint, omnibus istis, cum volunt recedere, tenetur dare panem et vinum conventus, juxta conditiones et qualitates personarum, secundum discretionem cellararii, qui Magalone moratur pro preposito.

---

(1) A l'exemple de Germain, nous divisons ces statuts par dignitaires et par articles. Pour ces derniers, nous ne suivrons pas toujours Germain, dont la division ne paraît pas parfois heureuse.

Et, si cellararius non faceret ut deberet, prior claustralis possit hoc fieri facere indilate;

Et quod panis hujusmodi sit durus vel recens, juxta arbitrium dicti cellararii, dum tamen sit panis conventus.

Et si predicti messaderii, vel illi qui veniunt cum funere, venirent illa die qua prepositus facit convivium, tenetur eis dare companiticum, sicut coquinarius tenetur facere illis diebus quibus providet conventui Magalone.

4. — Item si in infirmaria, vel in tota insula aliquis canonicus infirmetur, et indigeat uno bono servitore vel pluribus, tenetur prepositus illi vel illis servitori vel servitoribus dare similem panem et simile vinum, sicut canonicis.

5. — Item idem de servitoribus conversorum infirmorum. Servitores autem predictorum infirmorum teneantur recipere panem et vinum in aula.

6. — Item parentibus omnibus, consanguineis et affinibus canonicorum, et aliis bonis gentibus ad ecclesiam Magalone venientibus, debet providere prepositus, sicut canonicis, in pane et vino, et lectis bonis et sufficientibus, et in omnibus aliis juxta conditionem et qualitatem personarum.

7. — Item, si contingat canonicos ire spaciatum ad mare cum amicis suis, vel sine, tenetur prepositus eis dare panem et vinum sufficienter.

8. — Item, quando canonici recedunt ad aliquem locum seu loca per aquam, videlicet ad romipetagia vel peregrinationes, vel ad partes proprias vel alienas, vel propter negocia alia, cellararius pro preposito provideat eis et sue societati convenienti in pane et vino sufficienter.

Et, si fuerit distancia loci vel locorum, ad que ibunt, unius diei seu diete, habeant prima die panem et vinum; et si duorum dierum, habeant pro duabus dietis.

Si autem fuerit distancia trium dierum, tunc sit in dispositione prioris claustralis de tertia die in provisione hujusmodi facienda eadem.

9. — Item, quando canonici vadunt ad ordines per aquam, prepositus tenetur eis providere in pane et vino; et coquinarius debet eis, sumptibus ipsius coquinarii, habere barcam et barcas, et etiam pro parapside seu scutella et companatico providere.

In lectis vero debent prepositus et coquinarius in hoc casu providere comuniter eisdem.

Si vero dicti canonici vadant per terram ad dictos ordines ubicumque extra Montempessulanum, prepositus et coquinarius eis providere in omnibus victualibus communiter teneantur.

Si autem pro predicta causa ad Montempessulanum accesserint, teneatur eis coquinarius in solidum providere.

10. — Item quando canonici vadunt ad assignationes per aquam, prepositus tenetur eis providere in pane et vino, et coquinarius in barca et barcis, et in parapside seu scutella ac companatico.

Si vero vadant per terram coquinarius teneatur eis in equitaturis, et omnibus aliis sibi in itinere necessariis, in solidum providere.

11. — Item parentibus et amicis canonicorum, et aliis bonis personis, nobilibus et innobilibus, facientibus transitum juxta insulam Magalone, petentibus panem et vinum, cellararius pro preposito eis dare teneatur, juxta consuetudines et numerum personarum, dum tamen non sint mercatores, vel causa negociationis ibi transeuntes; et etiam istis casibus, tempore necessitatis.

12. — Item, quando canonici volunt extra insulam, de licentia prioris claustralis, recedere, cellararius pro preposito tenetur eis dare duos panes pro quolibet canonico: qui panes libre communiter apellantur.

13. — Item de dicto pane canonicorum debet dare prepositus omnibus venientibus et comorantibus infra insulam, cujuscumque status et conditionis existant, etiam Judeis et

Sarracenis, exceptis mensa mercenariorum seu vercayralium, et clericis pauperibus, et exceptis garcionibus ibidem et in infirmaria et in lavandaria comorantibus.

Et etiam illis de lavandaria, quando faciunt bugadam seu panni purgium canonicorum, tenetur dare de pane canonicorum ipsorum et vino, scilicet de pane, tres libras, et tria lieuralia de vino.

14. — Item tenetur prepositus dare bonum vinum, merum, francum, purum et sanum, et sine malo sapore, et non acetosum nec olens, canonicis et parentibus, fratribus et omnibus aliis de consanguinitate seu affinitate ipsorum, et aliis bonis personis ad ecclesiam venientibus:

Et etiam messaderiis, et illis omnibus qui veniunt cum funere vel funeribus mortuorum:

Et generaliter omnibus illis, quibus tenetur providere de pane canonicorum, teneatur dare de vino quod canonici ipsi potabunt; preterquam in quadam mensa, que est in aula magna que vocatur mensa hospitarii, in qua debet etiam dare de bono vino, non nimis sed sufficienter limphato.

15. — Item conversi nostri, recepti in Capitulo generali, qui appellantur de soquania, debent habere similem panem et simile vinum cum canonicis:

Et idem parentes, consanguinei et affines ipsorum:

Et gaudere debent, una cum canonicis, simili libertate, et ut superius de canonicis continetur.

16. — Item alii donati comunie sine soquania, cum veniunt et sunt in insula Magalone, debent habere similem panem et simile vinum, ut conversi de soquania, in Capitulo Magalone recepti.

17. — Item tenetur prepositus dare coquinario, in singulis festivitatibus Circumcisionis Domini, duo sestaria vini optimi et clari pro nectare faciendo.

18. Item tenetur prepositus providere, singulis annis, de vino veteri, absque eo quod det novum, usque ad festum Omnium Sanctorum.

De hospitalitate parentum canonicorum

19. — Item tenetur prepositus canonicos, et parentes et amicos ipsorum bene et honorifice recolligere, et dare ad comedendum et bibendum, et facere bonos lectos in hospicio comunie Villenove, quando ibi veniunt, juxta qualitatem et conditionem ipsorum:

Et dare avenam animalibus ipsorum seu equitaturis, et illis etiam qui cum canonicis veniunt, seu parentibus aut amicis ipsorum: videlicet cuilibet animali duas duodenas de bona et sufficienti avena;

Cum hoc tamen moderamine, quod, si canonicus vel canonici, et alii supradicti proxime veniant ad dictum hospicium comunie Villenove una nocte, dentur eis pro quolibet animali due duodene dicte avene:

Si vero in crastinum remanserint continue usque ad aliam noctem, vel ultra, ipsa animalia, prepositus avenam eis dare minime teneatur, nisi pro proxima nocte:

Si vero, transacta prima nocte, recesserint in crastinum, et, transacto illo crastino, redierint, teneatur modo consimili providere, ut in prima nocte.

Et ita successive perpetuis temporibus observetur.

Verum si canonicus vel canonici, et alii predicti ad dictum hospicium de mane venerint, prepositus teneatur eis dare pro quolibet animali, si voluerint ipsi canonici, unam duodenam dicte avene, et aliam duodenam in nocte, vel duas in nocte tantum, si hoc plus duxerint eligendum.

Tenetur etiam dictus prepositus aliam hospitalitatem tenere decenter in dicto hospicio comunie, et eodem modo, sicut de et in hospicio dicte comunie dictum est, in qualibet grangia prepositure: canonicis, et illis qui cum ipsis canonicis ad dictas grangias cum decenti comitiva, tempore necessitatis, venerint, debet per omnia prepositus providere.

Tenetur etiam providere dictis animalibus de stabulis et

paleis, vel alia pastura sufficienti continue, quia sic est usitatum.

Tenetur etiam famulis seu garcionibus omnium predictorum dare ad comedendum, et bibendum et jacendum, prout est consuetum.

Et, si dicta animalia non possint recipi comode infra dictum hospicium comunie, quod nicholominus extra ipsam domum teneatur dictus prepositus ipsis animalibus in avena et pastura modo consimili providere.

De nemore de Aresquerio

20. — Item tenetur prepositus nemus de Aresquerio, de quo alignatur tota Magalone insula, cum Ecclesie multum carum existat, ne dissipetur vel devastetur cum exacta diligentia custodire.

De lectis

21. — Item tenetur prepositus providere in dormitorio cuilibet canonico de uno lecto fusteo, vernissato et cordato, et de una *stueyra*, et de uno *cot*, vel equipollenti pro ipso *cot*, videlicet de uno duplici *borrene*, et de tribus matalassibus, et de duobus pulvinaribus cum pluma, et de duabus vanois bonis et integris, et de duobus lodicibus ad minus: et panni hujusmodi debent esse sufficientes et boni.

In aliis autem lectis ipsius dormitorii, in quibus non jacent canonici, tenetur idem prepositus tenere in quolibet unum matalassium et lodicem unum.

22. — Item tenetur prepositus providere in una lampade, et oleo ad comburendum necessario, que in dicto dormitorio ardeat qualibet nocte, dictumque oleum debet ponere seu poni facere in lampade supradicta.

23. — Item tenetur prepositus providere in choro de uno matalassio, et uno pulvinari et uno lodice bonis et sufficien-

tibus, ubi pueri canonici in matutinis dormire possint: quia sic est usitatum fieri ad requisitionem magistri scolarum.

24. — Item debet habere prepositus caxas necessarias in dormitorio, ubi rauba ipsius dormitorii reponatur.

25. — Item tenetur prepositus claudere seu claudi facere, singulis annis in yeme, omnes fenestras cum cemente seu morterio ex parte aquilonis.

26. — Item tenetur prepositus habere et tenere in dormitorio perticas et cordas, et facere ac reficere portas seu januas ac barandas scalerii necessarias in dormitorio supradicto.

27. — Item tenetur prepositus habere fustam, et ad facienda omnia opera fustea necessaria in Capitulo Magalonensi.

28. — Item tenetur prepositus in omnibus locis et cameris insule Magalone, de pannis pro lectis habundanter providere.

In infirmaria autem tenetur providere de culcitris et pulvinaribus, et etiam de cohoperturis tele viridis vel livide, et de uno bono lodice et de una bona vanoa in quolibet lecto canonicorum, et generaliter de omnibus pannis, exceptis linteaminibus.

Sed, si alie persone, canonicis exceptis, ibi jacent, debet etiam dictus prepositus de omnibus pannis, et etiam de linteaminibus providere.

29. — Item in domo helemosinarie, si aliqui scolares vel religiosi, qui non habeant nostram societatem, cubuerint, presertim in camera quatuor lectorum vocata, prepositus tenetur eis de linteaminibus providere.

30. — Item bajulus infirmarie debet recipere cum inventorio pannos, quos cellararius pro preposito sibi tradet, et eos ipsi cellarario restituere, quando petet.

31. — Item prepositus debet providere de lectis fusteis cordatis et de palhassis in infirmaria; vel, si de lectis providere noluerit, provideat de paleis, ad faciendum colgas ibidem: et ipsas paleas cellararius pro preposito colligi faciat, et infirmarius faciat aportari.

De latrinis, cellario et puteo

32. — Item tenetur prepositus reficere, reparare, et si opus sit, de novo facere seu fieri facere latrinas canonicorum, et illud spatium quod est inter dormitorium et latrinas.

Tenetur etiam habere et tenere lampades cum oleo de nocte ardentes.

33. — Item tenetur habere et tenere in cellario unum bonum hominem, qui teneat claves ipsius cellarii, ubi tenetur habere et tenere idem prepositus panem et vinum habundanter;

Qui quidem homo pro dicto preposito tenetur providere de ipsis pane et vino canonicis, sive comedant in refectorio vel alias infra insulam ubicumque, per se vel cum parentibus et amicis suis; omnibus oneribus providere tenetur, et etiam sufficienter omnibus comedentibus, sive in palatio sive in curia de Sancto Blasio apellata.

Debet etiam idem homo, pro dicto preposito, omnia legumina, cujuscumque generis fuerint, custodire et coco seu cocastro ea ministrare.

34. — Item tenetur prepositus tenere munde et pulchre puteum et cisternam, et etiam continue cohopertam tenere.

De leguminibus

35. — Item tenetur prepositus de leguminibus ut sequitur, providere: primo diebus lune, de fabis integris cum scossa octo lieuralia; et de cisseribus albis duo lieuralia, pro cambis seu altercationibus faciendis.

36. — Item in diebus mercuriis dè lenticlis octo lieuralia, et de cisseribus albis duo lieuralia, pro cambis hujusmodi faciendis.

37. — Item in diebus veneris, de cisseribus albis septem lieuralia.

38. — Item, in diebus sabatinis, de fabefracto, octo lieuralia, et de cisseribus albis, duo lieuralia pro cambis faciendis.

Si vero hujusmodi legumina, propter multitudinem venientium cum funeribus vel aliter, predictis diebus non sufficerent, idem prepositus, in tantum quod omnibus sufficiat, et etiam quod in coquina remaneat et supersit, providere tenetur.

Si vero, predictis diebus, superveniat festum antiquum duarum vel quatuor caparum, prepositus providere de dictis leguminibus non tenetur.

In Quadragesima vero debet prepositus diebus dominicis, martis et jovis, de frumento bono et albo pro parapside providere novem lieuralia: et habet in crastinum Cinerum inchoare.

39. — Item, feria quarta in capite jejunii, debet prepositus augmentare generalia leguminum.

Debet enim dare novem lieuralia de lenticlis, et de cisseribus duo lieuralia pro cambis faciendis.

Et idem debet singulis diebus mercurii in Quadragesima observare.

40. — Item, singulis diebus lune et veneris in Quadragesima, debet dare prepositus generale de cisseribus albis octo lieuralia: et, in diebus sabatinis, de fabefracto novem lieuralia, et de cisseribus albis duo lieuralia pro cambis faciendis.

41. — Item tenetur dare, a capite jejunii ad diem Jovis Sanctam, singulis diebus, exceptis diebus veneris, et dominicis ac sabbato Ramispalmarum, duo lieuralia de fabis baianis sive brodio; et, diebus dominicis ejusdem temporis in cena, duo lieuralia de fabis, et unum lieurale de cisseribus albis.

42. — Item tenetur dare prepositus, in sabbato Ramispalmarum et die Jovis Sancta, qualibet istarum dierum, novem lieuralia fabarum cum brodio seu sabrerio, pauperibus in mandato quod fit in claustro: qui quidem pauperes tunc in refectorio comedere debent.

43. — Item sciendum est quod sexdecim lieuralia leguminum predictorum valent et valere debent, tantum quantum valet unum sextarium leguminum eorumdem.

De mandato in Cena Domini

44. — Item, in Cena Domini, fit mandatum pauperibus in claustro, ut dictum est, per canonicos: et, facto mandato, introducuntur dicti pauperes infra refectorium ad cenam.

Et, mensa benedicta, episcopus vel ille qui tenet locum suum, manum cuilibet pauperi osculatur, et dat singulis unum denarium: quos denarios prepositus tenetur solvere: et sic in antiquis continetur statutis.

Tenetur etiam dictus prepositus cuilibet ipsorum pauperum dare unam libram panis conventus, et etiam de vino conventus, quantum in ipsa cena bibere possunt.

45. — Item, in mandato quod fit in sabbato Ramispalmarum, tenetur propositus providere eodem et consimili modo, prout supra dictum est in mandato Cene Domini, quia fit eodem modo, hoc excepto quod non dantur pauperibus denarii, sed pro quolibet canonico presente debent introduci et comedere duo pauperes.

In die autem sabbati Ramispalmarum et in Cena Domini, debent introduci et comedere, pro unoquoque canonico presente, unus pauper in unoquoque ipsarum dierum; et pro episcopo, sex pauperes; et pro preposito, quatuor, si presentes fuerint.

Et in istis duobus mandatis pauperum, tenetur prepositus providere de manutergiis et urceolis, quantum necessarium erit.

46. — Item, in mandatis canonicorum, debet prepositus habere manutergia, pelves seu *bassis*, et misserabam de metallo; et ista ustensilia debet armaserius custodire.

47. — Item, in mandato pauperum cotidiano, tenetur providere prepositus pauperibus de pane, et vino et fructibus conventus.

Et quando prepositus facit convivium, tenetur prepositus hujusmodi pauperibus, in omnibus cuilibet, sicut uni canonico providere.

De fructibus

48. — Item debet prepositus in Adventu Domini et in Quadragesima, de fructibus canonicis, et pauperibus de mandato sicut canonicis, providere, videlicet de nucibus, de fiquibus, et avellanis habundanter, exceptis diebus dominicis et veneris ipsius Quadragesime, in quibus non tenetur in prandio dare fructus.

In cena autem tenetur dare cuilibet canonico viginti ficus.

49. — Item tenetur prepositus providere de hujusmodi fructibus parentibus et amicis canonicorum, et aliis bonis gentibus, necnon messaderiis.

In diebus autem dominicis de Adventu, in cena, tenetur de dictus fructibus, sicut in diebus illis Adventus Domini providere.

De parapsidibus et mapis

50. — Item debet prepositus providere de bonis et magnis parapsidibus seu scutellis, cissoriis, salsaironis seu quantinis, et cloquеariis per omnes domos insule, et per totam insulam, excepta domo helemosine, quia in illa tenetur helemosinarius clericis pauperibus tantum modo providere, et prepositus aliis quibuscumque; et excepta infirmaria, in qua tenetur infirmarius de cloqueariis providere magnis et parvis.

Et parapsides seu scutelle hujusmodi debent pro conventu in Quadragesima augmentari.

51. — Item enetur prepositus de vitro, vasis terreis, ut de urceolis, pitalphis et ollis per totam insulam et per omnes domos insule providere, exceptis infirmaria et helemosinaria.

Et etiam in illis tenetur prepositus de omnibus providere, quando clerici vel layci comedunt in eisdem.

52. — Item singule amphore vitree debent ad minus medii cartayronis esse capaces.

53. — Item tenetur prepositus de mapis et manutergiis per omnes domos et totam providere, exceptis infirmaria et helemosinaria, et etiam in illis, quando clerici vel layci ultra pauperes comedunt in eisdem, quia tunc tenetur illis in omnibus providere.

54. — Item tenetur prepositus mapas, manutergia, scutellas, cissoria et catinos seu salsaironos ter in quolibet anno renovare, seu de novo facere, et plus si fuerit necesse, in refectorio, scilicet in festo Nativitatis Domini, et in festo Pasche, et in festo sanctorum apostolorum Petri et Pauli.

55. — Item in cena Carnisprivii tenetur prepositus dare et providere de carnibus edulinis, scilicet medium quadrantem eduli, et etiam *las mezinas*, et capita edulorum mixta cum ovis.

Et in eadem cena tenetur prepositus dare fructus.

De coquina et refectorio

56. — Item tenetur prepositus facere et reficere, ac reparare et de novo facere, totiens quotiens fuerit oportunum, ubicumque infra coquinam et turrim, ollas metallinas, cauderias, fornellos et januas

57. — Item tenetur prepositus tenere unum bonum coquum pro parandis cibariis in coquina: quem coquum, ut sit bonus, habet perquirere et procurare coquinarius.

Et eidem coquo tenetur prepositus de salario providere.

Quem coquum cellararius non potest officio suo privare sine prioris claustralis assensu vel ejus locum tenentis.

Qui quidem coquus debet jurare in Capitulo cotidiano, quod nec carnes, nec pisces, nec alia cibaria corrupta recipiet nec parabit, et quod faciet portiones seu frustra piscium sufficientia, prout est fieri consuetum.

58. — Item tenetur prepositus suis expensis tenere et habere ad coquinam quatuor famulos, quorum unus sit subcoquus seu cugastro, et alius scutellarius et duo alii sint solhardi.

59. — Item tenetur prepositus facere solarium superius et inferius refectorii et portas ibidem, quotiens opus fuerit, et etiam providere in infrascriptis: habere et tenere tabulas seu mensas omnes magnas et parvas, et etiam palacii inferioris et superioris, et ubicumque per totam insulam, excepta infirmaria, et helemosinaria ac lavandaria.

Tenetur etiam prepositus fieri facere suis sumptibus scanna seu bancos et scabella ad mensas et subtus mensas necessaria, et etiam fuelham que est supra reffectorium.

60 — Item tenetur prepositus facere suis expensis omnia armaria, et omnes caxas:

Et lectorium seu pulpitum ubi legitur, quando episcopus comedit in refectorio: et etiam aliud lectorium seu pulpitum ubi legitur continue:

Et etiam januas seu portas reffectorii:

Et fenestras tam ferratas quam non ferratas, et ferraturas ipsarum, et vitrias sibi necessarias:

Et idrias seu vistas stagneas, et vitrum ac urceolos magnos et parvos, et lagenas seu brocos et *cels*: et hoc in reffectorio et in aula:

Et etiam *lo torn* cum corda, et croquo et cathena ibidem posita ad opus reffectorii:

Et pelvim seu bassinum qui stat in medio reffectorii, et candelabrum ferreum, in quo stat ipsa pelvis:

Et canalem plumbeam per quam decurrit quod projicitur in ipsa pelvi:

Et quatuor magnas vistas stagneas et costudas reffectorii mense episcopalis:

Et mapas, que continue sunt ibidem, et etiam alias mapas, quando episcopus ibi comedit;

Et omnia candelabra ferrea, que sunt in reffectorio necessaria.

Item canales sive ayguerias, sive sint plumbee, sive lapidee, per quas aqua discurrit.

Item rastellos, in quibus tenentur ydrie seu viste et cupe.

Item cassas seu bassinas cupreas ad auriendum aquam et vinum de ferratis sive sellis ad implendum ydrias sive vistas.

Item cortinam que moratur retro mensam episcopalem.

Item magnum bassinum hereum, cum quo fructus in Quadragesima apportantur:

Item dorcas in quibus fit nectar seu pimentum:

Item gradarium fusteum reffectorii et barandam fusteam:

Item tabulas ad portandum scutellas et cissoria:

Item cofinos seu cabassos ad portandum panem de cellario ad reffectorium:

Item medium, quod est inter refectorium et parvum dispensatorium seu despensatam, que est in capite reffectorii, tenetur facere et reficere ipse prepositus:

Item omnia alia tabularia, ubi ponuntur epule canonicorum, et alia tabularia, ubi ponuntur ydrie seu viste vinarie et pitalphi;

Item salerias argenteas cum cohoperturis argenteis;

Item debet tenere in refectorio unum morterium metallinum, cum suo trissono etiam de metallo, ad terendum sal et species;

Item *moscals* ad defendendum muscas in estate, qui debent esse de palma:

Item stueyram, que stat in medio refectorii;

Item barras seu barretas, affixas in parietibus reffectorii, in quibus pendent manutergia retro mensas;

Item manutergia de filato seu rete:

Item sedem illius qui legit in reffectorio, cum pulvinari in quo sedet.

61. — Item debet tenere in reffectorio unum bonum hominem, clericum vel conversum, qui tenetur munde tenere reffectorium, et ponere mensas, et lavare cupas, et parare panem, et vinum et aquam, et omnia alia facere que sunt canonicis necessaria, et mundare claustrum, et capitulum et dormitorium.

Et debet stare vel esse in refectorio continue cum soquania.

De claustro et libris

62. — Item tenetur prepositus tenere suis expensis lampadem et oleum ad comburendum de nocte in claustro in matutinis, et aliam in capitulo, que debet per totam noctem ardere et facere bonum lumen.

63. — Item tenetur facere cathedras, in quibus sedent canonici quando raduntur.

64. — Item tenetur facere scanna seu bancos de lapidibus in claustro, et ipsos de postibus cohoperire et cohopertos tenere.

65. — Item tenetur habere et tenere stepas et tabularia omnia cum scabellis ipsorum, et cathenam librorum, et cathenam breviarii canonici janitoris, cum armario in quo stat.

66. — Item tenetur prepositus facere cimbalum claustri, cum cathena in qua pendet, et martellum cum quo pulsatur, et campanas seu esquillas reffectorii et dormitorii, et cathenas in quibus pendent, et alia eis necessaria.

67. — Item tenetur facere lavatoria cum cohopertura seu cobessellis, et aliis eis pertinentibus.

68. — Item manutergia claustri, cum barris et clavis in quibus ipsa manutergia pendent.

69. — Item cutem ad acuendum cultros, et cathenam in qua pendet ipsa cutis.

70. — Item portas claustri et fortalicii.

De fortalicio

71. — Item debet prepositus tenere in fortalicio unum hominem, qui dicitur *bada*, bonum et sufficientem, qui moretur in ipso fortalicio die ac nocte, et insulam cum diligentia custodiat vigilando.

Et debet ille *bada* vocare familiam, quando est necessaria canonicis, et illis qui tenent claves, ad preceptum canonicorum.

72. — Item tenetur prepositus habere et tenere unum hominem, qui dicitur *guacha*, bonum et sufficientem, qui debet tubicinare horas noctis: et ille homo debet habere namphile ad tubicinandum dictas horas.

Et dictus *gacha* tenetur facere salsas.

73. — Item tenetur prepositus habere et tenere plures alios vigiles, si plures sint necessarii pro vigilando.

74. — Item tenetur prepositus hedificare et rehedificare illam domum, in qua cubant dicti *gacha* et *bada*; que domus est supra turrim.

Debet etiam providere de pannis in quibus jaceant.

75. — Item debet providere de scala ad ascendendum supra dictam turrim, et corda cum uno panerio, vel cofino seu cabasso, cum quibus ascendunt victualia necessaria eisdem bade et gache.

Debet etiam eisdem hominibus providere de aliis *esplets* sibi necessariis.

76. — Item tenetur prepositus providere, ad custodiendum ecclesiam et insulam, de machinis, seu *giens* et *trabuquetz*, et lapidibus, et scutis, et lanceis, balistis, et omnibus armorum generibus, et aliis munimentis necessariis tem-

poribus oppotunis, cum habeat custodiam totius insule et fortalicii per totum annum.

Et in octabis festi apostolorum Petri et Pauli debet habere et tenere in insula familiam prepositure cum armis, ad faciendum excubias per totam dictam insulam, et die et nocte.

De navibus et portis

77. — Item tenetur prepositus tenere et habere navetas, seu naviclas et *caupols*, ad deferendum omnia qu sunt necessaria in tota insula, ad administrationem prepositure pertinentia.

78. — Item debet habere et tenere dictas navetas pro canonicis et aliis bonis hominibus, quando volunt exire insulam vel redire ad eam, propter pontis evitandum periculum;

Et idem pro hominibus venientibus cum funeribus, et hominibus messaderiis eundo et redeundo:

Et idem etiam pro capellanis, venire volentibus ad insulam pro celebrando, videlicet quando viget tempus distemporatum, ita quod sine periculo de Villanova ad Magalonam per pontem venire non possent.

79. — Item tenetur prepositus facere et refficere vitrias in Capitulo opportunas.

80. — Item tenetur prepositus providere de folhatura fustea, scannis, scabellis, amparis et aliis rebus, fusteis tamen, non in lapideis, in Capitulo opportunis.

81. — Item tenetur prepositus ibidem facere et reficere portas ferreas omnes, et claves, et cathenas, et vectes, excepta porta ferrea ecclesie, et exceptis aliis portis ecclesie, et infirmarie, helemosinarie et vestiarie.

De molendinis et furno

82. — Item tenetur prepositus hedeficare et rehedificare omnia molendina cum omnibus pertinentiis ad eadem.

83. — Item debet habere prepositus et tenere in furno, et ad regimen furni, unum bonum hominem, fratrem donatum vel clericum, seu alium ydoneum.

84. — Item tenetur prepositus facere omnia que sunt in furno necessaria, quecumque sint et qualiacumque, videlicet caxas, pastorias, matas, cassas, pilas, *pairols*, *semals*, canalia per que decurrit et venit ad furnum aqua et ad ipsos *pairols*;

Et *lo torn* seu rotas, in quibus ponitur pasta seu panis;

Et unam pelliciam ad cohoperiendum pastam, si necesse sit;

Et etiam *escobals*, palas, furcas, *plumals* pro scobandis tabulis, tabulasque, et bancos et portas ferreas, que ponuntur ante furnum; que ferree esse debent.

85. — Item pondus quo ponderatur pasta pro panibus faciendis vel compensandis; quod pondus debet esse duarum librarum et medie per totum annum, licet panes communiter appellentur libre.

Et in Quadragesima debet augmentari dictum pondus, usque ad quantitatem medii quartaironis libre ponderis.

86. — Item, cum, a pauco tempore citra, fuerint facti parvi panes pro expendendo in insula, statuimus et ordinamus, quod, ab inde in antea, dentur magni panes omnibus comedentibus; qui debent esse, ut dictum est, ponderis duarum librarum et medie in pasta, per totum annum, excepta Quadragesima;

Et, ipsa Quadragesima, debent esse ponderis duarum librarum et medie ac medii cartaironis in pasta.

Et quod, ab inde in antea, parvus panis non detur aliquibus comedentibus ubicumque infra totam insulam, nisi familie prepositi et illis qui comedunt in aula et in camera Nova, et in camera Animarum, que camere sunt contigue dicte aule.

Qui quidem parvi panes sint et esse debeant quantitatis sequentis, quod tres sint ponderis unius magni panis superius designati.

Debent esse etiam de eodem vel simili blado, et de eadem et simili pasta, sicut alii magni predicti.

87. — Item statuimus et ordinamus quod salerius, quicumque fuerit, qui habet ministrare panem, juret et jurare teneatur, ad sancta quatuor Dei evangelia, per ipsum corporaliter tacta in manibus cellararii, qui est et pro tempore fuerit, presente et vidente priore claustrali, quod ex tunc non ministrabit nec dabit dictum panem parvum, nisi dicte familie prepositi et comedentibus in aula et cameris dictis Nova et Animarum predictis.

88. — Item tenetur prepositus facere decoqui in furno supradicto totum panem qui comeditur infra insulam, nisi de coquendo extra necessitas immineret.

Qui quidem furnus quater coquere [debet] in qualibet septimana, videlicet die lune, mercurii, veneris et sabbati, et plus si fuerit necessarium.

89. — Item tenetur prepositus providere de lignis ad comburendum infra totam insulam habundanter.

90. — Item tenetur prepositus pati quod canonici possint facere libere, etiam sine licentia cellararii, ortocaseatas seu panatas et placentulas, dummodo extra insulam ortocaseate seu panate aut placentule hujusmodi non portentur seu comedantur.

Si vero hujusmodi ortocaseate seu panate vel placentule fierent pro comedendo extra insulam, illud semper faciant cum licentia cellararii supradicti.

Et si illas velint extra dictam insulam mittere, id cum licentia prioris claustralis facere, et non aliter, teneantur.

91. — Item tenetur prepositus decoquere seu decoqui facere panem helemosinarii, qui pauperibus erogatur; et etiam totum alium panem ipsius helemosinarii, horis et temporibus consuetis.

92. — Item tenetur prepositus molere seu moli facere bladum helémosinarii pro helemosina facienda, in molendino do *Rocayrols*, quod molendinum est in riparia Amanssonis, sine datione multure, de nocte, videlicet cum lumine: quod lumen ipse helemosinarius suis expensis tenetur habere.

93. — Item tenetur prepositus habere et tenere, in domo panatarie, loca apta ad tenendum panem;

Item archas magnas ad tenendum farinam:

Item archam ad tenendum furfur seu *bren*;

Item barutellos bonos et *pruns* et *espals*;

Item unam mensuram ad mensurandum furfur ipsius prepositi, quando solvitur coquinario et infirmario semel et separatim.

94. — Item tenetur prepositus habere et tenere, in archa magna farneria, unum magnum instrumentum quod vocatur *ruelle*; cum quo instrumento ponuntur sarcinate farine infra dictam magnam archam farneriam; quàm magnam farneriam idem prepositus tenere debet munitam de farina.

95. — Item tenetur habere et tenere dictus prepositus in dicto furno homines fornerios et barutellarios bonos et sufficientes, et alios homines necessarios regimini dicti furni; quibus tenetur ipse prepositus in pane et vino, et aliis hominibus, ad servicium dicti furni spectantibus providere.

96. — Item tenetur prepositus hedificare et rehedificare, et reparare omnia edificia furni, et omnes domos contiguas et necessarias dicto furno et familie dicti furni: et etiam omnes et singulas alias domos et hedificia ad administrationem prepositure pertinentia, et etiam puteum furni, et omnia eidem puteo necessaria;

Qui puteus est juxta seu prope furnum predictum.

De leprosis

97. — Item tenetur prepositus providere leprosis pauperibus, ad insulam venientibus, quod intelligitur de non cano-

nicis, in pane et vino, et debet dare inter duos unam libram, seu unum panem magnum conventus, et unum lieurale vini.

Et si leprosus solus fuerit, debet habere mediam libram seu medium panem de predictis.

Et ita debet augmentari seu fieri juxta numerum leprosorum.

Et leprosi hujus modi, de octo diebus sequentibus, ex quo dictam helemosinam habuerint, ad insulam redire non debent.

De hospitalitate

98. — Item tenetur prepositus habere et tenere unum bonum hominem, fratrem, vel donatum, aut clericum, seu alium bonum virum pro salerio, qui serviat hospitibus.

Qui homo debet eligi ut sit discretus, dulcis, benignus et humilis; sciens discernere personas et tempora, et quomodo personis debeat ministrare.

Et debet se exhibere verbo et opere, bone affectionis et voluntatis, cum vultus ylaritate et affabilitate honesta, ut hospites hujusmodi, in dicta insula, et spiritualiter et corporaliter recreentur, et a servis Dei se sentiant bene fuisse susceptos, et bonum testimonium et laudabilem famam inde valeant perhibere.

Oportet quippe nos, juxta dictum Apostoli, bonum habere testimonium ab hiis qui foris sunt.

Peregrinos enim et extraneos majori humanitate et ylaritate oportet quam parentes et notos recipere, quia in talibus peregrinis et extraneis maxime suscipitur Jhesus Christus; unde dictum est: hospes fui et recollegistis me.

Debet etiam salerius hujusmodi esse homo bone fame et honeste conversationis.

Et debet tenere et regere claves dicte aule, et hospites recolligere undecumque venientes, ex officio suo, et omnes illos quos cellararius vel alius canonicus sibi recolligendos mandabunt aut dicent.

Et idem salerius tenere et habere debet continue in aula

panem et vinum conventus habundanter, et de nocte presertim.

Et debet habere et tenere panem et vinum recentia habundanter, ut canonici et messaderii, et parentes et amici canonicorum, et alie bone gentes, de nocte venientes, possint ibidem sibi necessaria invenire.

Debet etiam hujusmodi salerius habere et tenere ibidem sal pulcrum et album, et candelabra bona et sufficientia, et etiam panem et vinum ad opus familie.

Et idem salerius tenetur jacere continue in dicta aula, cum homine dispensatore coquine, ut bone gentes et quicumque supervenientes possint eos facile invenire.

Debet etiam salerius ipse tenere mapas, manutergia, ollas, urceolos, vitrum seu vasa vitrea, lagenas seu brocos, et de istis omnibus habundanter.

Preterea tenetur salerius omnia pannipurgia seu bugadas maparum, manutergiorum, vanoarum, linteaminum facere seu fieri facere, exceptis pannis helemosinarii.

Tenetur etiam facere et refficere, expensis prepositi, lavatorium, quod est coram aula.

Et, hora prandii, debet ipse salerius exire usque ad januam ligneam; et, si inveniat aliquem seu aliquas personas in quacumque parte illius platee que est coram aula, invitet eas, et faciat ipsas, si voluerint, venire ad prandium vel ad cenam.

Et omnia predicta fieri debent per dictum salerium, predicti prepositi sumptibus et expensis.

99. — Item debet tenere prepositus unum clericum cambrerium, bonum hominem et discretum, qui debet expensis dicti prepositi tenere habundanter de rauba pro lectis muniendis, et debet ipsos lectos tenere bene.

Debet etiam cameras tenere bene mundatas et paratas, taliter quod bone gentes bene recolligantur et bene tractentur.

Et debet idem camerarius seu cambrerius panem et vinum pauperibus clericis ad sufficientiam ministrare, et cum eis

morari cum comedunt et cum cenant, ipse vel aliquis alius quem cellararius duxerit deputandum.

Debet etiam idem salerius dare de pane et vino dictis clericis in tantum quod eis supersit, cum surgent a mensa.

100. — Item tenetur prepositus providere pauperibus clerici. cotidie et continuo venientibus, quanticumque sint.

Sed illi clerici, qui venerint et recesserint, non debent iterato redire, donec transierint septem dies; ita quod si venerint die sabbati in cena et recedant die dominica post comestionem, sequenti die sabbati redire possint in cena.

Et debet eis dare die quo venerint ad cenandum, et in crastinum ad comedendum, scilicet panem et vinum habundanter, ut possit superesse eisdem.

Est autem sciendum, quod illis pauperibus clericis, qui veniunt in vigilia Nativitatis Domini, et in vigilia Pasche et Pentecostes, tenetur idem prepositus providere in pane et vino, ut supradictum est.

Et in die Nativitatis Domini ac duobus diebus sequentibus, tam in prandio quam in cena, tenetur in omnibus providere tam in pane, et vino et carnibus salsis et recentibus, et dare, inter duos, medios collos vel medias ronhonadas, vel integros *coissotz* in prandio, prout in reffectorio uni canonico datur.

Diebus vero quibus comeduntur pisces vel ova, debet dare inter duos, prout datur duobus hospitibus in aula, scilicet sex ova, vel de piscibus tria frustra.

101. — Item, in die Pasche Domini, tenetur eisdem, prout expressum est de die Nativitatis Domini, eisdem clericis in omnibus providere, et duobus diebus sequentibus scilicet lune et martis in pane et vino tantum, et in die martis post prandium recedere debent.

Et idem debet in festo Pentecostes observari.

Debent etiam iidem clerici die tertia festivitatum Nativitatis Domini recedere, prandio sumpto.

102. — Item clericis pauperibus, venientibus in festo bea-

torum apostolorum Petri et Pauli, et ibidem comorantibus per octabas, sive veniant sive morentur pro legendo vel non, prepositus in prima die et ultima, et non in aliis, sicut aliis clericis pauperibus per totum annum venientibus, providere tenetur.

Si vero veniant in dicto festo, vel aliqua die infra octabas ipsius festi, et recedere velint, dictus prepositus eis illa die, ut aliis clericis pauperibus per anni circulum, providere tenetur.

103, — Item tenetur prepositus, cum celebrantur Capitula generalia et quamdiu durant, animalibus canonicorum et familiariorum suorum in avena, feno vel herba recenti, aut aliter, secundum qualitatem et variationem temporum providere, exceptis tamen episcopo, sacrista, helemosinario, coquinario, infirmario et operario, quorum animalibus non tenetur, preterquam animalibus sacriste de paleis, in aliquo providere.

Hoc tamen salvo quod de herba recenti vel feno non tenetur providere predictorum animalibus, nisi a vigilia Ascensionis Domini inclusive usque ad octabas Pentecostes etiam inclusive: quo tempore teneatur dictis animalibus providere canonicorum et familiariorum suorum, sive fuerit sive non fuerit Capitulum generale.

104. — Item cellararius pro preposito debet secari facere et herbis mundari itinera, per que vadunt canonici spaciatum, versus pontem, et circa insulam et in cimiteriis, sic quod raube canonicorum ipsorum nequeant deturpari ibidem.

De porterio et pontanerio

105. — Item debet prepositus habere et tenere unum bonum hominem et fidelem pro porterio seu janitore, ad custodiendum portas ligneas primas, ad recipiendum raubam hospitum advenientium, et specialiter armaturas, quousque recedant, et ab ipsis advenientibus petere armaturas, et eas

fideliter custodire et reddere illis libere a quibus habuerit, dum recedent.

106. — Item porterius laycus tenetur notificare canonico porterio, quando aliquis ex canonicis petitur per aliquem; et quod illi seu illis, canonicum seu canonicos petentibus, aperiat januam sine difficultate quacumque, et etiam tales invitet incontinenti et dicat amice: Veniatis intus.

Et si talis vel tales de nocte venerint, ita quod canonici iverint cubitum, dictus porterius notificare debet hoc cellarario vel salerio, qui eos debet pro preposito recolligere et necessaria ministrare, prout est fieri consuetum.

107. — Item quando pontanerius facit vel refficit pontem, vel domum que est in capite pontis, ant auvannum quod debet esse in dicta domo, prepositus tenetur hominibus, talia facientibus seu refficientibus, nisi essent mercenarii ipsius pontanerii continui, providere in pane et vino duntaxat.

De excommunicatis et injuriam canonicis irrogantibus

108. — Item statuimus quod prepositus seu ejus cellararius deinceps nullum hominem faiditum excommunicatum teneant ad aliquod officium infra insulam exercendum, donec meruerit absolutionis beneficium obtinere.

109. — Item statuimus quod prepositus, cellararius, aut quivis alius canonicus non teneat nec sustineat aliquem famulum alterius canonici, seu quemcumque alium, qui injuriam irrogaverit alteri canonico, verbo vel facto, nisi prius facta eidem condigna emenda.

De qua injuria et emenda prior claustralis, cum duobus aliis canonicis, probis viris de claustro, cognoscere teneatur: quia ita fuit in Ecclesia Magalonensi longis temporibus observatum.

110. — Item statuimus quod nullus canonicus prior teneat nec sustineat in hospicio seu in servicio suo aliquem clericum vel laycum, qui, verbo vel facto injuriatus fuerit alicui canonico, donec sibi satisfecerit competenter, nisi pro persona prioris vel juribus sue ecclesie defendendis dictas injurias irrogaverit.

De qua injuria et satisfactione, prepositus, sine aliquo strepitu et figura judicii, et sine scriptis, cognoscere teneatur.

De ortolano coquinarii

111. — Item tenetur prepositus providere ortolano coquinarii, singulis diebus, de uno pane seu libra alba, et ejus garcifero de pane familie, et ambobus de vino hospicii, seu quod hospitibus datur.

Tenetur etiam prepositus providere in pane et vino duobus garciferis coquinarii, ultra dictum ortolanum, a festo Pasche usque ad festum sancti Michaelis.

Et tenetur ipse prepositus dare tria lieuralia vini puri dicto ortolano et dictis duobus garciferis, a festo Pasche usque ad festum sancti Michaelis, et totidem de vino limphato eisdem personis a festo sancti Michaelis usque ad festum Pasche.

Tenetur etiam prepositus aliis hominibus et mulieribus necessariis ad dictum ortum coquinarii fodendo, plantando, serclando, aut aliter laborando, dare panem et vinum, sicut alteri familie Magalone.

De aceto

112. — Item tenetur prepositus de bono aceto in et per totam insulam qualitercumque expendatur, liberaliter providere.

De cellarario

113. — Item prepositus tenetur habere et tenere infra in

sulam, suum locum tenentem, videlicet cellararium, Magalonensem canonicum, qui, expensis ipsius prepositi, habeat et debeat regere et administrare omnia que debent fieri per prepositum, et regere ac corrigere familiam; quam familiam totam ejus correctioni supponimus, exceptis familia ecclesie, ribairerio et garcione coquine.

Familiares vero ecclesie, et qui de administratione ecclesie sunt vel fuerint, tenebuntur jurare sacriste, vel ejus locum tenenti, presente cellarario, quod bona et jura prepositure custodient, et diligenter ac fideliter conservabunt, quantum fuerit in eisdem.

114. — Item salerius tenebitur jurare cellarario, presente sacrista vel subsacrista, quod bona et jura Ecclesie fideliter conservabit, et candelas que superfuerint, restituet subsacriste.

115. — Item ribairarius coquinarii et garcifer coquine jurare debent cellarario, presente coquinario, quod bona et jura dicte Ecclesie pro posse fideliter conservabunt.

116. — Prefatus vero cellararius non potest nec poterit vices suas alicui comitere, nisi canonico Magalonensi

117. — Item dictus cellararius tenetur familiam totam inducere et opere et sermone, quod singulis canonicis reverentiam exhibeant et honorem, et quod nulli ex canonicis injurientur verbo vel facto,

Debet etiam idem cellararius hospites recolligere cum leta facie atque bona.

De safrano

118. — Item tenetur prepositus, singulis annis in capite jejunii, dare duas libras de bono croco seu safrano conventui, quas armaserius consuevit administrare et custodire cum voluntate tamen prioris claustralis; quod, ut consuetum est, volumus observari.

De fratribus conversis

119. — Item tenetur prepositus providere fratribus conversis de superiori veste quam portant, videlicet de soquaniis, quotiens et quotienscumque indigebunt.

Ipsi vero conversi debent antiquas soquanias, cum novas recipiunt, restituere cellarario.

Sed de suturis vel corduris ipsarum soquaniarum remanet in dubio, an ad eas prepositus aut vestiarius teneantur.

120, — Item tenetur habere prepositus unum bonum hominem famulum inter omnes fratres de soquania, qui eis serviat cum sunt sani.

Debet etiam eisdem fratribus habere et tenere plures famulos, si indigeant, quando sunt in infirmitate constituti.

De refectorario

121. — Item cellararius pro preposito debet procurare et eligere aliquem canonicum reffectorarium, qui quidem canonicus tenere debet claves reffectorii et dormitorii.

Debet etiam reffectorarius accendere lampades dormitorii, capituli, claustri et latrinarum.

Et talem canonicum, per cellararium electum, ipse cellararius debet presentare priori claustrali, ut, de voluntate et licentia ejusdem prioris claustralis, recipiat dictas claves.

122. — Talis enim electus canonicus tenetur, tempore paschali, ire ad grangiam prepositi, que est supra pontem Amanssonis, ter, pro habendo et portari faciendo de lacte seu de calhato ovium vel caprarum prepositi pro toto conventu sufficienter.

Et etiam debet ire quesitum pro conventu ficus recentes et racemos apud Villamnovam, tempore quo ipsi fructus sunt maturi, tam in vineis dicti prepositi quam in ortis coquina-

rii, videlicet racemos semel in qualibet septimana, et ficus in ortis predictis, bis etiam in qualibet septimana.

Que ut sic fiant, dicti prepositus et coquinarius pati tenentur.

De barrono

123. — Item tenetur prepositus, seu suus cellararius pro eodem, providere et poni facere, bis singulis annis, de barrono in capitulo et in toto claustro, scilicet in vigilia Omnium Sanctorum semel, et in vigilia Nativitatis Domini alio semel; et idem in camera episcopi, et in camera appellata Sancti Blasii, habundanter.

Et insuper tenetur poni facere joncum primum in vigilia Pasche Domini in capitulo, in claustro et camera episcopi.

De barbitonsore

124. — Item tenetur prepositus habere et tenere continue unum bonum hominem et sufficientem, barbitonsorem, qui sciat radere et flebotomare, qui sit frater de soquania, si potuerit reperiri.

125. — Item statuimus et ordinamus, ut frater conversus, qui sit barberius seu barbitonsor, facilius et liberius futuris temporibus habeatur, quod prepositus et vestiarius auctoritatem et potestatem in perpetuum habeant talem fratrem conversum, prius tamen probatum per duos menses Magalone super sua sufficientia, recipiendi, et, habita et obtenta licentia ab episcopo, induendi sine aliquo Capitulo generali et canonicis aliis non vocatis, sed in cotidiano Capitulo induatur.

Si vero prepositus cum vestiario de tali recipiendo convenire non possent, secum advocent priorem claustralem: et ipse prior claustralis cum altero ipsorum, alio convenire seu concordare nolente, possit recipere et induere, ut dictum est, dictum fratrem, salvo tamen in aliis statuto super re-

ceptione canonicorum et conversorum, edito in Ecclesia supradicta.

De mandato canonicorum

126. — Item quando canonici faciunt sibi ipsis mandatum, prepositns, seu cellararius pro ipso, tenetur habere garciferos, qui canonicis abluant pedes et eis linteamina tradere ad tergendum pedes.

127. — Item tenetur prepositus, seu cellararius pro ipso, habere et tradere canonicis, quando abluerint caput suum, linteamina.

Et gentes lavandarie tenentur lavare seu abluere caput, sed, si peterent per ipsos pedes ablui, non tenentur.

De armaserio et ligatore librorum

128. — Item ille canonicus qui tenet armarium, et qui armaserius appellatur, tenetur procurare et habere unum bonum hominem, ligatorem librorum, per quem faciat ligari omnes libros claustri, chori, armarii et capituli, et ressarciri, clavellari, reparari et reffici.

129. — Tenetur etiam procurare et habere unum hominem, bonum scriptorem ad faciendum libros de novo, maxime prosellos et libros mandatorum, et alios, quantum sibi suppetent facultates.

130. — Debet etiam canonicus hujusmodi lanternas puerorum, videlicet duas, munire de pellibus et munitas tenere.

131. — Debet etiam idem canonicus habere et tenere papirum et incaustum, et dare canonicis, quando petent et totiens quotiens indigebunt, pro litteris faciendis, ut fuerit rationis.

Talis vero canonicus recipit et recipere debet septuaginta solidos de peccunia, quam sibi tenetur solvere, singulis annis, prior ecclesie de Veyruna.

132. — Debet etiam recipere totam pecuniam, que offertur altari Beati Petri, preter missam, quando ipsum altare est sine paramentis, et quando ibidem desuper reliquie non existunt.

133. — Prepositus vero tenetur dictis hominibus, ligatori videlicet et scriptori, quandiu suum exercent officium infra insulam, providere de pane et vino conventus, et coquinarius de companatico, tantum quantum duobus hospitibus dare tenetur.

134. — Item tenetur prepositus, seu cellararius pro ipso, facere et refficere lanternam reffectorarii canonici, totiens quotiens opus erit.

135. — Item statuimus et ordinamus, quod si Magalone ecclesia libro aut libris indigeat pro choro vel claustro, et canonico armaserio, ut illis fieri faciat, non suppetunt facultates, quod vendantur de libris mortuorum canonicorum, exceptis theologicis, qui nequaquam vendantur; et de pretio librorum venditorum hujusmodi fiant libri predicti.

De juramento prepositi

136. — Item statuimus et in perpetuum ordinamus, quod quicumque fuerit pro futuris temporibus creatus Magalonensis prepositus, priusquam administrationem recipiat et priusquam ad ipsam administrationem per Capitulum admittatur, juret et jurare ad sancta Dei evangelia, per ipsum corporaliter tacta, teneatur in Capitulo cotidiano, quod bona et jura prepositure servabit fideliter, et pro posse tuebitur ac defendet; statutumque, super bonis canonicorum morientium olim editum, servabit et faciet observari,

De misericordiis prepositi

137. Item tenetur prepositus facere misericordiam, singu-

lis annis, in festo sancte Agnetis, pro anima quondam Guillelmi Gaucelmi.

Et illa die tenetur dare coquinario, ad opus conventus, sex mutones, duas coxas porci salsas et sex edulos.

138. — Item tenetur prepositus aliam misericordiam facere, in festo conversionis sancti Pauli, pro animabus quondam Guillelmi Besseda et Guillelmi de Cella.

Et debet dare illa die coquinario pro conventu sex mutones, duas coxas porci salsas et sex edulos.

139. — Item tenetur prepositus aliam misericordiam facere, in mense marcii, pro anima domine Ermescendis quondam, que donavit Magalonensi Ecclesie castrum de Podio bono.

Et debet dare illa die coquinario pro conventu sex mutones, duas coxas porci salsas et sex edulos.

140. — Item tenetur prepositus, eodem mense, aliam misericordiam facere, quolibet anno, pro anima Algaye, uxoris quondam Galhardi, que legavit furnum Villenove, et unam domum Capitulo Magalonensi.

Et illa die debet dare coquinario pro conventu sex mutones, duas coxas porci salsas et sex edulos.

141. — Item tenetur prepositus facere aliam misericordiam in mense aprilis, videlicet prima die veneris post Pascha, pro anima quondam Petri Arboini.

Et illa die in prandio tenetur dare conventui, et omnibus aliis, infra insulam existentibus et recipientibus portionem canonicorum, flausos; et illis qui veniunt pro ipsa misericordia, in prandio, magnos et pulcros flausos et pisces recentes, pro permutatione seu cambis faciendis.

In cena autem ejusdem diei tenetur dare inter quatuor personas unam bonam et sufficientem ortocaseatam, et sic est fieri consuetum.

142. — Item tenetur prepositus facere aliam misericordiam, prima die lune post sinodum Pasche, pro animabus illorum qui donaverunt lavatorium, et plurium aliorum qui multa bona Ecclesie reliquerunt.

Et illa die tenetur dare coquinario pro conventu sex mutones, tres coxas porci salsas et sex edulos.

143. — Item tenetur prepositus aliam misericordiam facere in mense junii pro anima quondam Petri de Triatorio.

Et illa die debet dare coquinario pro conventu sex mutones, quatuor coxas porci salsas et sex edulos, videlicet in crastinum festi sancti Johannis Baptiste.

144. — Item tenetur prepositus aliam misericordiam facere, in die sancti Laurentii mensis augusti, pro anima quondam magistri Geraldi de Pomayrolis.

Et illa die tenetur dare coquinario pro conventu sex mutones, et tres coxas porci salsas, et sex lonsas porci recentis.

145. — Item tenetur prepositus aliam misericordiam facera in die sancti Firmini mensis octobris.

Qua die tenetur dare coquinario pro conventu sex mutones, duas coxas porci salsas et sex lonsas porci recentis pro anima Guiraudi Mercerii quondam.

146. — Item tenetur prepositus aliam misericordiam facere, die lune post sinodum sancti Luce, pro animabus illorum qui donaverunt lavatorium, et multorum aliorum qui legaverunt multa bona Ecclesie Magalonensi.

Qua die tenetur dare coquinario pro conventu sex mutones, tres coxas porci salsas et sex lonsas porci recentis.

147. — Item tenetur prepositus aliam misericordiam facere, in festo sancti Marcelli, pro anima quondam domini Petri de Triatorio.

Pro qua dare debet coquinario pro conventu sex mutones, quatuor coxas porci salsas et sex lonsas porci recentis.

148. — Item aliam, in medio quod est inter festum Omnium Sanctorum et sancti Martini mensis novembris, pro anima quondam domini Petri de Alayraco, canonici Magalonensis.

Pro qua dare tenetur coquinario, pro conventu, sex mutones; et sex lonsas et quatuor coxas porci salsas.

149. — Item aliam, in die festi sancti Martini, pro anima quondam domini Johannis Blanchi.

Pro qua tenetur dare coquinario, pro conventu, sex mutones, et sex lonsas et duas coxas porci salsas.

Que coxe debent integre in reffectorio poni et canonicis dispensari.

150. — Item aliam in die festi sancti Bricii, pro anima quondam Hugonis Laurentii.

Pro qua tenetur dare coquinario triginta solidos.

151. — Item aliam in festo sancti Andree, pro anima quondam Marie Casublene.

Pro qua tenetur dare coquinario sex mutones, sex lonsas, et duas coxas porci salsas.

152. — Est autem sciendum quod, si predicti dies, in quibus dictus prepositus tenetur, ut dictum est, pro dictis misericordiis carnes dare coquinario predicto, vel aliqui ex ipsis tales fuerint quod in ipsis non debeant comedi carnes, predictus prepositus, pro singulis diebus quibus carnes non comeduntur seu comedi debebunt, tenetur dare coquinario quadraginta solidos, de quibus coquinarius tenetur, conventui et aliis qui veniunt pro misericordia, de tribus piscibus providere.

De conviviis prepositi

153. — Item tenetur prepositus, in die Natalis Domini, facere convivium generale.

Qua die tenetur de sequentibus providere, scilicet de pane tozelle, qui vocatur panis misericordie:

Item de bono vino et quasi claro;

Item in prandio: primo porratam cum carnibus salsis, et generale de bonis carnibus bovinis cum piperato;

Item de cirogrillis in civerio, dando, inter duos, quatuor pecias seu frusta cirogrilli;

Item de bonhetis et crespis cum zucare et caseo, videlicet de quinque bonhetis pro portione seu ratione, in qualibet scilicet scutella, et pluribus plures comedere volentibus, et habundanter, quia sic est fieri consuetum ibidem;

Item nebulas cum bono nectare; et de istis omnibus habundanter.

Et premissa dare tenetur prepositus canonicis, et etiam hospitibus illud idem, juxta conditionem et qualitatem personarum ipsorum.

In cena vero ejusdem diei, tenetur dare coxas porci salsas, caseum, poma bona et sufficientia, cuilibet unum, et unum pirum inter duos, cuilibet duo datilia, ficus, nuces, avellanas, nectar et nebulas habundanter.

154. — Item tenetur prepositus, in die sancti Stephani, in crastinum Natalis Domini, continuare convivium, et dare panem et vinum, ut supra proxime dictum est.

Et in prandio, primo *naps* et unam templatam porci, vel unum frustum de squinis, valens unam templatam, et unam fulcam salsam inter duos;

Item pitanciam de bove, scilicet inter quatuor unum bonum frustum:

Item cirogrillos in civerio bono:

Item bonhetas et crespas cum zucare, simili modo quo die Natalis Domini;

Item caseum, nebulas cum nectare habundanter, et hospitibus ac omnibus.

In cena ejusdem diei, simili modo quo in festo Nativitatis Domini est superius constitutum.

155. — Item, in die sancti Johannis Evangeliste, debet dare prepositus panem et vinum, sicut supra, et porratam cum carnibus salsis, et generale de mutone cum euruca.

Item pitanciam, et magna frusta de bove, unum frustum inter quatuor.

Item cuniculos cum bono civerio.

Item bonhetas et crespas cum zucare, ut supra.

Item caseum: item nebulas cum nectare: et de istis omnibus habundanter, et hospitibus, ut supra.

Item in cena, sicut precedentibus diebus.

156. — Item tenetur prepositus, in die Epiphanie, convivium facere et canonicis ac hospitibus, tam in prandio quam in cena, eodem vel simili modo quo dictum est in festivitate Natalis Domini, in omnibus et per omnia providere.

157. — Si vero aliqua dictarum trium dierum sancti Stephani, sancti Johannis et Epiphanie, non comedantur carnes, illa die tenetur prepositus dare porratam cum bonis piscibus salsis, et pisces recentes, coctos in aqua, cum bono piperato: et pisces assos vel frixos cum petrosillo: et bonhetas, factas de piscibus et de caseo bono; et crespas cum zucare: et caseum crudum: et nebulas cum nectare, juxta formam et modum dierum predictorum, quibus carnes comeduntur.

Et, in cena talis diei, debet dare pisces assos, cuilibet scilicet unum bonum frustum; et caseum, et de omnibus aliis, ut supra scriptum est.

Et, in qualibet dictarum trium dierum, debet dare ad minus mille nebulas et duo sextaria de nectare, excepta die sancti Stephani, in qua tenetur tantum dare octingentas nebulas, quas cellararius pro preposito reffectorario canonico tradere debet, per ipsum reffectorarium inter comedentes infra insulam dispensandos.

158. — Item tenetur prepositus aliud convivium generale facere in festo sancto Pasche.

Et illa die, debet dare similem panem et simile vinum, ut in festo Nativitatis Domini.

Et in prandio dare tenetur in parapside *mortayrols* et herbas cum generali de carnibus mutoninis recentibus et porcinis salsis, videlicet in simili quantitate quam coquinarius, in diebus lune, dare tenetur per circulum anni.

Et ita ipse prepositus servare debet in omnibus conviviis generalibus que tenetur facere, in quibus carnes salsas dare tenetur.

Debet etiam, dicta die Pasche, dare verutum seu *raust* de edulis, videlicet medium quadrantem inter duos comedentes, et etiam caseum.

Item, in cena ejusdem diei, debet dare capita et tripas seu mesinas edulorum ferratas, cum ovis mixtas, et coxas porci salsas et caseum.

Item hospitibus illud idem, juxta conditionem et qualitatem personarum ipsorum.

159. — Item tenetur prepositus facere aliud generale convivium in festo Pentecostes, et dare panem et vinum, similia ut in festo Nativitatis Domini.

Item primo cererea dulcia, et omnia alia, sicut in die Pasche.

Item in cena debet dare cebas teneras et raphana recentia.

Item capita seu *cabassols* et metsinas edulorum, cum mistura ovorum.

Item linguas bovinas salsas et caseum.

Et hospitibus illud idem, juxta conditionem et qualitatem personarum.

160. — Item, in festo sancti Augustini, tenetur dare prepositus panem et vinum, sicut in Natali Domini.

Et primo in prandio ficus bonas; item *sols* cum carnibus porcinis recentibus; item *grels* cum mutone et carnibus salsis: item caseum.

Item in cena, coxas porci salsas; item persica et nuces recentes.

Si vero hec festivitas die veneris vel sabbati advenerit, debet dare prepositus de tribus piscibus recentibus, vel cissera cum caseo cocto, loco piscium salsatorum, et de piscibus recentibus, coctis in aqua cum sua salsa, et pisces frixos cum petrosillo.

De aliis vero debet dare, ut superius est expressum.

Item in cena debet dare de piscibus frixis vel assis unum frustum bonum cuilibet.

Item caseum et fructus, ut superius sunt expressa.

161. — Item, in festo sancte Lucie, pro anima bone memorie domini Petri de Conchis, Magalonensis episcopi, tenetur facere prepositus misericordiam, et tenetur dare cissera in parapside, cum bonis piscibus salsis vel anguillis;

Item pisces, [coctos] in aqua, cum bono piperato;

Item pisces assos cum petronillo;

Item fructus, scilicet nuces, et avellanas et ficus.

Et de omnibus istis tenetur providere illis qui veniunt pro illa misericordia, et etiam comorantibus infra insulam, recipientibus portionem canonicorum.

162. — Item tenetur dare prepositus pro potu servitoribus portionem duplicem, vel plus, secundum quod sunt numero plures, quando facit convivia.

De canonicis morientibus

163. — Item, quotienscumque contingat aliquem ex canonicis Magalonensibus claustralibus decedere, tam priores canonici quam alii rectores ecclesiarum, religiosi seu seculares, tenentur, propriis sumptibus, facere pulsari cimbala et campanas, scilicet tria magna classica: et hoc ubicumque infra episcopatum contingerit decedere canonicos prelibatos.

Et si corpora transferantur de uno loco ad alium, priores locorum, per que transitum facient funera predictorum canonicorum, teneantur facere pulsari, cum cimbalis et campanis, gratis et sine aliquo pretio, classicum magnum.

Et priores omnes canonici tenentur refficere septem pauperes, pro anima illius canonici jam defuncti.

Item tenentur facere dici missam et agendam.

164. — Item, cum moritur aliquis canonicus in Montepessulano, cimbala et campane ecclesiarum Sancti Firmini, Sancti Dionisii, Beate Marie de Tabulis et omnium aliarum ecclesiarum, per quas transitum faciet, pulsentur similiter, ut supra, sine aliquo precio, ut superius est expressum; et dicti priores diacones suos ad hec facienda compellere teneantur.

Et hec que dicta sunt, de claustralibus intelligantur.

Si vero fuerint beneficiati, de eorum bonis classica solvantur tantum.

Et si contingat aliquem de canonicis mori in Montepessulano, pro animabus eorum missa mortuorum debeat celebrari in ecclesia Sancti Firmini, si in ejus parrochia moriatur, et Beate Marie de Tabulis: et Sancti Dionisii, si infra ejus parrochiam moreretur: sic quod, sive moriantur in parrochia Sancti Firmini, sive in parrochia Sancti Dionisii, ad dictam ecclesiam Beate Marie portentur, et non ad dictas alias ecclesias Sancti Firmini seu Sancti Dionisii.

Ad que solvenda, si canonici mortui habuerint bona, procuratores mortuorum teneantur; si vero bona non habuerint, prepositus solvere teneatur.

Et idem per omnia de oblationibus faciendis pro funere observetur, ut videlicet, si defunctus bona habuerit, procucuratores mortuorum: si vero bona non habuerit, prepositus solvere teneatur.

Preterea, quando canonicus claustralis vel non beneficiatus moritur in Montepessulano, prepositus, vel suus bajulus Montispessulani, qui tenet cellarium pro eo tenetur facere et solvere omnia funeralia et sex entorticia, que debent esse quodlibet ipsorum ponderis quinque librarum; et debent hujusmodi entorticia comburere usque ad quamdam arborem que est Magalone, dicta *Olm*: et ibi debent esse parata entorticia sacriste,

Debet etiam prepositus ponere, supra corpus seu funus hujusmodi defuncti canonici, unum pannum aureum bonum et sufficientem.

Item, si canonicus claustralis non beneficiatus esset assignatus alibi quam in Montepessulano, et moreretur, prepositus funeralia talis morientis canonici rationabiliter solvere teneatur, quamvis etiam funeralia non recuperaret, ubi hujusmodi moriens notabiliter esset pauper, nisi in funeralibus hujusmodi de bonis paternis seu maternis hujusmodi morientis canonici esset aliter satisfactum.

165. — Item quando canonicus Magalonensis moritur, procuratores tenentur conducere animalia;

Et quando claustralis moritur in Montepessulano, debet prepositus canonicis claustralibus conducere animalia, et solvere illis qui volunt dictum canonicum mortuum associare. Et si defuncti hujusmodi priores seu beneficiati fuerint, procuratores mortuorum hoc facere teneantur.

166. — Item si canonicus claustralis, non assignatus, infirmetur in Montepessulano, prepositus sibi dare tenetur panem et vinum.

Et hoc verum est, si sit ita pauper, quod non possit sibi aliunde aliquatenus providere, nec possit comode Magalonam portari.

De militibus Magalone sepeliendis[1]

167. — Item statuimus quod quando aliquis baro vel miles mortuus apportatur Magalonam pro sepultura, cum vexillo seu banneria et scuto, lancea et equo, et aliis armaturis, scutum appendatur in claustro et banneria in ecclesia: alia vero genera armorum, si que fuerint, cellararius custodiat: equus vero preposito applicetur.

De messaderiis

168. — Item si messaderii vel misericordiam facientes veniant ex debito vel ex gratia Magalonam, tenetur prepositus, vel cellararius pro eo, mandare apud Villamnovam sacerdotibus, ut pro missis celebrandis Magalonam accedant.

Et, cum recedunt, tenetur dare cuilibet sacerdoti suam portionem, sicut uni canonico, prout est fieri consuetum, scilicet unam libram panis seu unum de magnis panibus, et unam rationem seu portionem de coquina, sicut uni canonico, ut est dictum; et nichilominus quod bibant si volunt.

Et debet dare prepositus inter omnes, si essent mille, unam ex magnis libris panis canonicorum, et de carnibus unam rouhonatam mutonis, vel *cambot*.

Et, si illa die non comeduntur carnes per conventum, debet dare inter omnes unam rationem seu portionem integram.

Et non sedeant, sed stent pedes, cum bibent.

Et predicta debet dare prepositus dictis presbiteris, si fuerint quatuor vel plures: si vero minus quam quatuor fuerint, juxta numerum minuantur.

De coquinario, infirmario et subsacrista

169. — Item prepositus tenetur dare quatuor sestaria de furfure coquinario, qualibet septimana: infirmario tres eyminas.

170. — Item tenetur prepositus dare, quolibet anno subsacriste, in messibus, de blado insule quatuor sextaria bladi, et de fabis duo sextaria, et de lenticulis duo sextaria.

Et hec debent sibi solvi in area Magalone, et debent esse supradicta talia qualia in orreis reponuntur.

Et propter ista debet subsacrista, per se vel per alium, familie commoranti infra insulam sacramenta ecclesiastica ministrare, aliter minime recepturus seu habiturus predicta,

De scobolario

171. — Item tenetur propositus providere scobolario majori continue de pane et vino, sicut uni canonico.

Et debet ipse scobolarius comedere in mensa salerii.

Et coquinarius debet sibi providere de coquina. sicut uni canonico.

172. — Item tenetur predictus prepositus providere alteri scobolario, sicut uni vercayrali, de pane et vino, et coquinarius de coquina.

Et debet comedere in mensa vercayralium, et cum eisdem conjunctim et non separatim, nisi diebus quibus ipsi scobolarii essent facturi in ecclesia, ut superius est expressum.

De festo beatorum apostolorum Petri et Pauli

173. — Item statuimus et ordinamus quod, singulis annis. ante indulgentiam beatorum apostolorum Petri et Pauli, eligantur quatuor canonici, ultra personam cellararii, prout est fieri consuetum, qui teneantur et debeant recolligere et invitare quoscumque agnatos, et cognatos et amicos canonicorum, et alias bonas gentes, juxta arbitrium et providentiam ipsorum. et conditionem etiam personarum per totum tempus indulgentie supradicte.

174. — Item statuimus et ordinamus quod prepositus una cum coquinario. die processionis sanctorum Petri et Pauli, refficere teneantur duodecim pauperes clericos, si reperiantur, alioquin laycos, ultra illos consuetos reffici, pro mandato.

De priore ecclesie de Nieuls

175. — Item tenetur dictus prepositus dare, tradere et solvere priori ecclesie de Nieuls hec que secuntur;

Primo, singulis septimanis, decem panes magnos albos de conventu:

Item, singulis septimanis, triginta panes alios, vocatos communiter Sancti Stephani, et duo lieuralia leguminum conventus;

Item, singulis annis in vindemiis, duo modia vini boni et puri;

Item, in singulis conviviis, que facit prepositus generalia, debet sibi dare tantum quantum tenetur dare duobus canonicis, de omnibus cibariis ipsius conventus.

De lagena in reffectorio

176. — Item tenetur prepositus tenere unam lagenam juxta pedem pelvis, in qua cupe reffectorii abluantur: in qua lagena vinum projiciatur, quod de cupis lavandis projicitur ne perdatur: quod vinum ipsius prepositi esse debet.

De medico

177. — Item tenetur propositus medico conventus et ejus socio, ut aliis bonis gentibus seu hospitibus, providere.

De puteis et quibusdam aliis

178. — Item tenetur prepositus facere et reficere omnes puteos insule, exceptis puteis Sancti Johannis et infirmarie, et ipsos de omnibus necessariis tenere munitos.

179. — Item tenetur providere prepositus de competentibus lectis garciferis, servientibus canonicis in infirmaria, vel alibi infra insulam.

Et debet esse in quolibet lecto una culcitra cum pulvinari, et in estate unum lodex, et in hyeme duo lodices.

180. — Item tenetur prepositus providere de tabula pre-

centoris et de stilis: quam tabulam sacrista de cera munire tenetur.

181. — Item tenetur prepositus habere et tenere in claustro unum candelabrum ferreum, ubi reffectorarius mochonem accensum post matutinas et completorium ponit.

182. — Item tenetur prepositus facere et refficere bancum lapideum, de postibus cohopertum, cum suo trunco in capite perforato, ubi claves ponuntur, et pulvinar cum pluma: in quo stat porterius canonicus, quando custodit silentia.

De donatis

183. — Item volumus et concedimus quod, in festivitatibus sollempnibus, donati communie possint indutas soquanias portare et eis uti.

De vino in festis sollempnibus

184. — Item statuimus et ordinamus quod cellararius, seu ejus locum tenens, non audeant vinum pro conventu adozillare, nisi vocato priore claustrali seu ejus locum tenenti.

Qui prior debet secum vocare tres vel quatuor claustrales canonicos, bonos viros, ut videant et cognoscant si vinum fuerit sufficiens pro conventu.

De armario librorum

185. — Item tenetur prepositus facere et refficere armaria librorum et sigilla Capituli.

De conversis

186. — Item quando fratres conversi extra insulam moriuntur, prepositus tenetur eis in funeralibus providere.

187. — Item statuimus et ordinamus quod fratres conversi de soquania, et alii, nostram fraternitatem habentes, si presentes fuerint in mandatis pauperum, sicut nostri canonici, in vigilia Ramispalmarum et in Cena Domini admittantur.

De generali convivio de bove

188. — Item statuendo declaramus, quod diebus, quibus prepositus vel coquinarius faciunt generale de bove, quod de quadrante bovis non fiant nisi decem et octo portiones duntaxat.

De sepulturario

189. — Item statuimus, et declaramus et inhibemus, ne ad tangendum defunctorum corpora tumulanda aliquatenus admittantur illi qui serviunt in coquina, nec illi qui serviunt in furno, nec illi qui serviunt in infirmaria: sed piscatores, caupolarii, bubulci, familia lavandarie, et alii de Magalone familia illud facere tenentur.

Omnes tamen, sine differentia et delectu, interesse debent et juvare ad funus portandum ad ecclesiasticam sepulturam.

190. — Item statuendo districtius inhibemus, ne sepulturarius parare, portare seu ministrare audeat aliqua cibaria cocta; sed cellararius pro preposito providere de aliis qui hoc faciant, teneatur.

Prefatus vero sepulturarius oleum coquine apportare tenetur.

De servitoribus canonicorum claustralium

191. — Item, quia canonicorum nostrorum claustralium frequenter querelam audivimus, quod famulorum, qui eis servirent, copiam non habebant, statuimus et ordinamus,

quod prepositus, ab inde in antea, teneatur habere et tenere continue, apud Magalonam, septem garciferos, quos semel anno quolibet induere teneatur;

Qui dictis canonicis claustralibus serviant in omnibus, prout per alios famulos est acthenus fieri consuetum, ipsosque canonicos associent, quando ibunt extra insulam, juxta dispositionem et providentiam prioris claustralis; quos garciferos ipsi canonici mittere valeant pro suis negotiis faciendis.

Et ipsi garciferi, quamdiu erunt canonicis necessarii, pro negociis prepositi nullathenus occupentur.

Quibus garciferis helemosinarius dare helemosinam, ut de aliis garciferis in suo speciali titulo statutum est, perpetuo teneatur.

Ad que alii administratores et beneficiati preposito teneantur

Item declaramus, statuimus et ordinamus, quod alii administratores et beneficiati Ecclesie Magalonensis infrascripti dare, solvere et satisfacere, in omnibus et singulis, dicto preposito, et sue administrationi pro eo, in perpetuum et sine contradictione qualibet, sint astricti.

Ad que coquinarius preposito teneatur

192. — Primo coquinarius tenetur dare preposito *los costals* seu *costels* et *las bandanas*, pro familia domus communie, omnium mutonum qui comeduntur Magalone.

Excipiuntur tamen illi mutones, qui in misericordiis et conviviis generalibus comeduntur, a quibus non recipit prepositus dictas *bandanas* pro dicta sua familia, sed solum *los costals*.

Et de dictis mutonibus, qui pro dictis misericordiis et conviviis generalibus comeduntur, dantur decem bandane coquo.

Si vero conventus comedat carnes bovinas, dictus coqui-

narius tenetur dare dicto preposito. pro dicta sua familia comunie, *los garotz.*

193. — Item tenetur dare coquinarius in misericordiis, si sunt quatuorviginti panes et ultra, quatuor integras portiones, de omnibus que conventus recipit; et si minus quam quatuorviginti, duas dicto proposito pro dicta sua familia comunie, ratione escambii quod cum operario fecisse prepositus dicitur olim.

194. — Item tenetur coquinarius providere familie dicti prepositi hospicii de Aresquerio, usque ad decem numero, et etiam bajulo ejusdem hospicii per hunc modum, in diebus dominicis, martis et jovis ordinarie, et etiam aliis diebus.

Si tamen festum fuerit duarum vel quatuor caparum antiquarum, dabit duas integras ronhonadas, et unum *coyssot* familie predicte, et unum cartonem mutonis bajulo predicto, sicut uni canonico; et etiam carnes salsas omnibus, in festis antiquis quatuor et duarum caparum tantum.

Si autem conventus carnes non comedat, non tenetur dare portiones supradictas, nisi in festivitatibus quatuor vel duarum caparum antiquarum, et vigiliis earum si sint jejunabiles, et Adventu Domini et Quadragesima.

195. — Item dicta familia Aresquerii dicti prepositi debet habere et recipere ortalicia ad usum suum de orto dicti coquinarii, scilicet diebus dominicis, martis et jovis tantum.

196. — Item coquinarius tenetur providere quibuscumque et quandocumque pro preposito infra insulam operantibus, in parapside et portionibus consuetis;

Et idem in salinis de plagia maris prepositi supradicti.

197. — Item tenetur coquinarius dare unam ronhonadam et unum *coyssot*, diebus dominicis, martis et jovis, sauneriis dicti prepositi de plagia, et in festivitatibus duarum vel qua-

tuor caparum antiquarum, et diebus jejunalibus, sicut familie de Aresquerio.

De misericordia prioris Beate Marie de Tabulis

198. — Item prior de Tabulis tenetur facere unam misericordiam, in mense februarii, pro anima quondam domini Hugonis de Miramars.

Pro qua debet dare quatuorviginti panes albos, singulos valoris duorum denariorum, et tria sextaria vini beni preposito. Et de hoc stat, ut dicitur, publicum instrumentum.

De misericordia operarii

199. — Item operarius tenetur facere unam misericordiam, seu optimum convivium, in festo sancti Michaelis, pro anima domini Fredoli de Sancto Boneto, quondam Aniciensis episcopi et canonici beati Petri.

Pro qua dat et dare tenetur preposito quadraginta solidos.

De misericordia prioris Sancti Firmini

200. — Item prior Sancti Firmini, in recompensationem bladi et vini que dabat preposito pro misericordia quam tenebatur facere, in crastinum Pache, pro anima Johannis de Opere quondam, tenetur dare continue, sive sit absens, sive sit presens dictus prepositus, in Montepessulano, ad comedendum in suo hospicio Sancti Firmini, bajulo dicti prepositi, sui cellarii Montispessulani.

De misericordia prioris de Veyruna

201. — Item prior de Veyruna tenetur facere unam misericordiam, in mense januarii pro anima Raimundi de Sancto Firmino quondam.

Pro qua facienda est obligatum officium, quod est in Montepessulano prioris de Veyruna.

Et pro illa die tenetur dare annuatim preposito quadraginta solidos.

De juramento canonicorum

202. — Item omnes canonici Magalonenses, cujuscumque status vel conditionis existant, debent prestare in manibus dicti prepositi corporaliter juramentum, quod bona comunie servabunt et custodient, et etiam diligenter.

De pensionibus que fiunt preposito per priores

203. — Item prior Sancte Eulalie tenetur dare, singulis annis, preposito tres eyminas olei boni et puri.

204. — Item prior ecclesie Castriarum, nomine ecclesie sue, tenetur dare nomine pentionis, preposito triginta septem et quatuor duodenas frumenti, talis qualis comeditur Magalone, et tantumdem de bono vino et puro, tali videlicet quod sit potabile conventui Magalone.

Et debet portare suis expensis usque ad portum sibi proximiorem.

205. — Item prior ecclesie de Venranicis, nomine sue ecclesie, debet dare preposito, nomine pensionis, eadem vel similia per omnia, ut dictus prior ecclesie Castriarum, et in blado, et in vino et in portu.

206. — Item prior ecclesie de Lunello veteri, nomine sue ecclesie, tenetur dare preposito, nomine pentionis seu mensate, centum et duodecim sextaria frumenti, talis qualem conventus comedit Magalone.

Item, propter quartonem, sexdecim sextaria frumenti predicti, et viginti quatuor sextaria ordei, et centum et duodecim sextaria boni vini et puri, sufficientia pro conventu Magalone.

207. — Item prior ecclesie de Montarbedone, nomine ecclesie sue, tenetur dare dicto preposito, nomine pensionis, octo sestaria tozelle bone et pulcre, et octo sextaria vini puri et clari.

208. — Item prior ecclesie Sancti Johannis de Bodia, nomine sue ecclesie, debet dare dicto preposito, nomine pentionis, singulis annis, et portare seu portari facere ad hospitium comunie de Villanova, unum sextarium olei olivarum; salvo quod, si, per legitimas probationes, posset in futurum apponere, quod dictus prior in minus vel in plus teneretur, et quod non esset ad portandum astrictus, quod illi probationi stetur, non obstantibus supradictis.

209. — Item prior de Latis, nomine sue ecclesie, tenetur dare dicto preposito, nomine pentionis, quolibet anno, quatuor sestaria bladi et quatuor sestaria vini.

Et de hoc stat, ut partes asserebant, publicum instrumentum.

210. — Est autem sciendum quod dicte pentiones bladi, vini et olei dantur et solvuntur, dari et solvi debent dicto preposito, singulis annis, tempore infrascripto, videlicet vina post vindemias, ante festum Omnium Sanctorum; et blada post messes, ante festum Beate Marie de augusto; et oleum ante festum diem Carniprivii.

De sociis priorum

211. — Item statuimus et in perpetuum ordinamus, quod Magalonensis prepositus, qui est et qui pro tempore fuerit, habeat et sibi competat plenum et liberum jus assignandi claustrales canonicos, in socios, canonicis prioribus et beneficiatis Capituli Magalonensis, omnibus et singulis, infrascriptis dumtaxat exceptis, cum reditus suorum beneficio-

rum sint tenues et insufficientes ad socium tenendum dum tamen dictam assignationem faciat sub forma sequenti:

Videlicet quod dictus prepositus priori seu beneficiato, cui canonicum assignare voluerit, primo debeat, per suas patentes litteras vel aliter orethenus, intimare quod sibi vult canonicum pro socio assignare.

Qua intimatione facta, prior seu beneficiatus hujusmodi teneatur, infra octo dies, quem voluerit claustralem canonicum habere in socium, alteri non assignatum, qui tamen possit haberi comode, eligere, et electionem per ipsum de hujusmodi canonico factam, preposito reserare.

Et illum sic electum teneatur dictus prepositus sibi in socium assignare.

Et prior seu beneficiatus ipse illum canonicum, per ipsum electum [et per] prepositum assignatum, remota exceptione qualibet, admittere teneatur.

Et, si prior seu beneficiatus hujusmodi, infra dictos octo dies post intimationem, per dictum prepositum sibi factam, eligere, ut dictum est, distulerit, ex tunc, lapsis dictis octo diebus, dictus prepositus possit dicto priori seu beneficiato tali, quem voluerit ipse prepositus canonicum assignare, et illum ipse prior seu beneficiatus recipere sit astrictus.

Si vero prior vel beneficiatus canonicum, per ipsum electum, habere non posset, habeat alium eligere infra alios octo dies, et deinde servetur, ut superius est statutum.

Et si talis canonicus claustralis per duos aut plures ex prioribus vel beneficiatis peteretur, ille habeat eum, qui primo ipsum duxerit requirendum.

Si vero duo vel plures in petendo concurrant, canonico claustrali qui petetur, cum quo ex petentibus esse voluerit, electio relinquatur; qui canonicus claustralis, si eligere noluerit, per episcopum, qui est et qui pro tempore fuerit, eligere cum quo ex petentibus ipsum esse voluerit, nisi excusationem justam habuerit, compellatur.

Ecclesie autem excepte, quarum prioribus et beneficiatis non sunt socii assignandi, sunt hec: ecclesia de Gornerio, ecclesia Beate Marie de Lundris, ecclesia de Novigentibus,

ecclesia Sancti Briccii, ecclesia de Molinis, ecclesia de Adavo, ecclesia Sancte Katerine de Macillia, ecclesia operarie, infirmarie, coquinarie, helemosinarie, ecclesia de Latis, ecclesia de Nieuts.

An autem ecclesia de Soregio sit excipienda necne, non diffinimus de presenti.

212. — Item statuimus et ordinamus, quod priores et beneficiati, quibus claustrales canonici, ut supra dictum est, in socios sibi fuerint assignati, eisdem sociis suis sibi assignatis teneantur dare ad comedendum de simili pane et simili vino, et aliis cibariis, quibus in suis beneficiis ipsi beneficiati comedent seu priores,

De coquinario et administratione ipsius

Item declaramus, ordinamus et statuimus quod coquinarius Magalone, qui est, et qui pro tempore fuerit, pro et nomine coquinarie Magalone, tenetur et teneatur infrascripta onera supportare, et in omnibus et singulis infrascriptis, libere et sine contradictione qualibet perpetuis temporibus providere.

Ad que teneatur in Quadragesima

1. — Primo coquinarius debet dare in Quadragesima, in diebus veneris, quindecim ficus, bonas et sufficientes, et quinque porros cum catino seu salsayrono, pleno melle bono, et unum *allec* inter duos comedentes de conventu, et spinargia capolata et sauzengada cum oleo; et tenetur dare de oleo plus volenti.

Et si illa die fuerint messaderii, debet dare pitanciam pro ipsis messaderiis; item unam panatam anguillarum sufficientem inter duos; et debent esse in singulis panatis decem anguille bone et sufficientes.

2. — Item, diebus dominicis in Quadragesima, tenetur dare in prandio unum frustum piscis salsi, boni et grossi, videlicet de mugile, cuilibet ultra ordinarias portiones, cum porris amissis, quos sibi facit prior Sancti Firmini;

Item generale bonorum piscium recentium;

Item, in cena, unum *allec*, bonum et sufficiens inter duos, vel duas anguillas salsas cuilibet.

3. — Item, per totam Quadragesimam, tenetur dare generale bonorum piscium recentium.

Tamen, semel in septimana, potest dare anguillas salsas cum cambiis bonorum piscium recentium; et si non potest facere cambia, tenetur dare unum frustum boni piscis, ultra generale, cuilibet ubicumque comedat cum aliis canonicis.

4. — Item, alia die septimane, potest dare anguillas in sauzenga, scilicet cuilibet unam bonam scutellam, plenam anguillis et sauzenga; et etiam, illa die, cambia bonorum piscium recentium, vel frustum piscis, prout superius proxime est expressum.

5. — Item, semel in septimana, potest dare sipiatum, sicut dictum est superius de sauzenga, cum uno bono frusto piscis recentis.

Ad que teneatur per totum annum

6. — Item per totum annum, diebus mercurii, veneris et sabbati, debet dare generale bonorum piscium recentium; et in aliquo istorum dierum potest dare ova semel in septimana, diebus tamen quibus non jejunatur, quia illis non debent dari ova, nec etiam in diebus veneris unquam, nec etiam a decimo septimo kalendas augusti usque ad finem mensis augusti inclusive.

7. — Item, ex quo incipiunt capi anguille marese, videli-

cet a festo sancti Michaelis usque ad Pascha, potest dare anguillas salsas, bonas tamen et sufficientes, semel in septimana, excepta die veneris usque ad Pascha.

Et in supradictis diebus usque ad Pascha, et illis diebus quibus dat ova vel anguillas, debet dare quinque ova pro ratione seu portione, et duo alia pro pitancia, si canonici voluerint: et ultra dare non tenetur, etiamsi petantur:

Et de anguillis, quinque pro ratione seu portione, et unum bonum frustum piscis recentis pro pitancia: et non tenetur tunc dare cambia, nec plus, etiamsi petatur.

A predictis vero diebus excipiuntur aliquociens dies mercurii, quando videlicet die martis precedenti jejunatur, vel die jovis sequenti, vel quando occurrit in ipsa die mercurii festum duarum vel quatuor caparum, vel quando illa die mercurii occurrunt misericordie, quia tunc conventus potest comedere carnes; et etiam si prior claustralis, dato quod illis diebus mercurii festum non fuerit, vel misericordia non occurrerit, ut conventus carnes comedat, cum consensu tamen dicti coquinarii vel ejus locum tenentis, duxerit dispensandum.

In vigilia Natalis Domini, Pasche et Pentecostes debet dare anguillas bonas, grossas et sufficientes: tamen in vigilia Pentecostes, quia communiter non reperiuntur pisces salsi, potest dare pisces frixos, scilicet tria frusta sufficientia, loco dictarum anguillarum salsatarum.

De servitoribus

8. — Item tenetur dare per totum annum duobus servitoribus, tempore vel die quo non jejunatur, unam rationem seu portionem pro potu, sive sint pisces, sive sint carnes vel ova.

Sed quando est festum duarum vel quatuor caparum antiquarum, duas rationes seu portiones tenetur dare pro potu, quia tunc servitores sunt plures,

Item, quando non est festum duarum vel quatuor capa-

rum antiquarum, duas rationes seu portiones tenetur dare pro potu, quia tunc servitores sunt plures.

Item, quando non est festum duarum vel quatuor caparum, tenetur dare servitoribus, pro pitanciis, quinque frusta bonorum piscium recentium, quando comeduntur pisces: et quando comeduntur ova, debet dare octo ova pro pitanciis servitoribus supradictis.

Tamen illa die qua datur de tribus vel duobus piscibus, non tenetur dare pitanciam.

Item, quando comeduntur anguille, debet dare pro pitanciis quinque frusta boni piscis.

9. — Item coquinarius debet retinere portiones servitorum crudas, et deinde dare coctas et calidas, quando dicti servitores comedunt, illo eodem modo quo conventus habuerit.

10. — Item debet coquinarius retinere pitanciam, dandam servitoribus supradictis, crudam, et deinde eis paratam et coctam, prout ipsi servitores voluerint.

Et si ipsi servitores voluerint dictos pisces habere in panata vel in *escabeg*, fornerii teneantur facere ipsis panatas, et coquus l'*escabeg*.

Et coquinarius debet providere de speciebus scilicet de pipere et ginzinbere, non tamen de croco, ad parandum predicta.

De panatis quas faciunt claustrales

11. — Item, quotienscumque canonici claustrales volunt facere salsas panatas vel *escabeg*, coquinarius tenetur etiam eis dare de dictis speciebus sufficienter, dum tamen cibaria hujusmodi infra insulam comedantur.

De croco autem, ut dictum est, minime providere tenetur.

12. — Item servitor potest, qualibet die, retinere unam portionem pro cena canonicorum.

De pueris canonicis

13. — Item coquinarius tenetur dare, qualibet die, duas portiones, tam pro potu matutino quam pro cena scolarium seu puerorum canonicorum.

De quantitate carnium et piscium

14. — Item coquinarius tenetur dare cuilibet canonico, diebus dominicis, martis et jovis, unum cartonem mutonis, prout est consuetum, cum carnibus salsis consuetis, videlicet quod tresdecim libras carnium salsatarum, diebus predictis, debet ponere in reffectorio, distribuendas per reffectorarium inter personas omnium canonicorum, infra vel extra reffectorium existentium, et in presentia prioris claustralis vel ejus locum tenentis.

Item, diebus lune, unum cartonem inter duos, et de carnibus salsis tantum quod valeant unum cartonem.

Item ille, cui soli dabitur, potest eligere cartonem vel carnes salsas, si maluerit.

Sciendum est autem quod colla, et *coissots* et ronhonate mutonum in reffectorio dari non debent pro portionibus aliquathenus, nisi peterentur; et tunc integra ronhonada debet pro cartone dari.

15. — Item, si aliquis canonicus voluerit, et licentiam tamen prioris claustralis habuerit, suam portionem in verulo, coquus tenetur preparare et etiam dare sic preparatam.

16. — Item servitor debet portare unam posladam, vel duas, de carnibus vel piscibus per reffectorium, secundum quantitatem conventus, ad expensas coquinarii, ut canonici valeant cambiare;

Et de ovis, quando ova comeduntur, que preparentur secundum quod canonici voluerint preparari.

17. — Item, quando dantur pisces a festo sancti Michaelis usque ad Pascha, debet dare coquinarius piperatum, et a Pascha usque ad festum sancti Michaelis, debet dare agrestum seu agras, si reperiatur.

18. — Item tenetur dare coquinarius regulariter, per totum annum, in cena, caseum vel carnes salsas, vel mutonem, si voluerit:

Et etiam in prandio, quando sunt messaderii, vel misericordie fiunt, vel dicuntur propria responsoria et triumphatur nonum responsum, et etiam quando occurrit festum duarum vel quatuor caparum antiquarum.

19. — Item, in Adventu Domini, diebus dominicis, debet dare coquinarius pitanciam piscium, scilicet duas anguillas salsas et unum frustum piscis assi, propter responsaria propria.

Et illis diebus etiam quibus jejunatur, quando sunt messaderii, debet facere illud idem.

De leprosis

20. Item tenetur dare leprosis, ad insulam venientibus, inter duos unam portionem canonici: et uni, si solus fuerit, mediam: et sic servando, si plures fuerint, juxta numerum leprosorum.

Et tales leprosi ad insulam, postquam semel fuerint, non debent redire de octo diebus.

Ad que teneatur in festo Circumcisionis

21. — Item, die Circumcisionis, tenetur dare coquinarius in prandio porratam cum carnibus salsis.

Item generale de carnibus mutoninis cum euruca.

Item cirogrillos cum bono civerio, videlicet inter duos canonicos quatuor frusta cirogrilli: et de cirogrillo debent

fieri novem frusta tantum cum capite; sed caput in reffectorio dare non debet.

Et sic etiam observare tenetur prepositus, quando dare debet conventui cirogrillos.

Item dare debet coquinarius, dicta die Circumcisionis, bonhetas cum zucare, et crespas etiam cum zucare, habundanter.

Et debent bonhete et crespe hujusmodi, expensis ipsius coquinarii, docoqui in lardo porcino funduto.

Et sic etiam servare tenetur prepositus, quando bonhetas seu crespas conventui dare tenetur.

Item tenetur dare coquinarius, dicta die Circumcisionis, caseum et nebulas cum nectare videlicet de pimentis cum melle, ad duo sextaria vini; quod vinum prepositus bonum et clarum dare tenetur pro ipso nectare faciendo.

Et de nebulis debet dare, dicta die, coquinarius octogintas.

Item, eadem die, in cena tenetur dare coquinarius coxas porci salsas, et caseum et fructus, scilicet poma, pira, dactilia, ficus et avellanas, prout prepositus in die Natalis Domini dare tenetur.

Item, si dictum festum Circumcisionis occurrat in diebus veneris vel sabbati, tenetur dare coquinarius porratam cum piscibus salsis.

Item bonos pisces recentes, coctos in aqua cum bono piperato.

Item pisces frixos cum petrosillo.

Item bonhetas et crespas de piscibus vel de caseo bono.

Item in cena debet dare pisces frixos, videlicet unum bonum frustum piscis frixi cuilibet; et alia, ut supradictum est, de caseo et fructibus, quando carnes comeduntur.

Ad que teneatur in festo Ascensionis

22. — Item, in die Ascensionis Domini, tenetur dare coquinarius primo *mortayrols*;

Item carnes mutoninas cum carnibus salsis et euruca.

Item edulos in veruto, scilicet quadrantem medium inter duos:

Item caseum:

Item, in cena ejusdem diei, carnes salsas et caseum.

Ad que teneatur in festo sancti Johannis Baptiste

23. — Item, in festo sancti Johannis Baptiste, tenetur dare coquinarius carnes porcinas recentes, cum salsa dicta *sols*, et omnia alia, sicut in festo Ascensionis Domini, dare tenetur: excepto quod, in cena, non tenetur dare carnes salsas, sed caseum dare tenetur.

Ad que teneatur in festivitatibus quatuor caparum

24. — Festivitates autem quatuor caparum antiquarum, de quibus est facta mentio, sunt hec: festa Purificationis Beate Marie, Cathedre sancti Petri, Annunciationis Dominice, in crastinum Pasche, sancti Pancracii, in crastinum festi Pentecostes, apostolorum Petri et Pauli, sancti Jacobi, vincula sancti Petri, Assumptionis Beate Marie, sancti Augustini, Nativitatis Beate Marie, Omnium Sanctorum et sancti Nicholai.

Et in istis festivitatibus quatuor caparum antiquarum, excepto festo sancti Augustini, tenetur dare coquinarius carnes mutoninas cum carnibus salsis.

25. — Item hedulos in veruto vel lonsas porci juxta temporis cursum, vel carnes porci recentis cum *sols*:

Videlicet dare tenetur, a festo Purificationis Beate Marie usque ad festum sancti Johannis Baptiste exclusive, edulos in veruto;

Et a festo sancti Johannis usque ad Nativitatem Beate Marie, debet dare quatuor pecias de carnibus porcinis in *sols*, inter duos, bonas et sufficientes:

Et a Nativitate Beate Marie usque ad Adventum Domini, debet dare lonsas porci in dicto veruto.

Item debet dare in dictis festivitatibus caseum.

26. — Item, in crastinum Pasche, et in crastinum festivitatis Pentecostes, et in festo Omnium Sanctorum, tenetur dare coquinarius, in cena, carnes salsas et caseum.

27. — Item, in dictis festivitatibus quatuor caparum antiquarum, que veniunt séu occurrunt in diebus quadragesimalibus, et aliis quibus carnes non comeduntur, debet dare coquinarius de tribus piscibus.

Et illud idem, eisdem diebus quadragesimalibus vel quibus carnes non comeduntur, extra dicta festa, quando misericordie fiunt seu occurrunt in eisdem.

28. — A festo autem Pasche usque ad festum sancti Luce, debet dare caseum coctum, diebus quibus carnes non comeduntur, loco piscium salsatorum.

Ad que teneatur in festivitatibus duarum caparum

29. — Festivitates autem duarum caparum, de quibus mentio est superius habita, sunt hec: scilicet festa Sanctorum Innocentium, feria tertia post Pascha, feria tertia post Pentecosten.

Et, in istis festivitatibus, tenetur dare coquinarius carnes mutoninas cum euruca, et carnes salsas, sicut in diebus lune per circulum anni.

Et idem de carnibus salsis in festivitatibus quatuor caparum, et de caseo.

30. — Item idem per omnia in festivitatibus Conversionis sancti Pauli, sancti Laurentii, sancti Firmini, sancti Martini et sancti Andree.

Et in hiis festivitatibus duarum caparum sunt misericordie; et in ipsis prepositus, ut supra facta est mentio, providere tenetur.

31. — Si vero premisse festivitates venerint seu occurrerint diebus quibus carnes non comeduntur, prepositus debet dare coquinario, singulis ipsarum festivitatum, quadraginta solidos pro piscibus.

Et coquinarius tenetur dare conventui de tribus piscibus.

32. — Est autem sciendum quod, si hujusmodi festivitates duarum caparum venerint seu occurrerint diebus quibus carnes non comeduntur, debet dare coquinarius de duobus piscibus recentibus, in aqua bollitis et etiam frixis, videlicet quatuor frusta bona de piscibus coctis in aqua, et de frixis tria frusta inter duos.

Et etiam caseum dare tenetur.

Ad que teneatur per totum annum

33. — Item tenetur coquinarius providere regulariter per totum annum, omnibus diebus dominicis, martis et jovis, excepta Quadragesima, et exceptis diebus quibus prepositus tenetur facere convivia, de cibariis in parapside.

Et regulariter, per totum annum, debet dare eurucam, exceptis diebus in quibus prepositus facit convivia; et prepositus semper tenetur dare acetum pro facienda euruca.

De cibariis vero in parapside, ut dictum est, debet coquinarius providere.

34. — Sed, a festo Omnium Sanctorum usque ad feriam quartam in capite jejuniorum, debet caules dare sive *grels.*

Et a festo Pasche usque ad festum sanctorum Petri et Pauli, debet dare herbas.

Et a festo sanctorum Petri et Pauli usque ad finem mensis augusti, debet dare cucurbitas sive cogorlas.

Et, a fine augusti usque ad festum Omnium Sanctorum, debet dare herbas tritas

35. — Et, in festivitatibus quatuor vel duarum caparum

antiquarum, debet dare *ris* vel cissera, diebus quibus non comeduntur carnes.

36. — Et est sciendum quod de predictis omnibus tenetur dare coquinarius parentibus, sicut uni canonico. et aliis bonis gentibus, juxta qualitatem et conditionem personarum.

De messaderiis

37. — Item, quando veniunt messaderii pro missis celebrandis, debet dare coquinarius in cena, inter duos, unum cartonem mutonis, et de carnibus salsis competenter, et de caseo sufficienter, juxta numerum messaderiorum. et secundum conditionem personarum et discretionem cellararii.

38. — Item, in crastinum in prandio, debet dare dictus coquinarius, inter duos, unum cartonem mutonis, vel plus. juxta conditionem personarum, et de carnibus salsis competenter, et de caseo sufficienter, exceptis diebus lune et mercurii; quibus diebus dictus coquinarius providere tenetur dictis messaderiis, sicut uni canonico.

39. — Item, tempore quo comeduntur pisces, debet dare coquinarius in cena, inter duos messaderios, unam rationem seu portionem conventus de piscibus recentibus, et de piscibus salsis, et de caseo similiter.

40. — Item, in crastinum, scilicet in prandio, sex anguillas salsas inter duos, et de piscibus recentibus tria frusta, et alia tria de piscibus frixis, et de caseo sufficienter.

Et, si pisces non reperiantur, tenetur dare dictis messaderiis de caseo cum scutella, et, inter duos, decem ova, vel quinque cuilibet.

Quid dare teneatur pauperibus in mandatis

41. — Item, in sabbato Ramispalmarum et in Cena Do-

mini, tenetur dare coquinarius pauperibus, in mandato generali, de sauzenga cum anguillis recentibus vel de anguillis salsis; sin autem, generale de aliis piscibus.

42. — Item, in aliis mandatis que fiunt cotidie per totum annum, tenetur coquinarius providere tribus pauperibus, et eis dare cibaria in omnibus et per omnia, cuilibet ipsorum pauperum, sicut uni canonico, excepto quod eis dare caseum non tenetur.

De companatico

43. — Et ad hec omnia et singula, que supra scripta sunt, quod videlicet coquinarius teneatur de companatico providere, videlicet de carnibus, piscibus, ovis et caseo, etiam tenetur dictus coquinarius providere parentibus et amicis canonicorum, et messaderiis, et omnibus comorantibus in insula, de dicto companatico, exceptis garciferis quibus non tenetur dare, nisi quando serviunt infirmis canonicis.

Non tamen intelliguntur excepti garciferi euntes et redeuntes, nec venientes cum funeribus per terram et aquam, cujuscumque conditionis existant, nec alii qui continui non existunt.

44. — Item tenetur dare dictum companaticum coquinarius pauperibus clericis, et etiam Judeis et Sarracenis propter humanitatem et spem conversionis ad fidem, ad insulam venientibus et ibidem comedere volentibus, ut est fieri consuetum, cuilibet juxta sui conditionem et statum:

Et etiam canonicis, euntibus per aquam ad peregrinationes vel romatgia, seu ad domos proprias vel paternas, aut ad partes alias propter sua negocia, seu ad ordinationes aut assignationes ecclesiarum, vel ad mare seu alibi causa spaciandi.

45. — Item parentibus et amicis canonicorum, et aliis bonis personis, nobilibus et innobilibus, undecumque veniant

et vadant per aquam, et etiam messaderiis vel cum funere venientibus, exceptis tamen illis diebus quibus prepositus facere generalia convivia est astrictus.

46. — Et ista etiam intelliguntur, prout in speciali statuto prepositi de pane et vino extitit ordinatum, ut videlicet coquinarius illis in dicto companatico teneatur providere, quibus dictus prepositus de pane et vino providere teneatur.

Ad que teneatur erga prelatos et nobiles

47. — Item, quando veniunt tales persone nobiles, ut sunt prelati, nobiles clerici, milites vel alii layci talis status, quibus non sufficiat dare epulas conventus, debet eis dictus coquinarius sufficienter, et habundanter ac graciose, [tam] de aliis cibariis quam de comunibus providere, ut de gallinis et verutis, et similibus.

Et diebus quibus carnes non comeduntur, de bonis piscibus ultra ordinarium.

Et hec videlicet que talibus ultra ordinarium dantur, tam prepositus quam coquinarius solvere comuniter sunt astricti. Que cibaria extraordinaria cellararius procurare tenetur et solvere, nomine dictorum prepositi et coquinarii, recuperaturus postea, quod est sibi facile, ab eodem; quia dictus cellararius hospites admittere et recolligere tenetur.

De canonicis preparantibus caules, pisces, etc.

48. — Item, quando aliquis canonicus vult facere preparari caules, *grels*, vel spinargia, vel pisces, vel quidquid sit aliud, pro quibus parandis sit oleum necessarium, coquinarius tenetur cuilibet satis de dicto oleo dare, in quacumque parte insule predicta preparentur, nisi preparentur in infirmaria propter infirmos; quia tunc infirmarius de dicto oleo providere tenetur.

De piperato

49. — Item tenetur coquinarius, suis expensis, in piperato, quando conventus comedit pisces. scilicet duas portiones piscium recentium, et in ipso piperato debent teri seu moli.

Coquinarius non potest mutare fercula

50. — Item coquinarius non potest mutare aliqua generalia fercula, nisi de voluntate et assensu prioris claustralis et Capituli cotidiani. vel majoris partis: et tunc tenetur dare salsam, secundum quod carnes vel pisces que dabit requirūnt.

Et quando dat carnes bovinas debet ponere in piperato duas portiones bonas et sufficientes ipsius bovis, que terantur in piperato.

Ad que teneatur in quibusdam diebus

51. — Item, in vigilia Nativitatis Domini, tenetur coquinarius, suis expensis, projicere, in Capitulo et in claustro. herbam, scilicet nertam et romarinum;

Et, in Sabbato Sancto, laurum per parietes, et tritum seu capolatum per Capitulum et per claustrum.

52. — Item, in prima die dominica Adventus Domini et in die Carniprivii, tenetur dare coquinarius, in prandio, verutum de carnibus edulinis;

Et, in die sancte Lucie et in die veneris post Pasca, tenetur dare omnibus venientibus et messaderiis, vel gentibus venientibus cum funere, et aliis quibuscumque, pisces, exceptis canonicis et illis qui veniunt pro misericordia. et exceptis illis qui accipiunt portionem canonicorum et mandatum cotidianum, et exceptis conversis.

De refectione ustensilium coquine

53. — Item tenetur coquinarius facere et refficere, ac reparare *payrols* et *payrolas*, *escumadoyras*, sartagines parvas et magnas, et *astes* parvos et magnos, asterios ferreos, cassas parvas et magnas, et tabularium, et grasilhas parvas et magnas, et omnia alia ustensilia coquine, exceptis hiis ad que prepositus est astrictus.

54. — Item tenetur coquinarius facere et refficere cameram in qua jacet.

55. — Item debet coquinarius reficere dispensatorium inferius et superius, et de novo facere, si est opus.

Prepositus vero tenetur facere et refficere gradarium coquine.

56. — Item tenetur coquinarius facere mortaria, trissones et molendina pro euruca paranda.

De canonicis ad ordines recipiendos euntibus

57. — Item, quando canonici vadunt ad ordines, ad diversas partes in episcopatu vel extra, debet eis providere coquinarius, ut superius scriptum est in titulo *de preposito* speciali.

De priore ecclesie de Nieuts

58. — Item tenetur coquinarius dare priori de *Nieuts*, omnibus diebus dominicis, martis et jovis, unam peciam duplicem de carnibus mutoninis, si tamen illis diebus carnes comedantur.

59. — Item, si die lune vel mercurii occurerit festum qua-

tuor vel duarum caparum antiquarum. tenetur dare coquinarius dicto priori de *Nieuts*, de mutone, unam peciam duplicem, vel totidem de bove, vel totidem de carnibus porcinis, prout conventus comedet dictas carnes;

Et de veruto etiam unam peciam duplicem;

Et de carnibus salsis, unam peciam duplicem:

Et de omnibus aliis de quibus conventui providere tenetur.

Ad que teneatur in vigilia Ascensionis et die Carniprivii

60. — Item tenetur coquinarius, in vigilia Ascensionis Domini, dare conventui, si possit reperiri in Montepessulano. de pisce dicto *esturjon*, simul cum alio generali piscium.

Et, si illa die reperiri non possit, ipsum tenetur dare altera die eodem modo.

In cujus piscis precio, tenetur ponere et expendere dictus coquinarius viginti solidos, quos prior Sancti Nazarii. dyocesis Magalonensis, et canonicus Sancti Ruffi, pro illa causa, ipsi coquinario, annis singulis facere solvere est astrictus;

Et ultra dictos viginti solidos, expendere in emendo dicto pisce minime sit astrictus.

61. — Item tenetur coquinarius in die Carniprivii sufficienter de caseo providere.

Ad que teneatur erga familiam Magalone

62. — Item tenetur coquinarius providere familie prepositi, vestiarii, infirmarii, et subscobolario, ut sequitur: primo debet dare, scilicet diebus dominicis, martis et jovis, inter duos, porciones duorum hospitum.

63. — Item, illis qui morantur in molendinis de insula Magalone, debet quotidie dare, quando in ipsis molendinis demolitur bladum, portiones duorum hospitum inter duos.

64. — Item tenetur providere dicte familie, in festo quatuor et duarum caparum antiquarum, de duabus carnibus; Et in vigiliis jejunabilibus dictarum festivitatum quatuor et duarum caparum, tenetur eis dare portiones piscium et etiam in aliis diebus jejunabilibus, exceptis diebus lune, mercurii, veneris et sabbati Quadragesime et Adventus Domini, et exceptis vigiliis Beate Marie, preter vigiliam festi Beate Marie de augusto.

65. — Item, si predicte festivitates quatuor vel duarum caparum antiquarum occurant diebus quibus carnes non comeduntur, tenetur dare dicte familie de duobus piscibus, scilicet recentibus et salsis.

66. — Item tenetur dare familie furni, qui sunt quatuor, in Quadragesima, singulis diebus dominicis, inter duos unum *allec*.

67. — Item tenetur dare dicte familie de furno cotidie, tam in diebus quibus carnes comeduntur quam aliis, portiones, sicut uni canonico.

68. — Item tenetur dare portiones, sicut uni canonico, salerio, dispensatori, bajulo cellarii, coquo, scobolario majori, barbitonsori, quando radit vel flebotomisat conventum, magistro majori operis prepositi, qui comedunt in mensa salerii supradicti.

69. — Item tenetur dare portiones duorum hospitum piscatoribus manegueriarum Magalone, ut aliis vercayralibus prepositi, quando idem prepositus eos tenet ad manum suam.

70. — Item tenetur dare, singulis diebus dominicis Quadragesime, familie helemosinarii, pro cena unum *allec*.

De medico

71. — Item tenetur coquinarius providere medico conventus et ejus socio, ut aliis bonis hospitibus.

Ad que teneatur erga religiosos et parentes canonicorum

72. — Item tenetur coquinarius omnibus religiosis, nostram fraternitatem non habentibus, sicut canonicis Magalonensibus, providere.

73. — Item tenetur coquinarius agnatis et cognatis, et amicis canonicorum et conversorum fratrum, et aliis bonis gentibus, in cena, quando de mane comedunt, sicut conventui, et melius, si hoc exigat conditio personarum, juxta discretionem cellararii, sub correctione prioris claustralis, si opus fuerit, providere.

De pitancia pro anima Johannis de Montelauro prioris Sancti Firmini

74. — Item tenetur coquinarius facere pitanciam, ultra generale, singulis annis, in festo sancti Mathie apostoli, pro anima quondam domini Johannis de Montelauro de Murlis, prioris Sancti Firmini, usque ad valorem XXX solidorum sicut in uno festo quatuor caparum antiquarum, canonicis et eorum parentibus, et conversis et pauperibus de mandato.

Et, illa die, conventus pro anima dicti domini Johannis celebrare tenetur, prout in minimis est fieri consuetum.

De diebus venerinis in Quadragesima

75. — Item, in diebus venerinis Quadragesime, in porris et melle et aliis providere coquinarius est astrictus.

De pentionibns coquinarii statutum

Item statuendo declaramus pentiones que dantur et fiunt coquinario per alios administratores. priores et beneficiatos Ecclesie Magalonensis. nomine beneficiorum suorum et ecclesiarum suarum singulis annis.

76. — Primo. in synodo sancti Luce. prior de Montarbedone tenetur dare et solvere coquinario, seu officio vel administrationi coquine, viginti quinque libras turonensium parvorum.

77. — Item prior ecclesie de Frontiniano X libras.

78. — Item prior ecclesie de Tabulis centum solidos.

79. — Item prior ecclesie de Ozorio centum solidos.

80. — Item prior ecclesie Sancti Johannis de Bodia, quinquaginta solidos.

81. — Item prior ecclesie de Veyruna quinquaginta solidos.

82. — Item, in vigilia Omnium Sanctorum, tenetur ei dare et solvere prepositus sexdecim libras.

83. — Item, in vigilia Nativitatis Domini, tenetur sibi solvere et dare prior Castrinovi XX libras.

84. — Item, in die sancti Johannis Evangeliste, tenetur sibi dare et solvere prior ecclesie de Lunello novo XVI libras.

85. — Item, in die Epiphanie Domini, tenetur ei dare et solvere prior ecclesie Sancti Dionisii de Montepessulano XVI libras.

86. — Item, in die Carniprivii, tenetur sibi dare et solvere prior ecclesie de Montearbedone triginta libras.

87. — Item, in vigilia Pasche Domini, tenetur sibi dare et solvere prior ecclesie Sancti Dionisii de Genesteto XX libras.

88. — Item in synodo Pasche, tenetur ei dare et solvere prior de Montearbedone XXV libras.

89. — Item, in eadem synodo, tenetur sibi dare prior ecclesie de Frontiniano decem libras.

90. — Item, in eadem synodo, tenetur ei dare et solvere prior ecclesie de Tabulis centum solidos; et prior ecclesie de Ozorio, alios centum solidos.

91. — Item, in eadem synodo, tenetur ei dare et solvere prior ecclesie de Veyruna quinquaginta solidos; et prior ecclesie Sancti Johannis de Bodia, alios quinquaginta solidos.

92. — Item, in festo sancti Augustini, tenetur dare et solvere dicto coquinario prior ecclesie de Sentrayranicis duodecim libras.

Ad que teneatur prepositus erga coquinarium

93. — Item tenetur prepositus dare, tradere et solvere, nomine sue prepositure, singulis annis, dicto coquinario mille mutones bonos et sufficientes, videlicet pro quolibet mutone quatuor carteria de carnibus mutoninis cum collis.

94. — Item tenetur prepositus dare, solvere et tradere dicto coquinario, singulis annis, quinquaginta millia anguillarum parvarum, maresarum, et quadraginta alias anguillas grossas.

95. — Item tenetur prepositus dare panem et vinum ortolanis coquinarii, scilicet tribus personis in estate, et duobus in yeme, scilicet a Pascha usque ad festum sancti Michaelis vinum merum, et a festo sancti Michaelis usque ad festum Pasche vinum lymphatum.

96. — Item tenetur dare, solvere et tradere, singulis annis, dicto coquinario prior ecclesie Sancte Eulalie triginta sex sextaria olei.

97. — Item tenetur dare, solvere et tradere dicto coquinario, singulis annis, die jovis post festum Pentecostes, prior ecclesie de Fisco quatuor libras turonenses.

98. — Item, cum dubitaretur inter priorem ecclesie Sancti Johannis de Bodia et coquinarium an dictus prior sibi teneretur dare, singulis annis, et portare ad hospicium ipsius coquinarii tres eyminas boni et pulcri olei, declarationi nostre duximus reservandum.

De misericordiis coquinarii

99. — Item prior ecclesie de Tabulis tenetur facere unam misericordiam, singulis annis, pro anima quondam domini Hugonis de Miramars.

Pro qua tenetur dare coquinario, pro conventu, sex mutones, et tres coxas porci salsas et septem solidos pro veruto seu *astes*.

100. — Item facit et facere tenetur unam misericordiam prior ecclesie de Veyruna, pro anima quondam Raimundi de Sancto Firmino, in crastinum sancti Firmini.

Pro qua tenetur dare coquinario sexaginta solidos.

101. — Item prior ecclesie Sancti Firmini tenetur facere annuatim unam misericordiam, in crastinum festi Pasche, pro anima quondam Johannis de Opere.

Pro qua tenetur dare coquinario septuaginta solidos.

102. — Item vestiarius tenetur facere annuatim unam misericordiam, in festis sanctorum Gervasii et Protasii, pro anima quondam domini Raimundi Alberti et suorum parentum.

Pro qua tenetur dare coquinario octo mutones, et tres coxas porci salsas et septem edulos; et preposito duo quintalia cum dimidio farine albe, et quatuor sextaria vini.

103. — Item prior ecclesie de Montearbedone tenetur fa-

cere unam misericordiam, in festo sancti Johannis Baptiste, pro anima quondam Raimundi de Gabriaco.

Pro qua tenetur dare coquinario sexaginta solidos.

104. — Item prior ecclesie de Latis tenetur facere unam misericordiam annuatim, in festo sancti Clementis.

Pro qua tenetur dare coquinario quinquaginta solidos.

105. — Item prior ecclesie Sancte Eulalie tenetur facere unam misericordiam annuatim, in comedio Circumcisionis Domini et in comedio Septuagesime.

Pro quarum qualibet tenetur dare coquinario triginta sex solidos.

106. — Item operarius tenetur facere misericordiam, in festo sancti Michaelis, pro anima quondam Fredoli de Sancto Boneto, Aniciensis episcopi.

Pro qua tenetur dare coquinario sexaginta solidos.

De vestiario

Item statuimus, declaramus et ordinamus, quod vestiarius qui nunc est et qui pro tempore fuerit, nomine officii sui vestiarie, tenetur et teneatur infrascripta onera supportare, et in omnibus et singulis infrascriptis, libere et sine contradictione qualibet, perpetuis temporibus providere.

Ad que teneatur vestiarius erga claustrales

1. — Primo tenetur vestiarius dare, singulis annis, unicuique claustrali canonico quatuor libras de moneta, que cursum communem habebit, pro vestiario ipsorum canonicorum, terminis infrascriptis, scilicet in synodo paschali quadraginta solidos, et alios quadraginta solidos in synodo

sancti Luce, de et prout moneta cursum communem habebit temporibus ipsarum solutionum, vel raubas in equivalenti.

Ad que teneatur erga fratres conversos

2. — Item tenetur vestiarius dare, singulis annis, fratribus conversis, qui appellantur de soquania et qui morantur infra insulam Magalone, cuilibet, pro suo vestiario, quinquaginta solidos de moneta currenti temporibus solutionum, faciendarum per terminos infrascriptos, scilicet in synodo pascali XXV solidos, et in synodo sancti Luce alios XXV solidos, vel equivalens in raubis, eis per dictum vestiarium faciendis.

Prepositus vero tenetur ipsis fratribus dare et solvere habitus, qui soquanie dicuntur.

3. — Item tenetur vestiarius dare et solvere aliis fratribus conversis de soquania, morantibus extra insulam Magalone, unicuique pro suo vestiario, singulis annis, per similes solutiones de moneta currenti temporibus solutionum eis faciendarum, triginta solidos vel equivalens in raubis.

Prepositus vero tenetur eis solvere, ut dictum est de conversis aliis, soquanias.

De tunica in festo Omnium Sanctorum

4. — Item tenetur vestiarius illis canonicis qui accipiunt raubas, in festo Omnium Sanctorum dare unam tunicam, bonam et sufficientem; et ipsi canonici tenentur restituere veterem vestiario supradicto.

De aliis ad que teneatur erga canonicos

5. — Item tenetur vestiarius dare trabucos et caussones laneos, et in vigilia Pasche, caussones lineos;

Item in festo Pentecostes, trabucos lineos;

Item capas panni de Sancto Pontio, in quantum erit eis necessarium:

Item tenetur canonicis facere, suis expensis, superpellicia, camisias, femoralia totiens quotiens eis fuerit necessarium; tenereque debet ipsos munitos de tribus integris, cum et in quibus possint mutare.

6. — Item tenetur providere vestiarius dictis canonicis de sotularibus, totiens quotiens fuerit eis necesse

7. — Item tenetur dare vestiarius, semel tantum quolibet anno, cuilibet canonico zonam, cultellum, pectinem cum pectinario, lumbar seu *braguier*, et lassadoyras.

8. — Item tenetur dare vestiarius filum tinctum cuilibet canonico, quotiens fuerit necessarium.

De sartore et sabaterio

9. — Item tenetur vestiarius habere et tenere, infra insulam, unum sartorem cum suo garcione, et unum sabaterium cum suo garcione, bonos et sufficientes: et tenetur ministrare seu ministrari facere omnia et singula spectantia ad officia eorumdem.

10. — Et debet dictus sartor facere raubas novas, sine aliqua mercede, omnibus canonicis qui volunt recipere vestiarium suum in panno, dum tamen pannum sibi apportent.

Tenetur etiam dictus sartor, sine aliqua mercede ipsorum canonicorum, resarcire et aptare raubas eorum, et aliis qui non recipiunt raubam.

11. — Item dictus sabaterius tenetur cuilibet canonico facere sotulares, sine aliqua mercede; sed canonici debent ei facere corium apportari.

Tenetur etiam idem sabaterius ressarcire, suere et aptare dictos sotulares et solare illis qui raubam recipiunt pro vestiario suo.

De bassinis pro mandato canonicorum

12. — Item tenetur vestiarius, suis expensis, habere et tenere bassinos et conquas ad abluendum pedes et capita canonicorum.

Et etiam tenetur habere tres pelves seu *bassis*, et duas conchas ereas in claustro, quando canonici faciunt ibi mandatum.

13. Item tenetur habere et tenere unum *payrol* ad tenendum lichinum pro capitibus abluendis.

Et familia dicti vestiarii tenetur abluere capita canonicis, et preparare aquas ad lavandum pedes canonicorum, temporibus consuetis; sed pedes lavare ipsis canonicis non tenentur.

Sed cellararius, pro preposito, tenetur mittere famulos, qui abluant dictos pedes.

De pannipurgiis

14. — Item debet vestiarius habere et tenere unum magnum *payrol*, ad calefaciendum aquam vel lichinum, cum lignis tamen prepositi, pro faciendis pannipurgiis seu bugadis pro raubis canonicorum.

15. — Item tenetur vestiarius mittere suum locum tenentem, de XV in XV diebus, in dormitorio, cum familia lavandarie, et ibidem recipere raubas lineas canonicorum pro lavando.

Et ipse locum tenens debet scribere et designare signa et nomina cujuslibet canonici, in scriptura, ad raubas hujusmodi cujus fuerit discernendas.

Et die sabbati sequenti, debet totam raubam restituere ablutam, sicam, et sutam et bene ressarcitam, in dicto dormitorio, super lectum cujuslibet canonici.

Et, si fuerit aliqua pecia debilis, que fuerit retinenda, eam

retinere debet, et restituere novam. illis videlicet canonicis qui raubam recipiunt de predictis.

Et predicta debent intelligi de illis canonicis, qui jacent in dormitorio.

De illis autem qui jacent inferius, sicut in infirmaria, cameris cellararii, subsacriste, coquinarii. conversionis. lavandarie et helemosinarie, tenetur, in eisdem locis, per eumdem modum recipere et restituere, sicut illis qui in dormitorio jacent.

De lavandaria

16. — Item tenetur facere portari familie lavandarie algas ad latrinas canonicorum.

17. — Item tenetur vestiarius reparare totum hospicium lavandarie et de novo facere, et etiam portas, pilas magnas et parvas et tabularium pro sartore.

Item canalem pinubeam, per quam decurrit aqua de puteo ad magnum *payrol*.

Et breviter tenetur facere vestiarius omnia alia et singula, que sunt necessaria pro sua administratione.

Et quando predicta reparantur vel de novo construuntur, et dictus vestiarius tenet ibi magistros seu manobras, prepositus tenetur eis dare panem et vinum. et coquinarius. scutellam et companaticum. sicut hospitibus tenerentur

18. — Item debet familia lavandarie dicti vestiarii, in diebus dominicis et festivis in quibus fiunt processiones, antequam fiat processio, ascendere et venire in claustrum, et aptare seu removere tabularia et stepas, et alia impedimenta que possent impedire processionem.

Et debet stare, quamdiu fit processio, ante januam dormitorii super gradarium, et custodire ne aliquis dormitorium intret; et, post processionem, tabularia et stepas reducere ad statum pristinum.

De manutergiis canonicorum

19. — Item, singulis diebus dominicis, debet vestiarius manutergia seu pannos albos, per dictam suam familiam abluendos, pro manibus tergendis canonicorum, juxta lavatoria ponere in locis consuetis

Prepositus vero tenetur in dictis manutergiis providere, scilicet tribus pro canonicis, et aliis tribus pro scolaribus.

Tenetur etiam familia dicti prepositi implere lavatorium aqua pulcra, quotiens opus fuerit.

De obiterio

20. — Item tenetur vestiarius tenere et habere unum bonum hominem pro obiterio, qui portet obitus canonicorum omnium per totum episcopatum, et per diversas congregationes nostras et per loca etiam consueta.

Et debet dare dicto obiterio meliorem raubam quam habet defunctus, vel XXV solidos monete curribilis pro quolibet canonico semel.

Et talis obiterius incontinenti, audita morte canonici, debet ire et portare nomen per omnes ecclesias totius episcopatus.

Et priores omnes tenentur sibi dare ad comedendum et bibendum, quacumque hora venerit, et, si nocte venerit ad jacendum.

21. — Et, audita morte canonici, priores, tam religiosi quam seculares, debent facere pulsari unum magnum classicum et facere dici agendam, et capellanos omnes facere celebrari cuilibet, pro anima defuncti canonici, unam missam.

Et sacerdos parrochialis tenetur, in festo proxime subsequenti, dicere populo quod roget Deum pro anima dicti canonici jam defuncti.

Et, si dictus obitus occurreret in aliquo festo sollempni,

differatur missarum pro defuncto celebratio, usque ad primam diem, qua fieri poterit bono modo.

De canonicis mortuis induendis

22. — Item tenetur vestiarius cuilibet canonico Magalonensi defuncto habere camisiam, femoralia, bragnerium, lassadoyras trabucos lineos, superpelliceum pectinem cum pectinario, cultellum, acum cum filo.

Prepositus vero tenetur habere sudarium.

Iterum de familia lavandarie

23. — Item familia lavandarie dicti vestiarii non tenetur de messibus ire ad aream Magalone, seu alia negocia facere exceptis negociis vestiarie

Tenetur tamen aurire aquam de puteo lavandarie, vel de alio, si fuerit necesse, et portare in pila lavandarie, et ibi habundanter ponere, ubi animalia, in dicta area calcantia, adaquari valeant, tociens quociens eis fuerit opportunum

De misericordia vestiarii

24. — Item tenetur vestiarius facere unam misericordiam singulis annis, in festo sancti Gervasii: et debet dare octo mutones, tres coxas porci salsas, septem edulos, et duo quintalia cum dimidio farine et quatuor sextaria ordei.

Pro qua misericordia facienda, sunt redditus putei, positi in Montepessulano juxta hospitium vestiarie, specialiter obligati.

De quibusdam aliis ad que tenetur vestiarius

. 25. — Item tenetur vestiarius solvere et facere solas et et dare semel in anno illis canonicis qui pecuniam accipiunt, si petierint, dum tamen in claustro fuerint residentes; et etiam caussones, sicut illis qui recipiunt raubam.

26. — Item tenetur locum tenens vestiarii, seu ejus familia pro ipso, tapeta in Capitulo ponere, extendere et plicare.

27. — Item tenetur familia lavandarie dicti vestiarii, de antiqua consuetudine, comedere in domo lavndarie. a festo beati Luce usque ad festum Pasche, dum tamen infra dictum tempus sit factura pro raubis canonicorum; et etiam per totum annum, si pro raubis hujusmodi sit factura.

Ad que teneantur beneficiati vestiario

Item statuendo declaramus ad que alii administratores, priores et beneficiati, nomine suorum beneficiorum, dicto vestiario et ejus officio in perpetuum teneantur.

28. — Primo tenetur prior Sancti Firmini dare et solvere, singulis annis inter duas solutiones, dicto vestiario quatuor libras turonenses, videlicet in qualibet synodo quadraginta solidos.

29. — Item, eodem modo, prior Sancti Dionisii de Montepessulano, quatuor libras.

30 — Item, eodem modo. prior ecclesie de Tabulis, quatuor libras.

31. — Item, eodem modo, prior ecclesie Sancte Eulalie, quatuor libras.

32. — Item, eodem modo, prior ecclesie de Frontiniano, quatuor libras.

33. — Item, eodem modo, prior ecclesie de Lunello novo, quatuor libras.

34. — Item, eodem modo, prior ecclesie de Veyruna, quatuor libras.

35. — Item sacrista, quadraginta solidos.

36. — Item prior de Aquis, quadraginta solidos.

37. — Item prior ecclesie Sancti Dionisii de Genesteto, quadraginta solidos.

38. — Item prior ecclesie de Balhanicis, quadraginta solidos.

39. — Item prior ecclesie Sancti Vincenciani, quadraginta solidos.

40. — Item priores de Castronovo et de Soregio, quilibet quadraginta solidos: sed de istis duobus est dubium.

41. — Item prior Sancti Johannis de Bodia, quadraginta solidos

42. — Item prior ecclesie de Centrayranicis, quadraginta solidos.

Ad que teneatur prepositus vestiario

43. — Item prepositus debet habere et tenere continuo in camera vestiarii lavandarie duos lectos, pannis munitos, bonos et sufficientes, unum pro vestiario, et alium pro suo socio.

44. — Item debet prepositus habere et tenere in dicto hospicio lavandarie lectos pro familia sua, quando venit Magalonam.

45. — Item tenetur prepositus providere dicto vestiario, quandocumque venit apud Magalonam, et comedit in hospicio lavandarie, de ustensilibus, exceptis mensis, taulonis et scannis seu *bancz*.

46. — Item debet tenere prepositus continue duos lectos, pannis competenter munitos, in camera sartoris et sabbaterii pro ipsis et suis garciferis.

47. — Item tenetur prepositus familie lavandarie dicti

vestiarii providere de pane et vino, sicut familie ipsius prepositi.

Quando tamen dicta familia lavandarie facit pannipurgium canonicorum, debet prepositus ei dare de pane et vino conventus, scilicet tres panes magnos albos et tria lieuralia vini.

Et etiam, si ista dicte familie non sufficerent, debet ei provideri de aula sufficienti.

Ad que teneatur coquinarius vestiario

48. — Item coquinarius debet dare dicte familie lavandarie unam portionem canonici, ultra illam quam debent habere ex debito.

Quid debeat portare novus canonicus

49. — Item statuimus et ordinamus quod quilibet novus canonicus, in suo ingressu, secum et suis expensis habeat et apportet tria superpellicia, tres camisias, tria femoralia, quatuor paria sotularium, duo paria de *trabucs*, unam capam, duas tunicas. unum supertunicale cum pellibus, et zonam, cultellum, pectinem cum pectinerio, acum cum filo, lumbar seu braguerium, et lassadoyras,

De infirmario

Item statuimus, declaramus et ordinamus, quod infirmarius Magalone, qui nunc est et qui pro tempore fuerit, nomine officii sui infirmarie, tenetur et teneatur infrascripta onera supportare, et in omnibus et singulis infrascriptis, libere et sine contradictione qualibet, perpetuis temporibus providere.

De claustralibus

1. — Primo tenetur infirmarius providere canonicis claustralibus, etiam novicis, infirmis, commorantibus infra insulam Magalone, in medicinalibus et medico jurato Capitulo Magalone; et generaliter in omnibus universis et singulis, ipsis infirmis quomodolibet necessariis, de consilio medici supradicti prosanitate habenda.

Et, si panis vel vinum conventus non esset sufficiens pro infirmo, tenetur dictus infirmarius ipsi infirmo infra insulam emere de alio pane seu vino.

Ipse tamen infirmarius recipit et recipere debet panem et vinum conventus pro et nomine ipsius infirmi.

Et, si medicus conventus non esset infirmo sufficiens, dictus infirmarius tenetur procurare et habere sufficientem et meliorem.

2. — Item tenetur infirmarius, suis sumptibus, predictis infirmis providere de electuariis, sirupis, medicinis, cristeriis, gallinis, pullis, zucare rozasseo et quolibet alio, et oleo rozasseo et quolibet alio.

3. — Item de emplaustris, aquis rozasseis, agresto, vino malepunicorum seu milgranatarum, vino morarum, cirupis de Alexandria; et breviter omnia et singula que cogitari vel explicari possunt, facto vel opere, pro salute infirmi.

4. — Item debet infirmarius habere et tenere unam lampadem ardentem in camera infirmorum, totiens quotiens fuerit opportunum.

De claustralibus extra Magalonam commorantibus

5. — Item, si canonicus claustralis, continuam residentiam faciens infra insulam Magalone, de licencia sui superioris, scilicet episcopi, vel prepositi, aut prioris claustralis

seu ejus locum tenentis, extra insulam fuerit, et infra mensem, a tempore licentie sibi date computandum, arripuerit eum infirmitas, si tamen fuerit infra provinciam Narbonensem, teneatur sibi infirmarius providere de medicinalibus, medico et surgico tantum.

Si autem post mensem predictum invaserit eum infirmitas, non teneatur eidem dictus infirmarius de aliquo providere, nisi ad dictam insulam vel Magalone diocesim reddierit; et tunc, cum redierit, teneatur sibi, sicut aliis, providere.

Si autem dubium fuerit an infra predictum mensem vel post invasus ab infirmitate fuerit, et hoc sit questio inter ínfirmarium et predictum infirmum canonicum, habeat hoc probare dictus canonicus infirmus per juramentum suum, corporaliter prestitum in manibus prioris claustralis vel ejus locum tenentis; qui si jurare recusaverit, non teneatur dictus infirmarius eidem de aliquo providere.

Infra tamen Magalonensem episcopatum, teneatur dictus infirmarius dictis canonicis de medico, surgico et medicinalibus, et non de aliquibus aliis, providere.

Novicis vero canonicis non teneatur de aliquo, nisi infra insulam fuerint, providere.

De priore claustrali

6. — Item, si prior claustralis nullum beneficium habuerit, vel etiam habuerit infrascripta, scilicet Beate Caterine de Marcilia, vel de Adavo, vel de Novisgentibus, vel de Gornerio, vel de Nieuts, vel de Latis, vel sacrista Sancti Firmini, vel sacrista de Tabulis, et infirmetur, infirmarius sibi et suis infirmitatibùs infra insulam, ut alteri claustrali canonico, providere tenetur.

Si vero aliud beneficium habuerit, vel extra insulam fuerit, minime sibi providere tenetur.

De canonicis extra insulam morantibus

6. — Item, si canonicus, residentiam non faciens infra dictam insulam Magalone, qui tamen non sit alicui priori vel beneficiato in socium assignatus, infirmus fuerit ubicumque, infra tamen dyocesim Magalonensem, tenetur dictus infirmarius eidem providere de medico, surgico et medicinalibus tantum.

De canonicis sociis

8. — Item statuimus et ordinamus quod, si canonici assignati in socios prioribus vel beneficiatis, infirmi fuerint, ipsi priores et beneficiati, quibus assignati fuerint, teneantur providere eisdem de omnibus et singulis, sicut tenetur providere dictus infirmarius claustrali canonico, infra insulam comoranti.

De canonicis infra Montempessulanum infirmantibus

9. — Item, si contingat aliquem canonicum claustralem, residentiam sive non residentiam facientem infra insulam, non tamen assignatum, infirmari infra villam Montispessulani, et sit adeo pauper et indigens, quod sibi ipsi providere non possit, nec comode portari valeat ad dictam insulam Magalone, prepositus, coquinarius et infirmarius tali infirmo, et servitori et servitoribus suis providere teneantur, ac si esset infra dictam insulam Magalone, tamdiu donec ad dictam insulam commode portari valeat vel venire canonicus memoratus.

De phlebotomia et medicina

10. — Item, quando canonicus facit flebotomiam, infirmarius debet sibi dare, tribus diebus et qualibet ipsarum dierum, unam gallinam; et, si fuerint duo canonici, etiam tan-

tum unam gallinam; et, si fuerint tres, duas gallinas; et sic juxta canonicorum, flebotomiam facientium, numerum ascendendo.

Et tales canonici, facientes flebotomiam, debent habere in parapside vel scutella quod plus volent.

Tenetur etiam dictus infirmarius hujusmodi canonicis dare, cuilibet ipsorum, qualibet dictarum trium dierum, duo ova in cena.

11. — Item, quando canonicus recipit medicinam, infirmarius tenetur sibi dare, quinque diebus, pitanciam, scilicet, qualibet die, unam bonam gallinam et sufficientem.

Et est sciendum quod, pro flebotomia vel medicina, non debet canonicus amittere portionem suam de communi coquina.

Dictus autem infirmarius tenetur dare dictis canonicis, flebotomiam facientibus vel medicinam recipientibus, dictas gallinas, juxta numerum canonicorum, nisi ipsi canonici in diversis cameris reciperent medicinam; quia tunc tenetur dare cuilibet suam gallinam prima die tantum, et aliis diebus sequentibus, unam gallinam inter duos.

De canonicis Magalonam venientibus

12. — Item, si aliquis canonicus assignatus veniat Magalonam ex aliqua causa, et ipsum ibidem infirmari contingat, infirmarius tenetur incontinenti mandare priori vel beneficiato, cui fuerat assignatus.

Et nichilominus dictus infirmarius tali canonico providere in omnibus tenetur, ac si assignatus alicui non fuisset.

Sed prior vel beneficiatus, cui canonicus fuerat assignatus, sumptus et expensas, factas per dictum infirmarium in et propter personam hujusmodi canonici, ipsi infirmario reddat et restituat, reddere et restituere, sine questione et difficultate qualibet, teneatur.

13. — Item, si aliquis canonicus vel monachus claustra-

lis nostre societatis veniat Magalonam quacumque de causa, et ipsum ibidem infirmari ex accidenti contingat, infirmarius teneatur tali religioso, sicut uni Magalonensi canonico claustrali, providere.

De fratribus conversis

14. — Item infirmarius tenetur providere fratribus conversis, cum faciunt flebotomiam; et tenetur dare cuilibet, flebotomiam facienti, pro pitancia, sex denarios inter omnes tres dies.

Et in infirmitatibus tenetur eis, sicut uni canonico, in omnibus providere.

De refectione edificiorum infirmarie

15. — Item tenetur infirmarius habere et tenere infirmis canonicis vitrum, amphoras, cupas, urinalia, ollas, urceolos magnos et parvos, mapas, manutergia, linteamina; et tenere putheum munitum Sancti Johannis de omnibus, et reficere et ressarcire omnia hedificia infirmarie.

Et quando ea facit ressarcire, prepositus tenetur magistris et manobris providere de pane et vino et coquinarius in aliis, scilicet in companatico et scutella, sicut communibus hospitibus.

Si vero de novo hedificaret, non tenentur in aliquo providere eisdem.

16. — Item tenetur infirmarius ressarcire auvannum quod est ante ecclesiam Sancti Johannis, in quantum durat reffectoretum.

Tenetur etiam ressarcire locum qui dicitur Mons Murardus.

17. — Item tenetur infirmarius ressarcire coquinam antiquam et ad statum pristinum reducere; et magistris, [qui ressarciunt ac manobris, prepositus et coquinarius ac sacris-

ta, prout ad eorum officium pertinet, providere tenentur in lumine et victu.

De bajulo, coquo et garcifero infirmarie

18. — Item tenetur habere et tenere infirmarius unum bonum hominem, clericum sufficientem, qui sit bajulus infirmarie, qui serviret canonicis infirmis, et eos associet in comestionibus, quando sunt soli; et tenetur etiam ipsis canonicis procurare eorum necessaria in coquina.

19. — Item tenetur habere et tenere dictus infirmarius unum bonum hominem, coquum, in dicta infirmaria, et unum garcionem, bonum et suffcientem; qui dictus coquus sciat preparare cibaria pro infirmis et sanis.

20. — Et dicti bajulus, coquus et garcifer infirmarie tenentur facere lectos dictis canonicis, et calefacere aquam pro lavandis pedibus canonicis, vel de extra venientibus, et alia necessaria dictis infirmis.

21. — Item dictus infirmarius debet habere et tenere conquam heream et alia necessaria pro pedibus abluendis, et payrolam ad calefaciendum aquam, quando raduntur.

22. — Item dicti bajulus, coquus et famulus infirmarie debent ascendere in claustrum aquam, et portare, et eam calefacere, quando canonici raduntur.

23. — Item tenetur infirmarius habere et tenere craticulas, sartagines et cetera omnia alia, quecumque sint, necessaria in coquina dicte infirmarie pro canonicis supradictis.

24. — Item prepositus tenetur, qualibet die, dare unum magnum panem album conventus dicto bajulo infirmarie, et providere de pane et vino ipsi bajulo, et dicto coquo, et

famulo infirmarie, ut aliis mercenariis ipsius prepositi, commorantibus infra insulam Magalone;

Et etiam coquinarius in companatico et scutella, ut aliis proxime dictis mercenariis prepositi providere tenetur.

De sacristis de Tabulis et Sancti Firmini

25. — Item tenetur infirmarius providere sacriste Beate Marie de Montepessulano, sicut uni canonico claustrali in infirmitatibus suis.

Sacriste autem Sancti Firmini providere in suis infirmitatibus non tenetur; sed ipse provideat, si voluerit, sibi ipsi.

De medico

26. — Item medicus infirmarie tenetur jurare, ut supra dictum est, in presentia Capituli cotidiani.

Et est forma juramenti: quod legaliter procurabit et dicet necessitates et infirmitates canonicorum; nec aliquid ob favorem, vel amorem seu odium alicujus dicet vel dicere obmittet, quominus servetur utilitas canonicorum.

De misericordiis infirmarii

27. — Item tenetur infirmarius facere misericordiam in mense aprilis, pro anima quondam Guiraudi Mercaderii.

Et pro ista misericordia debet dare sexaginta panes albos, quemlibet valoris duorum denariorum, et tria sestaria vini, et quatuor mutones, et duas coxas porci, et septem solidos pro veruto.

28. — Item, in mense marcii, tenetur dare XX solidos coquinario pro conventu, pro anima quondam Berengarii de Bojano.

Iterum de bajulo infirmarie

29. — Item tenetur bajulus infirmarie pro infirmario recipere, cum inventorio, pannos, quos debet tenere et tenet prepositus in infirmaria: et illos debet cum dicto inventorio restituere, quando recedit.

Et ut sic fiat per dictum bajulum, est dictus infirmarius obligatus.

30. — Item tenetur infirmarius aquam rozasseam facere, et de carbone providere ad ipsam aquam rozasseam faciendam.

Quibus diebus officiis divinis interesse teneatur infirmarius

31. — Item infirmarius tenetur interesse in matutinis et vesperis, in omnibus festivitatibus duarum vel quatuor caparum, et omibus diebus dominicis, si propria responsoria decantentur, et, sine licentia prioris claustralis, vel ejus locum tenentis, [non] remanere non debet.

Aliis vero diebus, nisi voluerit, interesse non tenetur, excepta missa majori, in qua interesse tenetur continue, nisi esset legitime excusatus.

Tenetur etiam interesse in omnibus exequiis mortuorum, et omnibus processionibus cimiterii; ad quas exequias mortuorum et processiones cimiterii, canonici, in infirmaria morantes, si possint comode, interesse tenentur.

Ad que adhuc teneatur infirmarius

32. — Item tenetur habere et tenere unam cornutam magnam, in qua canonici et conversi, necessitatis tempore, valeant balneari, et unum barrile de cupro, ad fugandos dolores laterum et corporum infirmorum.

33. — Item tenetur canonicis et monachis nostre fraternitatis, residentiam propter obedientiam Magalone facientibus, sicut canonicis Magalone, in omnibus et per omnia providere.

Ad que beneficiati infirmario teneantur

Item statuendo declaramus ad que alii administratores, priores et beneficiati, nomine ecclesiarum et administrationum suarum, dicto infirmario, nomine sui officii, dare, facere et solvere in perpetuum teneantur.

34. — Primo prior ecclesie de Claperiis tenetur dare et solvere dicto infirmario, singulis annis, nomine pensionis, quatuor libras turonensium in valore monete, singulis dictorum annorum cursum communem habentis, nomine pentionis,

35. — Item prior ecclesie de Frontiniano tenetur dicto infirmario dare et solvere, quolibet anno, in synodo sancti Luche, viginti quinque solidos, nomine pentionis.

36. — Item prior ecclesie Sancte Eulalie tenetur eidem dare et tradere, singulis annis, nomine pentionis, unum modium frumenti et unum modium ordei in messibus, et triginta duo sestaria vini boni in vindemiis, et unum porcum *marcenc* vel sexdecim solidos pro precio ipsius porci, et unum cartale olei olivarum.

Quid habere debeat de vestibus canonicorum mortuorum

37. — Item declaramus statuendo, quod mantelli, cum capuciis et almuciis ipsorum mantellorum, canonicorum morientium dicto infirmario debeant pertinere, exceptis mantellis et capuciis que essent de cameleto vel de cerico, quia ista ad vestiarium debent sine dubio pertinere;

Adhibito tamen moderamine infrascripto: prefati mantelli,

almucie et capucia debent ad infirmarium pertinere, ut videlicet procuratores canonici mortuorum debeant facere portari dictos mantellos, almucias et capucia apud Magalonam, et ibi tradere dicto infirmario, in presencia prioris claustralis, vel ejus locum tenentis, et duorum aliorum proborum canonicorum, per dictum priorem claustralem eligendorum.

Et ipsos mantellos, almucias et capucia non debet dictus infirmarius vendere nec distrahere, sed in usus canonicorum, infirmorum infra dictam insulam, conservare.

Si autem tantam copiam ipsorum haberet, quod non possent sine dispendio servando servari, tunc potest ipse infirmarius ipsa vendere, de consensu tamen prepositi, archidiaconorum, si sint in ecclesia, et sacriste ac prioris claustralis; et aliter, non.

Et pecunia, que inde habebitur, est in servicium et utilitatem canonicorum infirmorum, ad notitiam predictorum prepositi, archidiaconorum, sacriste et prioris claustralis, per dictum infirmarium expendenda.

38. — Item unum ex dictis capuciis dictus infirmarius cellarario debet dare.

Ad que sacrista infirmario teneatur

39. — Item statuendo declaramus quod sacrista seu ejus locum tenens, tenetur dare et tradere dicto infirmario seu ejus bajulo, qualibet nocte, duas candelas, unam pro camera dicti infirmarii seu bajuli, et aliam pro infirmis visitandis; et hoc sive sint infirmi, sive non.

Et, si dictus infirmarius cenat in camera sua, tenetur sacrista sibi dare candelas, sicut alteri canonico, ultra dictas duas candelas.

Ad que prepositus infirmario teneatur

40. — Item, si aliquis canonicus sanus velit facere flebo-

tomiam, prepositus debet, suis sumptibus, habere barbitonsorem; et eum debet mittere quesitum, si est absens.

Et idem, quando talis canonicus, volens flebotomiam facere, est infirmus, nisi quod, si barbitonsor sit absens, dictus infirmarius tenetur mittere, ut veniat pro eodem.

41. — Item prepositus tenetur habere paleas in infirmaria, et de illis providere, pro faciendis lectis et aliis necessariis in cameris, habundanter.

De residentia infirmarii infra insulam

42. — Item infirmarius potest stare infra insulam et ecclesiam, quamdiu sibi placet; et, ipso ibidem remanente, prepositus, coquinarius, et alii administratores et officiarii, sibi, ut uni claustrali canonico, in omnibus providere tenentur, excepto vestiario, qui sibi minime providere tenetur.

43. — Item statuimus quod, si infirmarius in claustro fuerit, et immineat casus propter suum officium, propter quem oporteat ipsum recedere de claustro, possit subito, sine aliqua licentia, de claustro descendere, nisi tamen casualiter obviaret priori claustrali, vel ejus locum tenenti, a quo licenciam haberet petere; et ipse etiam sibi dare tenetur.

Et idem per omnia, quoad proxime dicta, de subsacrista volumus observari.

44. — Item infirmarius debet recipere et habere amigdala, rosas, malepunica et moras, excressentes in dicta insula, et de ipsis infirmis providere.

De helemosinario

Item statuimus, declaramus et ordinamus, quod helemosinarius Magalone, qui est et qui pro tempore fuerit, nomine sui officii helemosinarie, tenetur et teneatur infrascripta onera supportare, et, in omnibus et singulis infrascriptis, libere et sine contradictione qualibet. perpetuis temporibus providere.

Misericordie helemosinarii

1. — Primo tenetur helemosinarius duas misericordias facere, singulis annis, conventui Magalone:

Unam, in mense junii, pro anima quondam Petri de Fisqueto.

Pro qua tenetur dare tres mutones et sexaginta panes albos, duorum denariorum quemlibet, et quatuor sestaria vini.

Aliam vero tenetur facere in mense octobris, pro anima quondam Alazaycie Christophore.

Pro qua tenetur dare quatuor mutones et sexaginta panes albos, trium obolorum quemlibet, et tres coxas porci, valentes quinque solidos, et tria sestaria vini.

Quid tenere debeat in reffectorio

2. — Item debet habere et continue tenere in reffectorio unum canistrum et duas bassinas cupreas ad modum sartaginum, et duos muscallos plumeos de alis vulturis, si potest reperire; aliter de alia ave, ad colligendum fragmenta et mundandum mensas reffectorii.

3. — Item debet habere et tenere unum *nauc* in dicto reffectorio, ad tenendum ossa et spinas que foras projiciuntur.

Et famulus ipsius helemosinarii seu servitor debet projicere ossa et spinas foras longe, ad ripam stagni.

Tenetur habere duos servitores in coquina

4. — Item helemosinarius debet tenere in coquina duos aptos servitores, qui conventui, cum comedit, serviant in coquina apte, munde et legaliter in serviciis consuetis, videlicet in hiis que traduntur et remittuntur per fenestram, donec canonici suas portiones habuerint; et exinde debet unus ex illis ibidem, donec servitores conventus comederint, remanere.

Tenetur tenere mundum locum pro mandato

5 — Item tenetur helemosinarius tenere mundum, locum in quo fit mandatum pauperum, et cum decenti apparatu, videlicet scannum seu bancum, in quo pauperes sedeant, quod debet esse cohopertum de fusta;

Et parietem, qui est retro mensam, in qua pauperes ipsi comedunt, debet tenere cohopertum de fusta;

Et unam amparam fusteam ad latus ipsius mense, propter pluviam sive ventum;

Et unum lodicem, quem debent tenere ipsi pauperes subtus pedes: qui lodex debet esse largus, adeo quod canonici, qui mandatum faciunt, possint flectere jenua in eodem.

6. — Item debet habere ibidem mensam fusteam, mapas, manutergia alba et munda, scutellas, vistas vinarias, ciphos fusteos, cultellos, caussones, et unam magnam missarabam cupream, et unam pelvem, in qua pauperum pedes abluantur, et ad aquam calidam ministrandam, quia per totum annum aqua hujusmodi calida esse debet.

7. — Item tenetur habere et tenere unum capellanum, vel clericum, vel alium servitorem aptum, qui serviat in dicto mandato apte et pulcre, sicut est consuetum, qui recipiat

panem prepositi de cellario et vinum conventus pro dicto mandato.

8. — Et debet ministrare cuilibet pauperi unam libram panis, sicut unus canonicus habet, et unum lieurale de vino, et plus, si plus est eis necesse.

Ministrare etiam debet eis parapsides, quas recipiat de coquina, et portiones, sicut habet unus canonicus.

Et, diebus quibus prepositus tenetur facere convivia, debet dictus capellanus predicta cibaria recipere ab eodem.

9. — Item helemosinarius, a festo Omnium Sanctorum usque ad Pascha, debet habere et tenere caussones laneos in mandato, quos teneant pauperes de mandato, ut est acthenus consuetum.

10. — Item debet helemosinarius pauperibus, in die Veneris Sancti, in mandato providere de scutella, scilicet de frumento, vel risu et piperato, et tribus piscibus, scilicet salsis, recentibus bullitis et frixis, quia illo die conventus pisces non comedit, nec scutellam.

11. — Item capellanus helemosinarie, pro ipso helemosinario, debet accipere tres clericos, si eos inveniat infra insulam, pro mandato cotidiano faciendo, vel tres alios pauperes laycos.

12. — Item, quando episcopus vel alius magnus homo Ecclesie facit mandatum, vel alter prelatus, tenetur helemosinarius habere unum pulcrum cohopertorium cum uno pulvinari, ubi flectant jenua pro mandato, et etiam manutergia pulcra de opere Francie.

13. — Item, in mandatis canonicorum, que fiunt per totum annum, debet helemosinarius habere aquam calidam, paratam in claustro, ad abluendum pedes canonicorum.

Armaserius vero debet tenere et ei tunc ministrare pel

vem, missarabam et manutergia, que idem armaserius a preposito debet habere.

14. — Item debet helemosinarius etiam habere aquam calidam in mandatis pauperum, que fiunt in claustro, in sabbato Ramispalmarum et in Cena Domini.

Et, in quolibet istorum mandatorum, debet esse presens et ibi servire helemosinarius, et etiam cellararius, et coquinarius et infirmarius.

Et debet ipse helemosinarius ibi habere unum clericum, qui serviat in mandato cum messaraba, manutergio et pelvi.

Et prepositus ibidem de manutergiis providere tenetur.

Ad que teneatur in reffectorio

15. — Item in reffectorio, in proxime dictis diebus, debet habere helemosinarius suas proprias mapas; et familia ipsius helemosinarii propria debet ponere mensas, et habere vernigatos ad bibendum, et cloquearia parva ad comedendum fabas.

Et ipsa sua familia debet ibi continue servire, donec comederint pauperes supradicti.

16. — Item debet habere unum servitorem, qui debet incedere cum capa nigra Sancti Pontii per totum annum, quando ascendit claustrum, causa recolligendi fragmenta.

Qui tenetur colligere fragmenta, canonicis superantia, post cenam, et, in diebus jejunalibus, post prandium, quando conventus non dormit; et, quando dormit, dum nona dicitur seu cantatur.

Et debet dicta fragmenta deferre ad domum helemosine.

Sed in illis diebus jejunalibus, in quibus prior claustralis potest et debet dispensare quod conventus cenet, quod fit in diebus ferialibus a festo sancti Nichomedis usque ad Carniprivium, tunc dictus clericus non debet panem seu cantellos de reffectorio extrahere, donec sciverit cum priore claustrali utrum concesserit conventui licenciam cenandi.

17. — Item debet recipere dicta fragmenta canonicorum per hunc modum: quod si de una libra seu pane superest aliquid, illud quod superest, est helemosinarii; de secunda vero libra, nichil, sed preposito redditur in cellario.

Recipit etiam helemosinarius quod superest de carnibus vel piscibus seu ovis; sed ista que supersunt, tenetur dare helemosinarius pauperibus, venientibus pro helemosina facienda.

De capella Sancti Blasii

18. — Item tenetur helemosinarius tenere munitam capellam Sancti Blasii ornamentis et aliis necessariis, et etiam entorticiis pro elevatione Corporis Christi, quando celebrat suus proprius capellanus.

19. — Tenere enim et habere debet unum capellanum, qui in dicta capella cotidie celebret et deserviat in divinis, et etiam presertim in diebus dominicis et magnis festivitatibus, alta voce, propter congregationem pauperum clericorum.

Et ipse capellanus, in diebus dominicis, debet denuntiare festa et jejunia familie Magalone et pauperibus qui ibi erunt;

Et lampadem dicte ecclesie tenere munitam oleo, expensis dicti helemosinarii; que debet ardere per totam noctem et usque in crastinum, donec missa fuerit celebrata.

20. — Tenetur etiam dictus helemosinarius dictam capellam refficere, cum opus fuerit quandocumque.

Et est sciendum quod, quando funus apportatur de nocte, sic quod illa nocte sepeliri non potest, debet hujusmodi funus portari in dicta capella Sancti Blasii, et ibi esse usque in crastinum, hora qua poterit sepeliri.

De camera Quatuor Lectorum

22. — Item tenetur helemosinarius cameram, que vocatur Quatuor Lectorum, tenere munitam de quatuor lectis fusteis, mundis et bonis pannis munitis, scilicet palhassis, culcitris, pulvinaribus cum pluma, lodicibus, cohoperturis de pannis lividis vel viridibus, linteaminibus et vanois, pro canonicis et aliis, nostram societatem habentibus, recipiendis.

23. — Item, quando canonici veniunt hora tarda de extra insulam, post ascencionem arcubii sive gache, debent jacere in domo helemosine, in dicta camera Quatuor lectorum, et ibi cenare, si volunt; et familia helemosinarii debet ire quesitum eorum necessaria.

Et canonici qui, propter sententiam aliquam, sequestrantur, seu amoventur a conventu, debent in domo dicte helemosinarie morari.

24. — Item, si in insula sit gentium multitudo et hospitum, quod canonicus in infirmaria jacere seu cubare non possit, tunc possunt cubare dicti canonici in dicta camera Quatuor Lectorum.

De helemosina pauperibus facienda

25. — Item helemosinarius omnibus et singulis pauperibus, ad insulam Magalone venientibus, semel in die, scilicet post vesperas, hora consueta, videlicet a die Carniprivii usque ad festum Exaltationis Sancte Crucis, quando pulsatur cimbalum collecte; et ab eodem festo usque ad Carniprivium, quando pulsatur cimbalum pro cena, et etiam extraneis alia hora, scilicet viatoribus, si vellent recedere, usque ad vesperas, quia ex tunc tenentur alios pauperes expectare, debet et tenetur dare helemosinam consuetam, sine exceptione persone, preterquam leprosos, quibus tenen-

tur prepositus et coquinarius providere, ut superius est expressum.

26. — Helemosinam vero, ipsis leprosis faciendam, debent gentes helemosinarii procurare, et dictis leprosis ministrare. Qui leprosi non debent venire, nisi usque ad Ulm[um]; et ex quo semel fuerint, de octo diebus redire non debent.

27. — Item dictus helemosinarius debet de una libra seu panealbo conventus, et de una libra seu pane bruno, facere tantum tres pecias pro helemosina danda, de qualibet pecia helemosinam unam.

Et dictus panis brunus debet ponderare tantum quantum ponderat unus panis albus magnus conventus, et plus in medium cartayronem libre ponderis.

Ad que teneatur garcionibus infra insulam venientibus

28. — Item tenetur helemosinarius dare omnibus garcionibus, ad insulam venientibus, non vercayralibus, helemosinam, sicut aliis pauperibus.

Et, si contingat quod aliquis canonicorum aliquem de dictis garciferis mittat extra insulam, vel aliquem garciferum de Villanova, qui consueverit helemosinam recipere, helemosinarius tenetur illi misso garcifero dare helemosinam, pro singulis diebus, quibus extra Magalonam moram traxerit, eundo, morando et redeundo, dum tamen infra Magalone dyocesim iverit, ultra octo dies: et, si extra ipsam dyocesim iverit, ultra dies quindecim non moretur.

Ad que teneatur erga clericos pauperes

29. — Item tenetur helemosinarius dormitorium seu hospitale pauperum clericorum tenere munitum pannis, scilicet in quolibet lecto cordato unam palhassam, culcitram laneam vel lineam cum pulvinari, vel bona matalacia plena de lana, et unum linteamen, et unum lodicem bonum.

Et in ipso hospitali tenetur tenere triginta lectos munitos.

30. — Item tenetur habere et tenere lampades in dicto dormitorio seu hospitali, et in latrinis.

Coquinarius vero tenetur de oleo in dictis lampadibus providere.

31. — Item tenetur helemosinarius clericis pauperibus, comedentibus in reffectorio helemosine, in prandio et in cena, de mapis, scutellis, cissoriis et vernigatis providere, et de cloqueariis, quando comedunt legumina.

32. — Item statuimus quod clerici pauperes, qui comedere seu cenare debent in domo helomosine, amodo non recipiantur in aula, quia eis non providetur de lumine, nec de mapis in ipsa aula; quod tamen facere tenetur dictus helemosinarius, quando comedunt in domo helemosine, sive cenant.

Quibus pauperibus bajulus helemosinarie, pro dicto helemosinario, tenetur procurare de coquina illud quod est consuetum eis dari.

Et helemosinarius, seu ejus locum tenens, videre teneatur qualiter ipsi pauperes tractabuntur.

33. — Item, si aliquis clericus vel laycus pauper moriatur infra insulam, tenetur helemosinarius sibi facere lectum completum; et ille lectus non computatur in decima.

Et rauba hujusmodi mortui ipsius helemosinarii esse debet.

Verum, si talis mortuus aliqua bona haberet, de quibus posset sibi fieri lectus sufficiens, valore quinque solidorum ad minus, tunc debet talis lectus in decima computari, et de bonis dicti mortui solvi.

34. — Item tenetur helemosinarius tali defuncto habere luminaria, scilicet candelas et sudarium et lectum.

Et sepulturarius sepulturam gratis et sine omni pretio facere debet.

De obiterio

35. — Item, quando obiterii nostre fraternitatis, vel aliorum locorum, veniunt ad insulam Magalone, tenetur helemosinarius eos recolligere in domo helemosine, et debet eos subvestiario presentare; et dictus subvestiarius diem presentationis scribere debet.

Et deinde illi de domo helemosine debent redire cum dicto obitorio ad domum helemosine, et debent sibi procurare panem et vinum conventus prepositi, et scutellam ac companaticum coquinarii, qui dare tenetur, et, sicut uni canonico, providere.

Et, si in recessu pecierint panem et vinum, detur eis media libra; et de vino impleatur eis ille cadus parvus, quem consueverunt portare ad zonam.

Tenetur reficere domum helemosine

36. — Item helemosinarius debet hedificare, et rehedificare et ressarcire, si necesse fuerit, totum hospicium helemosine.

De ecclesia Sancti Baudilii

37. — Item tenetur helemosinarius tenere unum capellanum in Villanova, qui decantet ecclesiam Sancti Baudilii, diebus dominicis et festivis.

Qui capellanus teneatur Magalonam venire pro missis celebrandis, quando veniunt messaderii Magalonam.

Cui capellano providebitur tunc sicut uni canonico, vino excepto.

Quid facere debeat quando viget procella

38. — Item, quando viget tempus distemporatum, ita quod pauperes sine periculo non possint venire ad helemo-

sinam Magalonam, tunc tenetur helemosinarius deferre facere helemosinam ultra pontem.

De pitancia in festo Sancti Blasii

39. — Item helemosinarius tenetur facere pitanciam conventui in die Sancti Blasii.

Pro qua debet dare decem solidos turonensium, pro anima quondam domini Petri Almeracii.

De quibusdam aliis ad que tenetur helemosinarius

40. — Item debet dare panem bonum pauperibus ipse helemosinarius, scilicet de blado, cujus tres partes de ordeo et quarta de frumento.

41. — Item tenetur habere vitrum et mapas canonicis comedentibus infra domum helemosine, et etiam illis qui habent nostram fraternitatem duntaxat.

42. — Item, quando pisces comeduntur, et non sunt cocti hora faciendi mandatum cotidianum, capellanus helemosinarii, vel alius de sua familia, debet recipere portiones pauperum a coquinario, prout canonicis dare tenetur, et in cassa cuprea decoquere, et dicto mandato ministrare, ne mandatum ultra debitum prorogetur.

43. — Item tenetur helemosinarius benedicere mensam pauperum clericorum, in festivitatibus Nativitatis, Pasche et Pentecostes.

Et unus de ipsis clericis debet legere in prandio, quandiu comedunt; cui primo helemosinarius tenetur dare potum.

Et, finita lectura, ille qui ministrat dictis clericis, predicto legenti dare tenetur duplicem portionem.

44. — Item tenetur helemosinarius habere et tenere talmum in reffectorio clericorum.

45. Item tenetur retinere, qualibet nocte, unum bonum et sufficientem cantrum panis, seu duos de illis qui superfuerint canonicis in cena, propter pauperes seu famis periculum evitandum.

Et debet illa diligenter cohoperire subtus discum, quem tenetur tenere in reffectorio, in quo reponuntur fragmenta mensarum.

Ad que alii helemosinario teneantur

Item statuendo declaramus que debet recipere helemosinarius, et ad que alii administratores, officiarii, priores et beneficiati perpetuo teneantur eidem.

De vino et pane

46. — Primo recipit helemosinarius in cellario, singulis diebus, de vino prepositi, de quo bibit conventus, quinque lieuralia, in recompensationem vini, quod recipiebat in reffectorio et in tota insula pro helemosina, de quo nichil recipiat de cetero, nisi tantummodo quinque lieuralia supradicta.

47. — Item debet recipere fragmenta, ubique infra insulam, de canonicis et monachis habentibus nostram fraternitatem seu societatem.

48. — Item helemosinarius debet recipere omnia fragmenta omnium hominum et mulierum, ad ecclesiam Magalone venientium, pro misericordiis constitutis vel etiam constituendis, vel aliis conviviis, scilicet per hunc modum:

Si recipiatur media libra, seu medius panis, integra, vel supra, non debet recipere, sed in cellario remanere; et, si minus fuerit quam dimidia, illud debet habere dictus helemosinarius.

De portionibus autem carnium et piscium, si medietas, ut supra, superfuerit, coquinario remanebit; si autem infra,

debet garcionibus servitoribus dari, ubicumque infra ipsam insulam comedant hospites.

49. — Item, si canonicus comedat cum hospitibus, et recedat post comestionem, helemosinarius debet habere a preposito de cellario mediam libram seu medium panem; et, si sunt duo canonici, unam integram; et, si sunt tres, etiam unam; et, si sunt quatuor, duas integras; et, si quinque, duas; et sic de aliis ascendendo.

Et sic de illis qui remanent ad cenandum.

De clericis pauperibus egrotantibus

50. — Item, si accideret quod veniret ad insulam aliquis pauper clericus, et arriperet eum infirmitas, gentes helemosinarii debent requirere subsacristam, quod audiat confessionem illius.

Et cellararius debet tradere navetam.

Et gentes ipsius helemosinarii debent transire ipsam navetam, et debent tradere dictum pauperem hospitalario de Villanova; et ille hospitalarius tenetur eum recipere, et in suis infirmitatibus providere.

Et idem tenetur facere cellararius, pro preposito, de laycis sic infirmis.

Quid dare debeat prepositus

51. — Prepositus tenetur dare, solvere et tradere, quolibet anno, helemosinario duo milia anguillarum maresarum, temporibus quibus capiuntur.

52. — Item, pro familia, quam tenet dictus helemosinarius Magalone, eidem debet dare et tradere prepositus, quolibet anno, viginti sestaria bladi, scilicet de illo blado quod datur pro verqueriis clericorum.

53. — Item prepositus debet providere familie helemosi-

narii, videlicet pro qualibet die debet ei dare tres libras seu panes albos de conventu, et tria lieuralia vini conventus a cellario.

54. — Item prepositus tenetur dare, qualibet die, dicto helemosinario, sit presens vel absens in insula, alios tres panes albos de conventu.

55. — Item prepositus non debet recipere decimas bladorum et leguminum terrarum, quas helemosinarius excolit seu excoli facit, excolet seu excoli faciet, in parrochia ecclesie Sancti Stephani de Villanova, nec Sancti Andree de Maurino.

56. — Item prepositus debet supplere et complere helemosinam, pro dicto helemosinario, si ipse helemosinarius defficeret, et non haberet propter caristiam, sterilitatem, vel malam administrationem, unde in dicta helemosina provideret.

Et de hoc extat publicum instrumentum; et ideo servetur prout in ipso instrumento plenius continetur.

Quid dare debeat coquinarius

57. — Item coquinarius Magalone tenetur dare familie helemosinarii, comoranti Magalone, duas rationes seu portiones duorum canonicorum, qualibet die, seu eis similes, et etiam de quibuscumque aliis, de quibus dare tenetur ipsis canonicis pro generali.

58. — Item tenetur dare coquinarius helemosinario pro usu gentium suarum hospicii Villenove, singulis diebus dominicis, et martis et jovis, si conventus carnes comedit, unum quadrantem mutonis.

Et illud etiam tenetur facere prepositus, quando facit convivia generalia.

59. — Item, si helemosinarius moretur vel comedat Magalone cum uno clerico, non minus debet habere et recipere de predictis.

Et clericus suus debet recipere et habere panem et vinum canonicorum, seu qualia dantur canonicis in aula.

60. — Item, si die dominica, martis vel jovis, detur, Magalone conventui, generale de carnibus bovinis, vel die Nativitatis Domini, helemosinarius debet recipere et habere de ipsis carnibus usque ad valorem unius quadrantis mutonis, pro suo hospitio Villenove.

Ad que adhuc teneatur prepositus

61. — Item prepositus, suis sumptibus, et suis lingnis et aliis necessariis, tenetur decoquere seu dequoqui facere totum panem helemosinarii apud Magalonam.

Sed gentes ipsius helemosinarii debent aurire aquam et portare, et lingna ad calefaciendum furnum, et extrahere pastam de mastra.

62. — Item prepositus debet facere demoliri bladum dicti helemosinarii, sine moltura vel alia mercede, in molendino suo de *Rocayrols*, de nocte tamen et cum lumine ipsius helemosinarii.

Quid debeat recipere de lectis mortuorum

63. — Item debet recipere helemosinarius lectum undecimum eorum qui Magalonam cum funeribus aportantur, cum omnibus pannis et entorticiis, excepto panno aureo vel cerico.

64. — Item si conversi prepositure vel helemosinarie moriantur, lecti eorum in decima minime computantur; nec sacrista cerea ipsorum habere debet.

Prepositus paleas dare tenetur

65. — Item cellararius, pro preposito, debet dare helemosinario paleas, pro hospitali pauperum clericorum, recipiendas per ipsum helemosinarium in area Magalone.

De operario

Item statuimus, declaramus et ordinamus quod operarius Magalone, qui est et qui pro tempore fuerit, nomine sui officii operarie, tenetur et teneatur infrascripta onera supportare, et in omnibus et singulis infrascriptis, libere et sine contradictione aliqua, perpetuis temporibus providere.

Quenam hedificia ressarcire teneatur

1. — Primo tenetur operarius ecclesiam Beati Petri construere et ressarcire, et omnia alia hedificia infra portas ferreas antiquas constructa.

Sed an thesauraria nova excipi debeat, vel non, cum sit dubium, declarationi nostre duximus reservandum

Prepositus vero tenetur ressarcire omnia alia hedificia, extra portas ferreas constructa, ad comuniam pertinentia.

Et vestiarius, infirmarius, helemosinarius, et eorum quilibet, tenentur hedifficare et rehedifficare omnia hedificia, ad sua beneficia deputata, excepto quod sacrista tenetur capellam Sancti Johannis ressarcire, et vitrias ejusdem capelle, quecumque existant.

2. — Item tenetur operarius facere et refficere gradarium lapideum dormitorii.

De misericordiis operarii

3. — Item tenetur facere unam misericordiam pro anima domini Fredoli de Sancto Boneto, quondam episcopi Aniciensis.

Pro qua tenetur dare centum solidos, in die sancti Michaelis, qua est obitus domini episcopi supradicti.

4. — Item tenetur facere aliam misericordiam, in comedio Carniprivii.

Pro qua tenetur dare sex mutones, et sex edulos, et quatuor coxas porci salsas, et centum panes albos, quemlibet duorum denariorum, et quatuor sestaria boni vini et puri.

6. — Item tenetur operarius facere convivium, in mense marcii, pro anima quondam Bernardi de Mesoa; et hoc, singulis annis.

De pondere coxie porci salse

6. — Item, quia frequenter venit in dubium, quanti ponderis esse debeant coxie porci salse, que in misericordiis et conviviis, et aliis temporibus, dantur et dari debent, tam per dictum operarium quam per prepositum, coquinarium et alios administratores, officiarios, priores et beneficiatos, statuimus et ordinamus quod coxie quelibet hujusmodi sex libras ponderis, ad minus, debeant ponderare.

Ad que alia teneatur

7. — Item tenetur operarius reparare et ressarcire tectum ecclesie Sancti Petri, et Sancti Augustini, et Sancti Pancracii, et turrim Beate Marie, et turrim Sancti Jacobi, donec de ipsa aliud fuerit ordinatum, et quoad omnes operas lapidum Capituli, dormitorii, et claustrum, et muros fortalicii, et om-

nia alia hedificia lapidum, que erunt ressarcienda infra veteres portas ferreas.

Sed prepositus et coquinarius tenentur magistris et manobris, predicta reficientibus seu reparantibus, providere de comestionibus, videlicet prepositus, in die, in quatuor libris seu panibus albis, et in quatuor lieuralibus vini conventus; et coquinarius, in quatuor portionibus canonicorum seu conventus.

8. — Item tenetur operarius evellere herbas, arbores et omnia que possunt nocere parietibus, infra dictas januas, et etiam extra.

9. — Item tenetur operarius hedificare et rehedificare, ac ressarcire turrim coquine, non autem ea que pro coquina, infra turrim ipsam, pro parandis cibariis apponuntur.

10. — Item tenetur operarius facere et refficere, quociens opus est, scalarium lapideum dormitorii, et etiam scalarium seu gradarium reffectorii.

11. — Item tenetur operarius facere et refficere scanna lapidea, et alias operas lapideas in Capitulo opportunas.

Iterum de misericordiis operarii

12. — Item tenetur operarius facere duas misericordias, pro anima quondam domini Bernardi de Mesoa, episcopi Magalone: unam in comedio Septuagesime, et aliam in [co]medio Circumcisionis Domini.

Et tenetur dare, pro qualibet, coquinario sex mutones, quatuor coxas porci salsas et sex edulos.

Ad que alii operario teneantur

Item statuendo declaramus ad que danda, facienda et sol-

venda alii administratores, officiarii, priores et beneficiati, ipsi operario teneantur.

13. Primo tenetur prepositus sibi dare et solvere, singulis annis, nomine pentionis, sex sestaria bladi, cujus due partes sint frumenti, et tertia ordei.

14. — Item prior Sancti Firmini, duo sestaria.

15. — Item prior de Frontiniano, tria sestaria.

16. — Item sacrista, tria sestaria.

17. — Item vestiarius, duo sestaria.

18. — Item prior Sancti Dionisii de Genesteto, duo sestaria.

19. — Item prior Sancte Eulalie, tria sestaria.

20. — Item prior ecclesie Beate Marie de Tabulis, quinque solidos.

21. — Item prior ecclesie Sancti Dionisii de Montepessulano, tria sestaria bladi predicti.

22. — Item prior Sancti Ylarii de Sentrayranicis, tres eyminas.

23. — Item prior de Montearbedone, tres eyminas.

24. — Item prior de Peyrolis, duo sestaria.

25. — Item prior de Ozorio, unum sestarium.

26. — Item prior de Castris, duo sestaria.

27. — Item prior de Cornoneterralli, unum sestarium.

28. — Item prior de Lunello veteri, duo sestaria.

29. — Item prior de Lunello novo, tria sestaria

30. — Item prior de Venranicis, unum sestarium.

31. — Item prior de Castronovo, duo sestaria.

32. — Item prior de Sancto Desiderio, unum sestarium.

33. — Item prior de Piniano, tria sestaria.

34. — Item prior de Claperiis, unum sestarium.

35. — Item prior de Novisgentibus, unum sestarium.

36. — Item prior de Soregio, unum sestarium.

37. — Item prior de Veyruna, tria sestaria.

38. — Item prior de Fabricis, tria sestaria.

39. — Item prior de Aquis, unum sestarium.

40. — Item prior de Laureto, duodecim denarii.

41. — Item prior Sancti Marcelli, duo sestaria ordei.

42. — Item prior Sancti Stephani de Gabriaco, unum sestarium avene.

43. — Item prior Sancti Vincenciani, duos solidos et sex denarios.

44. — Item prior Sancti Andree de Bodia, duodecim denarios.

45. — Item prior Sancti Johannis de Bedia, medium cartale olei.

46. — Item prior de Porsano, tria modia bladi, quorum duo debent esse frumenti boni et mundi, et unum ordei, portata apud Villamnovam, suis expensis.

De sacrista

Item statuimus, declaramus et ordinamus, quod sacrista Magalone, qui nunc est et qui pro tempore fuerit, nomine sui officii seu administrationis sacristie, tenetur et teneatur infrascripta onera supportare, et, in omnibus et singulis infrascriptis, libere et sine contradictione qualibet, perpetuis temporibus providere.

De cereis canonicis et hospitibus

1. — Primo tenetur sacrista providere canonicis et hospitibus de luminaribus cericis, ubique infra insulam.

De altaribus in ecclesia Magalone

2. — Item, coram altari Sancti Petri, debet habere et tenere sacrista tria luminaria, scilicet duas lampades et unam candelam, die ac nocte continue ardentia sine defectu;

Et in novem lectionibus, quatuor luminaria ibidem, scilicet duas lampades et duas candelas, accensas in pelves seu bassinos, in vesperis et matutinis tantum.

Quarum candelarum quatuor debent unam libram ponderis integram ponderare.

Et illud quod [fit] in novem lectionibus, per octabas fieri debet.

3. — Item debet habere et tenere ibidem, in omnibus festivitatibus quatuor caparum, sex luminaria in universo, in vesperis et in matutinis, scilicet quatuor candelas in bassinos et duas lampades.

4. — Item tenetur sacrista habere et tenere, coram quolibet alio altari dicte Magalone ecclesie, unam lampadem, continue de nocte comburentem, excepto altari Beate Marie, coram quo debet habere et tenere duas lampades, et coram altari Sancti Nicholai, unam, continue ardentes die ac nocte.

5. — Item, in festo duarum caparum, debet habere et tenere, coram altari Beati Petri, quinque luminaria in matutinis et in vesperis, scilicet duas lampades et tres candelas, in bassinis ardentes.

6. — Item, in festo duarum caparum, debet sacrista habere et tenere, in quolibet alio altari, unam candelam ardentem.

7. — Item debet habere et tenere sacrista, semper et omni die, in matutinis et vesperis, coram altari Beate Marie, duas candelas ardentes.

8. — Item cerei de ceroferariis duarum caparum, quos sacrista solvere debet, debent esse ponderis duarum librarum inter ambos.

9. — Item cerei de ceroferariis in festivitatibus quatuor caparum, quos etiam solvere debet sacrista, debent esse ponderis trium librarum.

10. — Item debet habere et tenere sacrista, in omnibus festivitatibus quatuor caparum, coram quolibet alio altari, preterquam Beati Petri, duas candelas, ardentes in vesperis et matutinis.

Et, coram altare Beati Nicholai, in festivitatibus quatuor et duarum caparum, debet habere et tenere duas lampades et duas candelas, ardentes in matutinis, et in vesperis et in missa.

11. — Item, in festo cujuslibet altaris, et quantum durant octabe illius festi, debet sacrista habere et tenere ibidem, coram ipso altari, unam lampadem, die nocteque comtinue comburentem; et etiam unam candelam, comburentem in matutinis et in vesperis.

12. — Item, idem per omnia, ut proxime, tenetur facere in octabis Pasche, coram altari Sancti Sepulcri, et in festivitatibus Sancte Crucis.

13. — Item a festo sancti Nichomedis usque ad Carniprivium, qualibet nocte, quando conventus intrat ad completorium, tenetur sacrista tenere unam candelam, ardentem ad altare Sancti Nicholai, super candelabro ferreo, in lanterna.

14. — Item, in eodem altari, in festo quatuor et duarum caparum, debet tenere duas candelas, ardentes in duobus candelabris, ibidem positis, et duabus lanternis, in completorio et in matutinis.

15. — Item debet habere et tenere sacrista, ad altare Sancti Petri, super magna candelabra, duos cereos magnos, ponderis quinquaginta librarum inter ambos.

Et ipsos cereos tenetur renovare sacrista, quater in anno, scilicet in festo Nathalis Domini, et in Pasha, et in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli, et in festo Omnium Sanctorum.

De cereo paschali

16. — Item sacrista tenetur facere cereum paschalem ponderis triginta librarum, et candelam serpentis ponderis unius libre.

Et debent ardere ab hora benedictionis, nocte et die, usque ad diem martis sequentem, in assensu arcubii sive gache: et postmodum per octabas, singulis diebus, in matutinis, missa et vesperis, et non ultra.

De candelis in missis majoribus

17. — Item, in festis majoribus celebrandis, ubicumque celebrentur, debent ceroferarii portare duas candelas accensas, in festivitatibus novem lectionum, ponderis duorum cartayronum inter ambas: et debent ardere usque post ablutionem calicis.

Quas candelas tenetur solvere sacrista.

18. — In tribus lectionibus vero non tenetur sacrista tenere nec ardere nisi unam candelam ejusdem ponderis, et per eumdem modum, preterquam per octabas Pasche, Pentecostes, Eucaristie et beatorum apostolorum Petri et Pauli, in quibus tenetur habere et tenere duas candelas ejusdem ponderis, et per eumdem modum ardentes.

19. — Item, in festivitatibus quatuor caparum, debent esse dicte candele ejusdem ponderis.

Et si episcopus celebret quandocumque, dicte candele extingui non debent usque post missam.

De cereis ad elevationem Corporis Christi

20. — Item debet habere sacrista duos cereos ponderis decem librarum, qui debent accendi ad elevationem Corporis Christi, et postea accensi poni in candelabris fusteis, que sunt ab utraque parte altaris Sancti Petri, et ibi ardere usque post comunionem.

21. — Item tenetur sacrista tenere in quolibet altari unum cereum competentem, ponderis trium librarum ad minus, pro elevatione Corporis Christi.

De igne, de missa nova et de moconibus supra legendarios

22. — Item sacrista tenetur habere unam magnam cassam ferream, cum qua debet aportari ignis seu *braza* ardens in ecclesiam.

23. — Item, quando est missa nova, debet quilibet canonicus et conversus, et quicumque alius presens nostre fraternitatis, habere a sacrista unam candelam ad offerendum, talem qualis comuniter ponitur in candelabris parvis, et debent esse ponderis unius cartayronis.

Et debent accendi in principio misse, et ardere usque ad oblationem.

24. — Et eodem modo, in festo Natalis Domini, quando celebratur missa de luce, accenduntur dicti cerei, sicut in mandamento.

Et idem in festo Purificationis Beate Marie.

In quibus candelis et cereis sacrista providere tenetur.

25. — Item tenetur sacrista habere et ponere supra legendarios, in festivitatibus novem lectionum, novem mocones

cereos, quorum tres faciant unum palmum canne; et in tribus lectionibus, tres mocones ejusdem longitudinis.

Ad quid teneatur in sepultura canonicorum

26. — Item, quando canonicus moritur, quilibet canonicus et conversus, et alius quilibet presens nostre fraternitatis debet habere a sacrista, quando celebratur pro ipso defuncto, unam candelam similem, sicut supra dictum est in missa novi sacerdotis.

Et accenduntur dum incipit epistola, et debent per prenominatos offerri, et post oblationem extingui.

Et, in istis casibus, sacrista recuperat quod superest post oblationem de ipsis candelis.

27. — Item, quando celebratur missa in conventu pro ipso canonico defuncto, seu converso, debent ardere due lampades: et idem ad altare Sancti Nicholai, expensis sacriste; et idem in missa novi sacerdotis.

Sed si, presente conventu, predicta missa celebratur, inferius tunc ardere non debent.

De ecclesia Sancti Blasii

28. — Item, quando aliquis canonicus celebrat in ecclesia Sancti Blasii propter devotionem, debet sibi sacrista in omnibus providere, scilicet in hostiis, candelis et omnibus aliis ad celebrandum necessariis;

Et idem presbiteris ibidem celebrantibus, excepto sacerdote proprio helemosinarii, qui proprius est presbiter ipsius ecclesie Sancti Blasii.

29. — Et est sciendum quod omnes oblationes et obventiones, etiam ipsius proprii sacerdotis, debent reddi sacriste, quas recipit ille proprius sacerdos, nisi sub conditione et ad certum usum aportarentur et offerrentur; quia tunc nichil

recipit sacrista, sed debent consumi ad usum ad quem aportate et oblate fuerunt.

30. — Item, an sacrista et operarius possint infra ecclesiam vel extra questores tenere, et per quem modum, declarationi nostre duximus reservandum.

Iterum de sepultura canonicorum

31. — Item, quando aliquis canonicus claustralis, de extra mortuus, aportatur, tenetur sacrista incontinenti, quando erit infra insulam, habere et portare sex cereos vel entorticia, usque ad portale Ulmi, ponderis quinque librarum quodlibet, et tunc cerei prepositi extinguntur.

Quibus extinctis, cerei dicti sacriste predicti debent ardere continue, donec corpus hujusmodi traditum fuerit ecclesiastice sepulture, si incontinenti valeat sepeliri.

32. — Item, quando accidit quod canonicus mortuus aportatur, vel infra insulam moritur, hora sic tarda quod non potest illa die sepeliri, debet funus portari ad ecclesiam Sancti Petri, et sacrista tenetur ibi ponere quatuor cereos, qui possint sufficere, donec alii accendantur.

Et debet etiam providere de lumine pro psalteriis legendis.

33. — Preterea, si aliquis canonicus claustralis, vel frater conversus, mortuus defertur, tali hora qua tumulari non potest, tamen in ecclesia Beati Petri poni potest.

Subsacrista, expensis dicti sacriste, tenetur habere sex cereos accensos, quorum quilibet debet esse ponderis ad arbitrium prioris claustralis, qui debent ardere coram funere, presente ibidem toto conventu.

Et, facta absolutione, cum pars conventus recesserit, extinguantur predicti sex cerei, et illuminentur duo cerei, quilibet ponderis duarum librarum; quorum unus ponatur ad caput, et alius ad pedes per dictum sacristam.

Qui debent ardere usque ad missam pro defuncto celebrandam, si sufficerint; et, si non suffecerint, alii ejusdem ponderis per dictum sacristam poni debent et ardere ibidem.

34. — Si vero tali hora funus aportatum fuerit, quod in ecclesia Beati Petri poni non possit, et ideo ipsum poni opporteat in capella Sancti Blasii; vel si canonicus mortuus in infirmaria fuerit, tali hora quod opporteat ipsum poni in capella Beati Johannis, eodem modo et per eamdem formam funus illuminetur, et cerei apponantur per sacristam, sicut supra proxime dictum fuit.

Si autem hujusmodi mortuus prior fuerit, procuratores mortuorum debent in luminaribus et ceteris funeralibus providere.

35. — Item, quando aportatur funus, debet habere sacrista brasam seu prunas de furno vel de coquina comuni, accensas in una magna cassa ferrea.

Et tenetur ibidem ponere habundanter de ture, si necessarium sit propter fetorem.

35. — Item, quando pauper funus deportatur cum lodice, vel alia tenui vel vili cohopertura, tenetur sacrista ponere supra lectum hujusmodi defuncti unum pannum de cerico.

De candelis in choro

36. — Preterea sacrista tenetur ponere et tenere in cuga, que est in pulpito, quolibet die, unam candelam unius denarii.

Et in festivitatibus quatuor et duarum caparum, debet esse hujusmodi candela de cera alba.

Et de istis quantum necesse fuerit.

37. — Preterea, in diebus ferialibus, quando dicitur matutinale, debet sacrista tradere cuilibet choro candelas.

Et idem quando dicitur agenda, et quotienscumque petierint lumen, pro horis dicendis in choro.

38. — Preterea semper in prima matutinali, aliter orba, debet ponere sacrista in cuga candelam ardentem.

Et, si ipsa cuga frangatur, sacrista tenetur eam refficere, et de novo facere, si sit opus: et nedum illam, sed etiam omnes alias cugas chori.

De refectione librorum, palliorum, etc.

39. — Preterea sacrista tenetur refficere omnes libros altarium et facere ligari, et omnes alios libros, quos habet in custodia sua.

Tenetur etiam facere, ad opus altarium, pallia et mapas, et etiam tapeta pulpiti chori, et estueyras. scilicet coram altari Sancti Petri unam, et coram altari Sancti Augustini duas, et quolibet altari estueyram unam, excepto altari Beate Marie, coram quo est tapetum.

Tenetur etiam facere super altaribus pulvinaria, et ad ipsa altaria cortinas, et virgas ferreas ac ferrum, per que decurrunt ipse cortine.

Tenetur etiam facere armaria, in quibus reponuntur altarium ornamenta.

Facere tenetur etiam cohopertoria et bancalia, et bordonos chori, scilicet sex cum pomis cristalli, et duos albos de ossibus, et duos fusteos pictos inferius pro mortuis.

Tenetur etiam facere pulpitum et fenestrolia intus et extra: fenestrolium tamen, quod est in medio chori, debet cohopertum cum tapeto tenere.

Tenetur etiam facere cimbala, campanas et esquillas, magnas et parvas, ecclesie Magalone.

40. — Item tenetur facere et tenere cruces et crossas argenti et eboris, vel de osso; quarum una continue debet stare ad altare Sancti Petri, et alia ad altare Sancti Augustini, et alia juxta cathedram episcopalem chori.

41. — Item sacrista tenetur refficere sedes chori, et trabes in quibus pendent lampades, unam que est in choro, et aliam que est coram altari Sancti Petri.

Item lampades tenetur facere, manutergia chatedre episcopalis.

Item clavos, in quibus figuntur candele, quando pro canonico mortuo celebratur, et etiam quando missa nova per canonicum celebratur.

Item tenetur sacrista ponere seu poni facere barronem in yeme, in ecclesia Sancti Petri, et Sancti Pancracii et Sancti Johannis, et breviter intus et extra in ecclesiis, excepta ecclesia Sancti Blasii.

Item nertam et romarinum in vigilia Natalis Domini.

Item laurum et juncum pro fresqueria in festo Pasche.

Item juncum pro fresqueria, in festo Sancti Pancrassii, et in capella Sancti Michaelis, et in claustro, in illa parte, in qua morantur scolares.

Item tenetur sacrista facere funem, in qua pendet custodia Corporis Christi supra altare, et caxulam in qua moratur.

Tenetur etiam facere et refficere, quociens opus est, omnia que sunt infra ecclesiam et infra chorum necessaria, exceptis libris chori.

42. — Item tenetur habere, et tenere et conducere operarium, et ressarcire omnia illa que habet in sua potestate, et facere cohopertoria et cortinas de novo, tociens quociens est necesse.

Prepositus tamen et coquinarius tenentur providere operariis et ressarcitoribus in victualibus, scilicet in pane et vino prepositus, et coquinarius in aliis que pertinent ad coquinam.

Quid providere teneatur episcopo, preposito et prelatis

43. — Item sacrista tenetur providere episcopo et preposito, quociens sunt infra insulam, cuilibet de uno entorticio,

cujus residuum, si quod est, recuperare debet ipse sacrista, quando recedunt

Debet etiam providere dictis episcopo et preposito, et eorum societati ac familie, quociens sunt infra insulam, de aliis luminaribus competenter.

44. — Item debet providere de oleo in camera episcopi, pro lumine faciendo.

45. — Item omnibus aliis prelatis et magnatibus, quando veniunt, tenetur eis infra insulam de luminaribus, tam in candelis quam in entorticiis, providere.

Et istud est in in constitutionibus antiquis etiam diffinitum.

De candelis in reffectorio

46. — Item sacrista tenetur, a festo sancti Nichomedis usque ad Carniprivium, aportare in reffectorio candelas grossas, scilicet undecim, unius carlayronis quamlibet, et quinque parvas, unam reffectatorio canonico, aliam reffectatorio clerico seu converso, tres scolaribus, duas in lanternis, et unam in cuga; et illa que est in cuga, debet esse de bogia.

47. — Preterea, quando canonici habent cenare de nocte post completorium, cum prior claustral vel ejus locum tenens faciunt eis gratiam, debet sacrista eis dare cuilibet tres candelas cereas, et, secundum numerum canonicorum, debet multiplicari numerus candelarum.

Et eodem modo, quando canonici inferius cenant, et quando canonici veniunt de extra insulam et cubant inferius, debet dare cuilibet unam candelam pro camera, et plus, si fuerit eis necessarium, ultra alias statim dictas.

48. — Item, quando prior claustralis facit gratiam canonicis, de nocte, quod possint bibere post completorium, debet eis dare sacrista duas candelas, vel plus, si sit necesse,

juxta numeri canonicorum multitudinem vel etiam paucitatem.

49. — Item, quando prior claustralis facit gratiam conventui post completorium cenandi, tenetur sacrista aportare et eis dare undecim candelas grossas, consuetas aportari in collecta.

50. Item, quando episcopus est in reffectorio, hora collecte, debet subsacrista habere et ponere coram episcopo cereum ardentem, similem [illi] quem tenetur ponere in candelabris, in festivitatibus quatuor seu duarum caparum.

51. — Preterea, quando canonicus venit de extra, tenetur subsacrista, pro sacrista, dare tali canonico quatuor candelas, et plus, si sit necesse, longitudinis unius palmi; et omnes ille tales debent esse ejusdem longitudinis et grossitudinis competentis.

Quando canonicus venit de nocte, et cubat inferius, cui dare debet candelas duas, unam pro sibi necessariis petendis, et aliam pro eundo cubitum.

Quarum numerum, juxta canonicorum numerum, multiplicare tenetur, prout est consuetum.

De refectione librorum, etc. et de thure

52. — Preterea sacrista, ad preceptum prioris claustralis, tenetur ressarcire et de novo facere, si est opus, cruces, turibulos, libros cum postibus argenteis, et bassinos, et urceolos, et missarabam argenteam, ad servicium altaris Beati Petri;

Item crucem reffectorii et Crucifixum Capituli cum cortina.

53. — Item tenetur sacrista providere in altari Beati Petri et Beate Marie omni tempore, et etiam ubicumque infra insulam, quando celebratur missa conventualis, de ture albo, et ibidem est cum turibulo argenteo incensandum.

In aliis vero altaribus, de ture communi providere tenetur.

De scobolario

54. — Item sacrista tenetur habere et tenere duos homines, unum pro scobolario, et alium pro subscobolario, ad faciendum que sunt in ecclesia facienda; et ad alia extra ecclesiam facienda non tenentur.

Qui debent induere soquaniam, et debent ire calciati, quando juxta altaria vadunt, et etiam quando transeunt in conspectu conventus.

De saleria; de vitriis reparandis

55. — Item tenetur habere unam saleriam de stagno, in qua ponatur sal, quando benedicitur aqua.

56. — Preterea tenetur facere et reparare vitrias per omnes ecclesias, ecclesia Sancti Blasii duntaxat excepta.

De agenda in hieme et de canonicis inferius jacentibus

57. — Preterea, quando in yeme dicitur agenda post matutinas, non debent candele altaris Beate Marie extingui, donec agenda sit finita;

Nec in vesperis, donec vespere pro mortuis sint finite;

Nec in Quadragesima, donec letanie etiam sint finite.

58. — Item, quandocumque canonici jacent inferius in quocumque loco, causa recreandi, tenetur sacrista, quolibet die, eis dare candelas, quando vadunt cubitum, et in yeme et in estate, scilicet cuilibet unam:

Et idem, si continue inferius jacent.

Tenetur dare candelas salerio

59. — Preterea sacrista tenetur salerio dare sufficienter de candelis, taliter quod, cum canonici vel messaderii, vel alie bone persone de nocte veniunt, possint cum dicto salerio candelas habundanter invenire.

Et ipse salerius de ipsis candelis tenetur sufficienter omnibus providere, et ponere duas candelas in uno candelabro.

Et debet esse unum candelabrum inter quatuor messaderios, et inter illos qui veniunt cum defunctis, et alias persònas bonas.

60. — Preterea subsacrista, pro sacrista, tenetur ponere oleum in lampade camere dominarum, et ubicumque domine messaderie vel alie jaceant infra insulam.

Tenetur dare candelas canonicis infirmantibus

61. — Preterea, quando aliquis canonicus patitur, et est periculosa infirmitas, tenetur infirmarius habere et tenere lampades cum oleo satis in camera infirmi;

Et subsacrista, satis et sine numero de candelis, prout infirmi necessitas duxerit requirendum.

62. — Item, quando aliquis canonicus vult recipere medicinam, tenetur ei dare sacrista septem candelas prima die: et secunda, quinque; et tertia, quatuor.

Et idem tenetur facere fratribus conversis de soquania in infirmitatibus eorumdem.

De candelis in dormitorio fratrum conversorum

63. — Preterea sacrista tenetur dare, quolibet die sabbati in yeme, septem candelas, pro dormitorio conversorum fratrum laycorum, quandiu collecta fit de nocte, scilicet a festo sancti Nichomedis usque ad Carniprivium.

64. — Item, quando veniunt fratres proxime dicti de extra insulam, vel cenant de nocte, debet eis dare sacrista pro cena candelas, prout de canonicis est statutum.

65. — Item, si contingat aliquem ex canonicis. qui jacent inferius, ire ad matutinas, debet eis dare sacrista candelas. Et idem, ubicumque jaceat infra insulam et surgat et redeundo a matutinis.

Tenetur dare candelas infirmario et refectorario

66. — Preterea sacrista tenetur dare, quolibet die, duas candelas infirmario, vel bajulo suo pro eo, ipso absente vel presente, unam pro camera sua, aliam pro visitandis infirmis, sive sint ibi infirmi, sive non; et tres etiam candelas pro cena, sicut canonico uni.

Et, si ipse infirmarius infra insulam infirmatur vel accipit medicinam, tenetur sibi sacrista in luminaribus, sicut alteri canonico, providere.

67. — Item tenetur sacrista ressarcire tectum et parietes ecclesie Sancti Johannis, et totam ecclesiam et ornamenta ejusdem ecclesie, temporibus oportunis, et etiam auvannum ejusdem ecclesie, in quantum tenet ecclesia, et etiam candelabra ad ipsam ecclesiam oportuna.

Candelabra vero reffectorii prepositus reparare tenetur.

68. — Preterea subsacrista, pro sacrista, tenetur dare reffectorario canonico unam candelam in yeme, qualibet nocte, a festo sancti Nichomedis ad Carniprivium;

Et priori claustrali, idem;

Et armaserio, tempore necessitatis vel evidentis utilitatis, idem, pro libris recognoscendis.

Tres lampades ardere debent in capella Beate Marie

69. — Item in capella Beate Marie debent esse tres lam-

pades ardentes continue, nocte dieque, per totum annum: quarum duas sacrista, et unam familia illuminare tenentur.

Et, si familia defficeret, sacrista supplere tenetur, prout in litteris, super hoc confectis et in armario repositis, dicitur contineri. Quibus stetur, si poterunt reperiri.

De inventario sacristie

70. — Item, cum accidit quod sacrista vult mutare subsacristam, prior claustralis tenetur vocare canonicos, qui sciunt factum sacristie, et cum ipsis debet thesaurum ecclesie recognoscere diligenter, et alteri canonico subsacriste tradere. ut per sacristam futuro subsacriste tradatur.

Et ipse subsacrista debet claves dicti thesauri recipere de manibus prepositi, vel mandato ejusdem.

71. — Item cruces et omnia alia vasa argentea, quolibet anno, sacrista brunire tenetur, et purgare seu escurare in festo Pasche, et pluribus vicibus, si sit necesse.

72. — Item procuratores mortuorum canonicorum teneantur facere inventarium de thesauro ecclesie, in quolibet Capitulo generali, sive sint ornamenta, libri, vasa argentea, cruces et quecumque alia que sunt in custodia ipsius sacriste.

Et tale inventarium debet in sigilli armario remanere.

Et idem de inventario omnium librorum.

Tenentur etiam dicti procuratores mortuorum facere inventarium de omni alio thesauro ecclesie, libris etiam claustri et Capituli, et ceteris ecclesie ornamentis, et relationem facere in Capitulo generali, si teneatur; alioquin in synodali Capitulo sancti Luce.

Tenetur dare candelas cellarario

73. — Item tenetur sacrista dare cellarario, singulis noctibus in yeme, pro camera sua, sex candelas; et quatuor. singulis noctibus in estate. et plus, si sit necesse.

Subsacrista debet esse canonicus

74. — Item statuimus et ordinamus, quod sacrista non possit constituere subsacristam, nec subsacrista suum locum tenentem, alium seu alios quam canonicum seu canonicos Magalone.

De missa pro episcopo mortuo

75. — Item, quandocumque celebratur pro episcopo mortuo, in ejus anniversario vel aliter, tenetur sacrista ponere et habere duas candelas supra sepulcrum episcopi, que ardeant ibidem super duo candelabra, quandiu missa durat.

Et debent esse ponderis ceroferariorum quatuor caparum.

Et non debent extingui, nisi absolutione completa.

Sacrista debet esse sacerdos

76. — Item sacrista debet esse in sacerdocio constitutus.

Ad quid teneatur in adventu episcopi

77. — Item, in primo adventu novi episcopi Magalone, et cardinalis, vel alterius episcopi et archiepiscopi, quandocumque ad ecclesiam veniunt, tenetur sacrista ponere candelas supra cledas ferreas, que sunt coram altari Beati Petri, et quelibet debet esse ponderis unius cartayronis.

Et etiam debet ponere candelas parvas in arbore, sic quod tota arbor plena et munita existat.

Que candele debent ardere, donec prelatus hujusmodi oraverit.

De tapetis in Capitulo: de epacta

77. — Item tenetur sacrista solvere omnia tapeta in Capitulo necessaria, hac prima vice duntaxat excepta.

78. — Item tenetur sacrista, singulis annis, querere et facere epactam, et illam nunciare clero in festo sancti Luce.

Ad que teneatur in quibusdam festis

79. — An sacrista autem teneatur dare candelas de bogia, in signaculo candelarum Purificationis Beate Marie, et familie et aliis gentibus tunc presentibus, et quas religiosis et personis sollemnibus dare debeat, declarationi nostre duximus reservandum.

80. — Item tenetur sacrista reservare satis de candelis, benedictis die Purificationis et per conventum oblatis, et de illis in infirmaria et conversione pro morientibus providere.

81. — Item tenetur sacrista procurare et habere satis ramos, in die Ramispalmarum, ad signandum, scilicet palmam, laurum et olivam.
Et debet illos signatos custodire pro cineribus in principio jejuniorum Quadragesime faciendis.

82. — Item debet sacrista habere, in festo sancti Sixti, racemos ad benedicendum, et illos benedictos defferre in reffectorio, in prandio canonicorum, ad comedendum.

Ad que alia teneatur sacrista

83. — Item tenetur sacrista habere et in choro tenere unum ferreolum, in quo ponitur aqua benedicta, que, qualibet nocte in completorio, conventui datur.

84. — Item sacrista tenetur habere moscallos de plumis pavonum in altari Beati Petri.

85. — Item tenetur sacrista facere et refficere petronum lapideum, in quo benedicuntur ramipalmarum.

86. — Item tenetur facere et refficere pilam aque benedicte Sancti Johannis, et etiam ysopum ibidem.

Et helemosinarius, qualibet die dominica, et quociens est necesse, tenetur illam pilam aqua replere; quam aquam, in festo sancti Johannis Baptiste, infirmarius benedicere est astrictus.

87. — Item tenetur sacrista habere et ponere qualibet die, in prima matutinali, in cuga unam candelam unius oboli, et tres mocones, unum pro dormitorio, alium pro candelabro claustri, et alium pro lanternis.

88. — Item tenetur sacrista omnia altaria ad suum regimen spectantia, diebus festivis, palliis, ut moris est, adornare.

89. — Item tenetur sacrista sedes episcopales palliis ad ornare.

90. — Item tenetur sacrista habere et providere de oleo, pro crismate et oleo catechuminum conficiendis, et de vasis, in quibus teneantur et conserventur.

Episcopus vero tenetur de balsamo, annis singulis, pro crismate providere.

91. — Item tenetur sacrista habere et ponere bancalia supra scannum, extra januam chori, in quo sedet episcopus, quando celebrat vel divina audit, et duo alia similiter scanna infra chorum.

92. — Item tenetur habere et tenere manutergia de cerico, operata in capitibus, pro cathedra episcopali et ministris Sancti Petri.

93. — Item tria pulvinaria cum pluma, cohoperta de mejanello, pro ministris Sancti Petri.

94. - Item tenetur sacrista ponere, expandere et plicare, tociens quociens opus est, cortinas cericas et lineas.

De lampade altaris Beate Marie

95. — Item tenetur sacrista tenere unam lampadem ardentem in altari Beate Marie, quod est in ecclesia Beatorum Petri et Pauli, ultra alias duas lampades que ibi accenduntur et ardent.

Quam lampadem ibidem statuit et dotavit frater Bernardus, conversus Sancti Petri, de auctoritate et consensu episcopi, prepositi et Capituli Magalone.

Et. pro ipsa lampade tenenda, vinea sacristie, cum oliveto in ipsa existente, situata in parrochia Villenove, que confrontatur cum caupoleria et cum via qua itur de Villanova versus Magalonam, et a vento cum hospitali, est specialiter obligata, et generaliter omnia alia bona sacristie predicte.

Sed, pro dicta lampade, ultra unum sestarium olei olivarum, singulis annis, expendere non tenetur.

Et sic in antiquis repertum extitit documentis.

Ad que aliqui priores sacriste teneantur

Item statuendo declaramus ad que danda, facienda et solvenda alii administratores, officiarii, priores et beneficiati ipsi sacriste in perpetuum teneantur.

96. — Primo tenetur dare et solvere dicto sacriste, quolibet anno, in domo sua Montispessulani, prior de Fabricis undecim libras turonenses, scilicet in qualibet synodo centum et decem solidos.

97 — Item prior de Piniano tenetur dare et solvere, quolibet anno, in festo Nativitatis Beate Marie de septembri, dicto sacriste tria modia boni et puri vini, adportata ad suum cellarium de Montillis, suis expensis.

98. — Item prior de Cornoneterralli tenetur dare et solvere, quolibet anno, dicto sacriste, in festo sancti Petri de augusto, in Montepessulano, triginta septem sestaria boni, pulcri et meri frumenti, et terciam partem unius sestarii, adportata ad domum dicti sacriste, expensis dicti prioris, et totidem, quolibet anno, in festo Nativitatis Beate Marie de septembri.

99. — Item prior Sancti Georgii tenetur dare et solvere, quolibet anno, dicto sacriste unum modium boni, pulcri et meri frumenti, in festo sancti Petri de augusto, in domo sua Montispessulani, et etiam unum modium boni et meri vini in suo hospicio de Montillis, adportata expensis dicti prioris.

100. — Item prior de Frontiniano tenetur dare et solvere, quolibet anno, dicto sacriste unam eyminam boni olei, et aportare apud Magalonam, pro crismate faciendo, pro quo querendo ipse sacrista debet mittere in vigilia Ramispalmarum, quolibet anno.

Ad que prepositus sacriste teneatur

101. — Item, quando fiunt misericordie, sive convivia generalia, in quibus prepositus de pane conventui non providet, nisi ipse prepositus pro pane recompensationem aliunde haberet, sicut ab operario habet in festo sancti Michaelis, dictus sacrista habet et percipit, habere et percipere debet quinque panes, de illis qui ipsis diebus ipso conventui dantur.

102. — Item, quando sunt aliqui necessarii ad reparandum sive refficiendum aliqua in ecclesia pro sacrista, vel pertinens ad ecclesiam, vel in camera peyrata, prepositus et coquinarius tenentur talia facientibus providere de pane et vino, carnibus vel piscibus et aliis sufficienter, si ut uni bono hospiti.

103. — Item prepositus tenetur habere et tenere in camera subsacriste duos bonos lectos, bene munitos, ad instar illorum quos tenere tenetur pro canonicis in infirmaria, et alios duos infra ecclesiam, ubi jacent scobolarii, competentes.

104. — Item duobus clericis sacriste, non tamen questori, qui recolligunt vigilias, tempore indulgencie, prepositus de bono pane et vino, et coquinarius de competenti companatico et scutella providere tenentur.

105. — Item scobolario principali, in potu matutinali, de pane et vino conventus prepositus providere tenetur, et non aliis.

106. — Item, in festivitatibus Natalis Domini, Pasche, Pentecostes sanctorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum, et quando fiunt candele in magna quantitate, ut in dictis festivitatibus et Capitulis generalibus, prepositus et coquinarius scobolariis, ecclesiam ornantibus, mundantibus, seu candelas facientibus, de pane et vino conventus prepositus, et de coquina coquinarius competenti providere tenetur.

De hospitalitate canonicorum ad invicem

Item statuimus et ordinamus, quod canonici, administratores, officiarii, priores et ceteri beneficiati Ecclesie Magalone teneantur et debeant alios canonicos et eorum comitivam rationabilem, quandocumque et quocienscumque ad hospicia suorum prioratuum et beneficiorum declinabunt, seu iter facient per episcopatum, ubicumque vadant, rationabiliter recolligere bene et honorifice quemlibet juxta gradum.

De pontanerio

1. — Item statuimus et ordinamus, quod pontanerius, quicumque fuerit, teneatur facere et refficere pontem Magalone in perpetuum, et illam domum que est in capite pontis predicti;
Et etiam, pro pauperibus recipiendis, illum auvannum, seu porticum, qui est et esse debet ibidem ante domum predictam.

2. — Cum autem pontanerius facit fieri vel reffici dictos pontem, domum et auvannum, tenetur prepositus magistris et manobris, talia facientibus seu refficientibus, providere in pane et vino, nisi talis magister vel manobra esset continuus mercenarius dicti prepositi; quia tunc prepositus tali continuo in nullo providere tenetur.

Ad que alii pontanerio teneantur

Item statuendo declaramus que sunt illa ad que danda, facienda et solvenda annuatim alii administratores, officiarii, priores et beneficiati ipsi pontanerii teneantur.

3. — Primo tenetur prepositus dare et solvere dicto pontanerio, singulis annis, duo sestaria bladi, cujus due partes debent esse frumenti, et tercia ordei.

4. — Item sacrista, duo sestaria similis bladi.

5. — Item prior Sancte Eulalie de Valle, duo sestaria similis bladi.

6. — Item prior Sancti Firmini, duo sestaria.

7. — Item prior de Lunello novo, duo sestaria.

8. — Item prior de Lunello veteri, unum sestarium.

9. — Item vestiarius, duo sestaria.

10. — Item prior Sancti Dionisii de Montepessulano, unum sestarium.

11. — Item prior Sancti Marcelli, unum sestarium.

12. — Item prior de Montearbedone, unum sestarium.

13. — Item prior de Perolis, unum sestarium.

14. — Item prior de Ozorio, unum sestarium.

15. — Item prior de Senteranicis, unum sestarium.

16. — Item prior Sancti Dyonisii de Genesteto, unum sesrium.

17. — Item prior de Maurino, unum sestarium.

18. — Item prior de Frontiniano, unum sestarium.

19. — Item prior Beate Marie de Aquis, unum sestarium.

20. — Item prior de Fabricis, unum sestarium.

21. — Item prior de Piniano, unum sestarium.

22. — Item prior de Veyruna, unum sestarium.

23. — Item prior ecclesie Beate Marie de Lundris, unum sestarium.

24. — Item prior Sancti Vincentiani, unum sestarium.

25. — Item prior Sancti Andree de Bodia, unum sestarium.

26. — Item prior Sancti Desiderii, unum sestarium.

27. — Item prior de Castronovo, unum sestarium.

28. — Item prior de Novisgentibus, unum sestarium.

29. — Item helemosinarius, unum sestarium.

30. — Item infirmarius, unum sestarium.

31. — Item prior de Soregio, unum sestarium.

32. — Item prior de Sauzeto, unum sestarium.

33. — Item prior de Castriis, unum sestarium.

34. — Item prior de Venranicis, unum sestarium.

35. — Item prior de Cornoneterralli, unum sestarium.

36. — Item prior de Claperiis, unum sestarium.

37. — Item prior Beate Marie de Tabulis, duo sestaria.

38. — Item prior Sancti Johannis de Bodia, unum sestarium.

De quartone et synodo dandis episcopo per canonicos et alios priores

Item, omissis hiis que debent dari et fieri Magalone, per prepositum, coquinarium, sacristam et alios, administrationes, officia, prioratus et beneficia habentes, episcopo Magalone, cum est infra insulam, statuendo declaramus synodos, cartones et usatica, ad que danda et solvenda prefati administratores, officiarii, priores et beneficiati dicto episcopo, annis singulis, teneantur.

1. — Primo tenetur vestiarius dare et solvere, quolibet anno et in qualibet synodo, episcopo, pro cartone, XXV solidos.

2. — Item prior de Fabricis, pro cartone in qualibet synodo, decem solidos, et, pro synodo, tres denarios.

3. — Item prior de Salsano, X solidos.

4. — Item prior Sancti Egidii de Fisco, pro cartone in qualibet synodo, sex libras cere, et pro synodo tres denarios in qualibet synodo.

5. — Item prior de Cornone et de Gazaligiis, in qualibet synodo decem solidos.

6. — Item prior de Sancto Firmino, pro cartone in qualibet synodo, XXX solidos, et pro synodo novem denarios.

7. — Item prior de Tabulis, pro cartone in qualibet sy-

nodo, et, pro usatico, tres solidos V denarios cum obolo.

8. — Item prior de Soregio, pro cartone in qualibet synodo, decem solidos, et, pro synodo, tres denarios.

9. — Item prior Sancte Marie de Lundris, in qualibet synodo pro cartone, decem solidos, et, pro synodo, duos solidos et XI denarios.

10. — Item prior de Sancto Georgio, pro synodo decem et septem denarios, in qualibet synodo.

11. — Item prior de Piniano, pro synodo decem et septem denarios in qualibet synodo.

12. — Item prior de Aquis, pro synodo et in qualibet synodo, novem denarios.

13. — Item prior de Frontiniano, in qualibet synodo, tres denarios.

14. — Item prior Sancte Eulalie de Valle et de Vico, in qualibet synodo, novem denarios.

15. — Item prior de Maurino, in qualibet synodo, decem et septem denarios,

16. — Item prior de Cocone, in qualibet synodo, novem denarios.

17. — Item prior de Centeranicis, in qualibet synodo, novem denarios.

18. — Item prior Sancti Dyonisii de Montepessulano, in qualibet synodo, novem denarios.

19. — Item prior de Gornerio, in qualibet synodo, X et IX denarios cum obolo.

20. — Item idem prior, in synodo paschali, novem furcas fusteas.

21. — Item prior Sancti Johannis de Bodia, in qualibet synodo, tres solidos et novem denarios.

22. — Item prior Sancti Andree de Bodia, in qualibet synodo, tres solidos et decem denarios.

23. — Item prior de Yssansaco, in qualibet synodo, novem denarios, et, in synodo paschali, V palas fusteas.

24. — Item prior de Claperiis, in qualibet synodo, septem denarios.

25. — Item prior de Sustantione, in qualibet synodo, X et VII solidos.

26. — Item prior de Castriis, in qualibet synodo, III solidos et III denarios.

27. — Item prior ecclesie de Novicio, in qualibet synodo, quinque solidos.

28. — Item prior de Lunello novo, in qualibet synodo, tres denarios

29. — Item prior de Lunello veteri, in qualibet synodo, quinque solidos.

30. — Item prior de Capreriis, in qualibet synodo, duodecim denarios.

31. — Item prior Sancti Dyonisii de Genesteto, in qualibet synodo, decem et septem denarios.

32. — Item prior de Balhanicis, in qualibet synodo, XII denarios; et, quolibet anno, capelle episcopali Sancti Blasii de Melgorio, octo sestaria frumenti et alia octo sestaria ordei.

33. — Item prior de Molinis, in qualibet synodo, pro cartone, quinque solidos, et, pro synodo, alios quinque solidos.

34. — Item prior de Venranicis, in qualibet synodo, quinque solidos.

35. — Item prior de Ozorio, in qualibet synodo, sex solidos.

36. — Item prior de Sancto Marcello, in qualibet synodo, sex solidos.

37. — Item prior de Montearbedone, in qualibet synodo, decem et novem denarios, et, pro usatico, quolibet anno, decem denarios.

38. — Item prior de Novisgentibus, in qualibet synodo. quinque solidos.

39. — Item prior de Sancto Bricio, in qualibet synodo, duodecim denarios.

De funeralibus et legatis defnnctorum Magalonam deportatorum

Item, cum aliquibus temporibus fuerit esitatum, inter prepositum ex una parte, et coquinarium, qui procurator mense dicitur, ex altera, super funeralibus et legatis defunctorum eis pertinentibus, quomodo et qualiter spectarent ad quemlibet eorumdem, et super his extet publicum instrumentum, statuimus et ordinamus, quod illi instrumento habeat stare, et illud effectum suum obtineat inconcusse.

Et, ne de ipso instrumento in posterum dubitetur, illud jussimus presentibus statutis nostris inseri.

Et ejus tenor dinoscitur esse talis:

In nomine Domini. Amen. Anno Incarnationis ejusdem millesimo ducentesimo vicesimo quinto, nono kalendas junii, noverint universi et singuli, hanc presentem paginam inspecturi, quod controvercia erat inter dominum Johannem de Montelauro, prepositum Magalone ex una parte, et Guillelmum de Nuceto, procuratorem mense dominorum, ex altera.

Dicebat enim dominus prepositus omnia legata generalia, que cum mortuis apud Magalonam ferebantur, ad ipsum, sine dubitatione, pertinere.

Et contra, Guillelmus de Nuceto, procurator mense dominorum, dicebat omnes denarios, qui cum mortuis Magalonam ferebantur, ad ipsum precise pertinere.

Et de hac controversia compromiserunt se facturos et recepturos quicquid Bernardus de Sancto Egidio prior claus-

tralis, et Bernardus de Putheolis cellararius, et Raimundus de Lundris, operarius Magalone. et Guillelmus Ermengaudi prior Sancti Vincenciani, Deum habentes pre oculis, componerent et diffinirent, allegationibus visis et auditis, et diligenter inspectis ab utraque parte.

Ita dicti arbitri amicabiliter diffinierunt, quod, quando cum mortuis decem solidi, aut minus decem solidis, Magalonam allati fuerint, cum omni integritate procurator mense dominorum recipiat.

Si forte summa, ultra decem solidos usque ad quinquaginta solidos, forte cum mortuis allata Magalone fuerit, primo receptis decem solidis a procuratore mense dominorum, quicquid residuum [fuerit], inter dominum prepositum et dictum procuratorem. equis portionibus, dividatur.

Si vero summa ultra quinquaginta solidos cum mortuis quocumque modo Magalone allata fuerit, prepositus cum omni integritate recipiat. ita quod procurator nullam partem ibi habebit.

Sed, si forte aliqua summa pecunie, etiam dimissa, in testamento alicujus, mense dominorum, pro missis celebrandis, Magalone allata fuerit, receptis primo decem solidis a procuratore, residuum, sicut superius dictum est, equis portionibus dividatur.

Si vero retia, sagimen, vel carnes, aut oleum, aut bladum, vel vinum, pro missis celebrandis Magalone venerit, receptis decem solidis a procuratore mense, residuum, sicut superius dictum est, equis portionibus dividatur.

Arma vero et equitaturas, et alia animalia, prepositus cum omni integritate recipiat.

Acta sunt hec omnia, anno et die quibus supra, in presencia et testimonio dictorum arbitrorum et Deodati, canonici ejusdem Ecclesie Magalone, qui jussus hec omnia scripsit.

De novis canonicis

Item statuimus et irrefragabiliter in perpetuum ordinamus, quod quilibet receptus in Magalone canonicum, et omnes et singuli in futurum recipiendi, die qua induent seu recipient nostrum habitum, in suo novo ingressu dare et apportare Magalone ecclesie unum pannum aureum, usque ad valorem centum et viginti turonencium argenti, bone legis et recti ponderis, teneantur, pro faciendis capis et aliis ornamentis infra Magalone ecclesiam divino obsequio deputatis, et etiam deputandis; quorum custodiam deputato et deputando custodie thesauri dicte ecclesie duximus comitendam.

De obligatione servandi statuta

Item statuimus et ordinamus, quod, cum propter connexitatem administrationum, et officiorum ac beneficiorum predictorum, vel alia onera singulis incumbencia, aliqua sint permixta, et in singulis titulis specialibus non inscripta, sed sub titulis aliorum ubicumque et qualitercumque posita et inscripta fuerint. nichilominus tamen effectum suum et efficaciam habeant, prout scripta et ordinata noscuntur.

Item statuimus et ordinamus quod, si dicti administratores, officiarii, priores et beneficiati. et ceteri Magalone canonici, ad alia onera, pro seu in Magalone ecclesia supportanda, quam superius scripta sunt, teneantur, vel teneri quandocumque et quomodocumque appareret seu apparuerit in futurum, vel ex natura suarum administrationum, officiorum, prioratuum et beneficiorum, aut aliter, de consuetudi-

ne, usu vel de jure, cum omnium habere memoriam pocius divinitatis quam humanitatis existat, nichilominus tamen ad onera non scripta superius hujusmodi supportanda adeo singuli teneantur, ac si statuta scripta et ordinata fuissent, predictis statutis, ordinationibus, declarationibus, et aliis suprascriptis non obstantibus quibuscumque.

Item statuimus et in perpetuum irrefragabiliter ordinamus, et in pactum deduci volumus et mandamus, quod adversus predicta statuta, declarata, ordinata, et infra recognita, vel aliquod eorumdem, ulla contraria possessio, non usus, desuetudo vel prescriptio currat vel possit currere vel allegari etiam in futurum, etiamsi allegaretur tanti temporis prescriptio, possessio, non usus vel desuetudo, quod in contrarium memoria non existat, vel centenaria aut quevis alia que posset dici, allegari, opponi, cogitari vel interpretari aliquo quovis modo;

Ymo quodlibet officium, administratio, prioratus et beneficium, ex predictis et pro ipsis persone quibus fuerint assignata, ad illa exhibenda, facienda, danda et solvenda, ac etiam libere, sine contradictione qualibet, supportanda, remaneant perpetuo efficaciter obligati et obligata, nisi per episcopum, prepositum et Capitulum in generali Capitulo, et non alibi, de comuni consensu aliud contingeret ordinari; de qua ordinatione constaret per publicum aut publica instrumentum vel instrumenta, in ipso generali Capitulo sumpta et comuni concordia recitata.

Item volumus, statuimus et ordinamus, quod de predictis omnibus et singulis fiant publicum seu publica instrumenta per infrascriptum notarium, de omnibus universaliter, seu de singulis singulariter, tociens quociens ad instanciam quarumcumque personarum, etiam quarum non intersit, fuerit requisitus.

Confirmatio statutorum

Quibus omnibus et singulis, ut supra scripta sunt, rite peractis, prefati administratores, officiarii, priores et beneficiati, et alii superius nominati, prout tangit singulos eorumdem et sua beneficia supradicta, confessi fuerunt et recognoverunt prefato domino episcopo, et michi notario infrascripto, tanquam publice persone stipulanti et recipienti, auctoritate dicti domini episcopi, judicis ordinarii in hac parte pro Magalone ecclesia, et omnibus illis et singulis, quorum interest, intererit, vel poterit quomodolibet interesse, nomine dictorum officiorum, administrationum, prioratuum et beneficiorum, teneri et velle teneri in perpetuum ad danda, facienda et solvenda omnia et singula, que superius ipsorum singulis statuta, declarata, imposita et ordinata, et prout statuta, declarata, imposita, seu aliter quomodolibet ordinata fuerunt.

Pro quibus omnibus et singulis tenendis, servandis, faciendis, dandis, solvendis et supportandis, libere, et sine contradictione qualibet, per se et successores suos, se et dictas administrationes, officia, prioratus, et beneficia sua, et eorum bona, presencia et futura, obligaverunt et efficaciter astrinxerunt, iterata stipulatione predicta;

Ipsaque omnia et singula suprascripta laudaverunt predicti domini Capitulum facientes, singulariter singuli, et generaliter universi, approbaverunt, ratifficaverunt et confirmaverunt, et per pactum expressum sollempni et valida stipulatione vallatum, verbis expressis sibi ad invicem singuli singulariter ipsi Capitulo, et omnes generaliter universi dicto domino episcopo et michi dicto notario, ut supra stipulantibus et recipientibus, tenere, servare, complere, et contra non venire de jure vel de facto, per se seu per alium vel alios, verbo, nutu vel opere, aut aliqua juris seu facti

interpretatione, seu contrario privilegio impetrato vel impetrando, aut alio quovis modo, sub restitutione dampnorum, expensarum et interesse, et sub efficaci obligatione omnium et singulorum eorum et administrationum, officiorum, prioratuum et beneficiorum suorum, promiserunt et convenerunt ac juraverunt per bonam fidem plevitam et requisitam, sub omni et qualibet renunciatione juris, ad hec necessaria pariter et cautela.

Quam renunciationem generalem in singulis casibus occurrentibus adeo valere voluerunt ac si expresse renunciatum esset juri vel rationi in contrarium facienti, renunciantes juri dicenti generalem renunciationem non valere de jure.

Acta, statuta, ordinata, recitata, declarata, recognita, facta et obligata, renunciata et alias acta fuerunt hec in dicto Capitulo generali, inter duas dies ad hec continuatas, videlicet quarta et quinta die novembris, anno Dominice Incarnationis millesimo tricentesimo tricesimo primo, domino Philippo Francorum rege regnante, et dicto domino Johanne, Magalonensi episcopo divina providencia, presidente, testibus vocatis domino Petro Pellagalli de Montillis, Magalonensis, Bernardo Macelli de Castanholis, Nemausensis dyocesium, ecclesiarum prioribus. Raimundo Guillelmi de Fabrezano, clerico et camerario dicti domini episcopi, et me Guillelmo Clari, notario publico regio et dicti domini episcopi, ac speciali dicti Capituli, qui predicta omnia et singula in notam recepi rogatus et requisitus, ac stipulatus fui, ut superius continetur.

Hoc presens instrumentum, in XIIII^cim^ pellibus pergameni conglutinatis contentum, ego dictus Guillelmus Clari, notarius publicus, in notam recepi, et de ipsa nota sumi et extrahi feci per Petrum Galterii, scriptorem meum juratum, ipsumque instrumentum cum dicta nota, ut melius et fidelius potui, correxi; et constat michi de rasuris (*suivent 15 lignes pour indiquer les ratures*), et in premissorum om-

nium fidem et testimonium, ego, dictus Guillelmus Clari, hic me subscripsi et signavi solito signo meo.

(Reg. B, fol. 272 r°).

L'édition Germain donne, au lieu du dernier paragraphe, celui qui suit:

Predicta statuta fuerunt cum originalibus correcta per me Guillelmum Clari notarium, una cum magistro Petro Galterii, notario meo, super hiis substituto, presentibus, videntibus et audientibus venerabilibus viris dominis Guillelmo Petri de Agantico et Bernardo Capitis probi hominis canonicis Magalone, XXVI[a] die augusti, anno Domini M° CCC° XXX° III°.

Le reg. E, fol. 40, contient, en plus du début, quelques articles, concernant les devoirs des chanoines envers l'évêque. Il nous paraît inutile de les reproduire.

MCXLII. — 10 novembre 1331

Accord entre l'évêque et les consuls de Balaruc, au sujet de la juridiction de certains territoires.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Amen. Anno salutifere Incarnationis ejusdem millesimo trecentesimo tricesimo primo, videlicet decima die novembris, domino Philippo rege Francorum regnante, et reverendo in Christo patre domino Johanne, Dei gratia Magalonensi episcopo, presidente, noverint universi... quod, orta materia questionis et questionum inter homines universitatis castri de Balasuco, Magalonensis diocesis, ad dictum dominum episcopum in solidum pertinentis, et ipsam universitatem ex parte una: et procu-

ratores ac gentes prefati domini Magalonensis episcopi, comitis Melgorii et Montisferrandi, et dicti castri de Balasuco, et pro ipso domino episcopo, ex parte altera:

Super eo videlicet quod dicta universitas et homines ejusdem dicebant et asserebant dictum dominum episcopum et comitem. seu procuratores aut gentes suas, ultra debitum, dedisse et concessisse, in acapitum seu in emphiteosim. pluribus et diversis personis, de quodam territorio et terris ejusdem, vocato vulgariter *Puech Meja*[*n*], situato infra jurisdictionem et districtum dicti castri de Balasuco, confrontato ex una parte cum via publica, qua itur de Balasuco versus Frontinianum: ex alia cum via publica qua itur de Balasuco ad ecclesiam Beate Marie de Aquis: et protenditur dictum territorium usque ad locum communiter appellatum *los Croses*, et usque ad crucem vocatam de Aquis. ex alia parte cum honore ecclesie de *Nieuts*;

Ex eo et pro eo quia dicta universitas et homines ejusdem dicebant et asserebant dictum territorium pertinere et pertinere debere ad ipsam universitatem, et ipsam universitatem illud tenere et ab antiquo tenuisse in emphiteosim a dicto domino episcopo et comite, et predecessoribus suis, sub censu annuo quatuor sestariorum ordei:

Et propterea, cum idem dominus episcopus seu ejus predecessores jus utilis dominii, quod habebant in dicto territorio, alienassent in dictam universitatem, ipse seu ejus gentes dare seu concedere in acapitum seu in emphiteosim terras dicti territorii non poterant nec debebant:

Ymo ipsorum acapitorum datio et concessio ad ipsam universitatem pertinere debebat.

Prefato domino episcopo et gentibus suis in contrarium asserentibus et dicentibus ipsum dominum Magalonensem episcopum, seu ejus predecessores, nunquam dedisse nec concessisse dictum territorium de Podio Mejano in acapitum seu in emphiteosim dicte universitati, sed duntaxat usum

nudum et explecham ejusdem, salvo sibi jure et Ecclesie Magalonensi, quod terras ipsius territorii possent in acapitum seu in emphiteosim concedere quibus vellent;

Et presertim, quia dicta universitas, seu major pars ejusdem, ad hoc expresse concenserat, ut apparere (= apparet) per quamdam informationem, factam tempore domini Andree, bone memorie episcopi Magalonensis, predecessoris domini Magalonensis episcopi hodie presidentis, scriptam per dominum Durantum Catherini, notarium publicum.

Item super eo quod dictus dominus episcopus seu ejus gentes dicebant et asserebant quod dicta uiversitas seu consnles ejusdem, ejus nomine, in prejudicium dicti domini episcopi et Ecclesie sue, dabant et dederant in emphiteosim terras cujusdam alterius territorii vocati *lo Raust*, scituati infra jurisdictionem et districtum castri predicti de Balasuco, cum talia facere non ad ipsam universitatem, set ad ipsum dominum episcopum pertineret.

Dicta universitate, seu consulibus ejusdem pro ea dicentibus se id posse licite facere, dummodo in rebus emphiteotecariis, per ipsos datis et dandis, retineretur directum dominium, consilium et laudimium dicto domino episcopo et Ecclesie sue, et ad usaticum seu censum universitati predicte, et prout dicte universitati olim concessum fuisse dicebant per predecessores domini episcopi supradicti.

Et ad docendum de jure dicte universitatis, consules ejusdem quoddam instrumentum, prima facie publicum, scriptum et signatum, ut in eo legebatur, manu Stephani Catalani, condam notarii publici de Gijano et de Balasuco, sub anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo, et nono kalendas augusti, in modum produxissent.

Tandem super predictis questionibus, et ad eas pertinentibus seu dependentibus ex eisdem, prefatus dominus episcopus et comes, ex parte una; et Guillelmus Bonnerii ac Thomas

Sabaterii, de Balasuco consules, et consulario nomine universitatis hominum dicti castri de Balasuco, ex parte altera, cum consilio et concensu Guillelmi Rotberti, Raimundi Capolatoris et Johannis Bonerii, consiliariorum suorum ibidem presentium, quod nos dicti consiliarii asserimus fore verum, post varios et diversos tractatus, convenerunt, composuerunt et transhegerunt amicabiliter in hunc modum:

In primis convenerunt... quod omnia et singula acapita et emphiteoses data et concessa, usque ad presentem diem, per dictum dominum episcopum et ejus predecessores, seu procuratores aut gentes eorum, de terris aut possessionibus predicti territorii dicti Podii Mejani, quibuscumque personis, valeant et teneant irrevocabiliter, prout et secundum quod illa data et concessa fuerunt.

Et quod dicti consules seu universitas dicti castri emphiteotas non molestent, nec interpellent de cetero; sed ipsos permittant libere et pacifice possidere: et quod perpetuo nichil possent habere vendicare vel petere in eisdem.

Item convenerunt... quod dictus dominus episcopus seu ejus successores, aut procuratores seu gentes ipsorum non possint nec debeant ex nunc amplius dare in acapitum seu in emphiteosim, de terris et possessionibus territorii supradicti.

Item convenerunt... quod dicti consules et eorum successores, pro dicta universitate, terras et possessiones dicti territorii de Podio Mejano, restantes adhuc ad dandum et concedendum, in acapitum seu in emphiteosim dare et concedere possint, dare et concedere teneantur, et ad id efficaciter sint astricti, in acapitum seu in emphiteosim, personis habitantibus castrum et jurisdictionem de Balasuco, et non aliis forensibus, cum consilio tamen et laudimio ejusdem domini episcopi, et etiam retento dicto domino episcopo et ejus successoribus, et sue Ecclesie Magalonensi, in et super ipsis rebus, terris et possessionibus in acapitum seu emphi-

teosim datis et concessis, si que sunt, dandis et concedendis per ipsos consules, nomine dicte universitatis, de dicto territorio de Podio Mejano, directo dominio, consilio et laudimio, prelatione et jure laudandi, sic quod dictis consulibns et universitati nuda perceptio usaticorum seu censuum, inibi per ipsos retinendorum, pertineat, pertinere debeat pleno jure; et dicto domino episcopo et ejus successoribus, dictum directum dominium, consilium et laudimium, et jus et auctoritas laudandi.

Item convenerunt... quod dictus dominus episcopus seu ejus successores nichil juris sibi valeant vendicare, pretextu dicte informationis et concensus, que dicuntur fuisse facta, tempore dicti domini Andree, Magalonensis episcopi, per dictum dominum Durantum Catherini; ymo, illis non obstantibus, custcdiatur et servetur, ut superius est expressum. Et si aliquod jus, pretextu dictorum informationis et concensus, fuit dicto domino episcopo adquisitum, illud remisit dictis consulibus, nomine universitatis predicte.

Pro ista tamen remissione, dicti consules, pro dicta universitate, promiserunt et convenerunt dare et solvere, et ex causa hujus compositionis et transactionis, dicto domino episcopo quinquaginta libras turonensium parvorum, solvendas ad suam omnimodam voluntatem.

Item convenerunt.., super territorio predicto, vocato *del Raust*, scituato infra jurisdictionem et districtum dicti castri de Balasuco, quod omnia et singula acapita, olim data et concessa per dictam universitatem, seu consules de eadem, de terris et possessionibus ipsius territorii, quibuscumque personis dicti castri et ejus districtus, retentis tamen in eis et eorum singulis directo dominio, consilio et laudimio et jure laudandi dicto domino episcopo et sue Magalonensi Ecclesie, valeant et teneant;

Et etiam quod dicta universitas, seu consules ejusdem pro ea, possint dare et teneantur id quod comode coli poterit, ad acapitum seu in emphiteosim, terras dicti territorii de

Raust ad culturam, retentis tamen dicto domino episcopo et sibi semper salvis in eisdem directo dominio, consilio et laudimio, prelatione et jure laudandi, usque ad confrontationes infrascriptas exclusive dumtaxat, et non ultra.

Ymo, id quod est ultra, spectet ad dictum dominum episcopum pleno jure, videlicet prout dictum *Raust* limitatur et protenditur a pede portus de Balazuco ex parte ventus (= venti) maris, dirigendo versus sircium, usque ad finem ultime rei emphiteotecarie, seu finem ultime terre in acapitum date de dicto territorio, per consules memoratos; et deinde recte dirigendo et respiciendo usque ad locum dictum Gulam Avene, terminandum et limitandum per procuratorem domini episcopi supradicti.

Item convenerunt.... quod dicta universitas, et dicti consules pro ea, habeant et teneant, habere et tenere debeant in acapitum et in emphiteosim a dicto domino episcopo et comite, et ejus successoribus imperpetuum, usatica, census et cetera bona et jura, que habent et habebunt qualitercumque in et super dicto territorio, dicto Podio Mejani, sub ejus directo dominio, consilio, laudimio, prelatione et consueto censu annuo, dicto domino episcopo et ejus successoribus imperpetuum exsolvendo;

Et etiam census, usatica, et cetera bona et jura que habent et habebunt qualitercumque in et super territorio vocato *lo Raust* sub ejus directo dominio, laudimio, et consilio, prelatione et censu seu usatico consueto;

Et quod cum predictis et salvis predictis, sit pax et finis perpetuus inter partes predictas super omnibus et singulis supradictis.

Quam quidem transhactionem et omnia alia et singula supradicta, dicte partes laudaverunt, approbaverunt et confirmaverunt, et eam se tenere, servare, complere et contra non venire de jure vel de facto, verbo vel opere, sub efficassi ypotheca et obligatione omnium bonorum et jurium suorum, presentium et futurorum, pro omnibus et singulis

dampnis, gravaminibus et expensis solvendis, reddendis et restituendis per partem aliquid in contrarium facientem, promiserunt et convenerunt, mutua stipulatione interveniente, videlicet dictus dominus episcopus per fidem suam, et dicti consules per sancta quatuor Dei evangelia, per ipsos corporaliter tacta, sub omni juris renunciatione, ad hec necessaria, pariter et cauthela.

Item, eadem die ac incontinenti, nos, Guillelmus Monerii et Thomas Sabbaterii, consules universitatis hominum castri de Balasuco, de consilio et voluntate Guillelmi Robberti, Raimundi Capolatoris et Johannis Bonerii, consilariorum nostrorum, quod nos dicti Guillelmus Robberti, Raymundus Capolatoris et Johannes Bonerii consiliarii verum esse fatemur, per nos et nomine consiliario dicte universitatis, et singulorum de eadem, et successorum nostrorum et eorum, requisiti per vos, dictum dominum nostrum episcopum et comitem, de infrascripta recognitione, bene, legaliter et legitime facienda, scimus, confitemur et recognoscimus nos, consulario nomine quo supra, et dictam universitatem habere et tenere, habuisse et tenuisse, habere et tenere velle a vobis, dicto domino nostro episcopo et comite, et Ecclesia vestra Magalonensi, in acapitum seu in emphiteosim, quoad usum et explecham et jura infrascripta, terras, possessiones et pascua et alia bona infrascripta, sub pactis, modis, formis, retentionibus, usaticis et conditionibus infrascriptis.

Primo videlicet quoddam territorium, vocatum Podium Mejani, cum ingressibus, egressibus, stipitibus, arboribus et aliis suis juribus et pertinentiis universis.

Item quoddam aliud territorium, vocatum Moleria de Aquis, cum suis juribus et pertinentiis quibuscumque.

Item aliud territorium vocatum communiter Moleria de *Nieuts*, cum suis etiam juribus et pertinentiis universis.

Item quoddam aliud territorium, superius nominatum, et prout superius est expressum et limitatum, vocatum com-

muniter *lo Raust*, cum suis juribus et pertinentiis quibuscumque.

Item aliud territorium, vocatum Moleria de *Colobras*, et aliud territorium, vocatum Moleria de *Valras* cum suis juribus et pertinentiis quibuscumque.

Item quoddam aliud territorium, dictum Podium Johannis, et aliud territorium, vocatum Besuche, cum suis juribus et pertinentiis quibuscumque.

Et generaliter omnia alia et singula pascua et patua communia universitatis predicte, in quibus omnibus et singulis dictus dominus episcopus et comes habet, et sui predecessores habuerunt, et ejus successores habebunt omnem altam et bassam jurisdictionem, merum et mixtum imperium, ac directum dominium, consilium et laudimium, et usaticum seu censum annuum, sibi et suis successoribus singulis annis solvendum, videlicet viginti cestaria ordei.

Quem censum seu usaticum vobis et successoribus vestris solvemus et solvere promittimus, singulis annis, termino consueto, sub obligatione efficassi omnium et singulorum bonorum et jurium predictorum, quantum spectant ad dictam universitatem, et aliorum bonorum dicte universitatis presentium et futurorum.

Et est sciendum quod predictas terras, territoria et bona, salvis predictis in dicta transhactione contentis, vos prefatus dominus noster episcopus et comes, et vestri successores potestis et poterunt dare in acapitum seu in emphiteosim, non obstante jure dicte dicte universitatis spectanti, exceptis ribatgio stagni, et omnibus Moleriis supradictis, et exceptis dicto Podio Mejani et dicto *Raust*, nisi prout in transhactione superius continetur.

Que omnia exceptata nos, dicti consules et successores nostri, nomine dicte universitatis, seu dicta universitas poterit dare in acapitum seu in emphiteosim, cum consilio tamen et laudimio domini nostri episcopi supradicti, ita videlicet quod ea omnia, que data seu concessa sunt vel fuerunt in acapitum seu in emphiteosim per nos dictos consules aut successores nostros, consules dicte universitatis, seu per

ipsam universitatem, teneantur per emphiteotas quibus data aut concessa fuerunt, sub directo dominio, consilio et laudimio vestri, domini nostri episcopi supradicti et successorum vestrorum.

Et totiens quotiens alienabuntur, ad vos, dictum dominum nostrum episcopum, et successores vestros spectabit jus laudaudi et laudimium pleno jure; ad nos tamen et futuros successores nostros, consules dicte universitatis pro dicta universitate, et ipsi universitati spectabunt census et usatica que ibidem retenta jam sunt et fuerunt in futurum, in datione et concessione ipsorum bonorum in emphiteosim facta et facienda.

Que quidem usatica sive census nos etiam et successores nostri, et ipsa universitas tenemus et tenere confitemur, ac tenebimus sub directo dominio. consilio et laudimio vestri, domini nostri episcopi antedicti, in emphiteosim seu in acapitum. et sub usatico dictorum viginti sestariorum ordei, vobis et successoribus vestris dando et solvendo singulis annis.

Acto etiam quod nos et successores nostri, futuri consules, et ipsa universitas teneamur dare et concedere in acapitum seu in emphiteosim dictum Podium Mejanum, et de dicto *Raust* quantum coli comode poterit, cum consilio vestri, domini nostri episcopi supradicti; et ad id cogi possimus per vos et gentes vestras, et vestros successores juxta transhactionem superius factam.

Et ita predicta omnia et singula fore vera constanter asserimus, ipsaque sic tenere, servare, complere et contra non venire, de facto vel de jure, vobis, dicto domino nostro episcopo, promittimus et convenimus per fides nostras plevitas et requisitas, sub omni renunciatione juris ad hec necessaria pariter et cauthela.

Et nos. dominus Johannes, Dei gratia Magalonensis episcopus supradictus, predicta fore vera cognoscentes et ea acceptantes. laudamns, approbamus et confirmamus vobis dic-

tis consulibus, nomine dicte universitatis, omnia et singula supradicta, salvo in aliis jure nostro et in omnibus alieno.

Acta fuerunt hec Grabellis, in camera domini vestiarii Magalonensis, testibus presentibus vocatis Guillelmo de Lauduno vestiario, Bernardo de Texeriis Beate Marie de Tabulis, Johanne de Viridisicco Sancti Egidii de Fisco, Guillelmo Fulci de Castronovo, Bernardo de Texeriis de Ballanicis, ecclesiarum prioribus, canonicis Magalonensibus, dominis Guillelmo de Thesio de Sussanicis. Petro de Campomalo de Valhauquesio, ecclesiarum rectoribus, magistro Poncio Berengarii jurisperito, et magistro Guillelmo Clari, notario publico regio et dicti domini episcopi, qui, requisitus per utramque dictarum partium, hec omnia in notam recepit et scripsit.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. F, fol. 227 r° et 231 v°; édité en partie par Germain dans *Privilèges et Franchises de Balaruc*, pièc. just., V).

MDCXLIII. — 16 novembre 1331

Transaction entre l'évèque et le seigneur de Ganges au sujet de Cazilhac.

Anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo tricesimo primo, scilicet decima sexta die novembris, domino Philippo rege Francorum regnante, noverint universi quod, orta materia questionis inter reverendum in Christo patrem dominum Johannem, Dei gratia Magalonensem episcopum, comitem Melgorii et Montisferrandi, condominumque de Cassilhaco prope Aganticum, ex una parte; et nobilem virum Raimundum Petri, dominum de Agantico, et condominum ejusdem loci de Cassilhaco, ex parte altera;

Super eo videlicet quod dictus dominus Agantici dicebat et asserebat institutionem, destitutionem, correctionem et punitionem hospitalarii hospitalis et leprosarie, et reclusure et recluse ville Agantici ad se pertinere.

Item super eo quod dictus dominus de Agantico dicebat et asserebat totum flumen Eravi esse infra jurisdictionem suam altam et bassam pro villa Agantici: et ideo ipsum posse facere et tenere, ut sui predecessores fecerunt, devesum in dicto fluvio piscium, et a parte Agantici et a parte castri de Cassilhaco, videlicet a loco dicto Barbionaria usque ad decursum aque molendinorum suorum.

Item super eo quod dictus dominus de Agantico dicebat et asserebat se habere et tenere posse devesum ciregrillorum in vigeria sua, ex parte dicti castri de Cassilhaco, et punire venantes ibidem.

Item super eo quod dictus dominus de Agantico dicebat et asserebat totum emolumentum candorarie seu blanquide, que fit a dicto loco de Barbionaria usque ad finem dicte sue vicgerie, a parte inferiori, ad se spectare.

Item super eo quod dictus dominus de Agantico dicebat et asserebat se in solidum jurisdictionem habere in palherio, area et orto suis de Brixiaco.

Item super eo quod dictus dominus Agantici dicebat et asserebat pignaculum seu cloquerium ecclesie de Agantico esse suum, [et] fortalicium ejusdem.

Dicto domino episcopo predicta negante et contrarium asserente:

Item super eo quod dictus dominus episcopus dicebat et asserebat partem, quam dictus dominus de Agantico possidebat in dicto castro de Cassilhaco in feudum ab ipso domino episcopo, esse sibi et Ecclesie sue commissam, ratione recognitionis et investiture per ipsum, diu est, non facte, dominis mutatis et ipso vassallo.

Item super eo quod dictus dominus episcopus dicebat et

asserebat quod quoddam feudum, quod olim fuit domini Stephani de Sancto Martiali militis, infra parrochiam de Cassilhaco, quod nunc tenet dominus Agantici, erat commissum domino episcopo et Ecclesie sue, pro eo quia de dicto condam domino Stephano, qui illud (*mot illisible*) tenebat in feudum, translatum fuerat in dictum dominum de Agantico. absque consilio et laudimio ipsius domini episcopi.

Item super eo quod dictus dominus episcopus dicebat et asserebat jurisdictionem de Cassihaco et territorium ejusdem confrontari cum territoriis et jurisdictione castrorum de Brissaco et de Sobeyracio, et cum mediis fluminibus Erauri et Virci.

Item super eo quod dictus dominus episcopus [dicebat] et asserebat quod dictus dominus Agantici indebite occupabat territorium de Talhadis, quod pertinet in solidum dicto domino episcopo, pro territorio et jurisdictione sua de Agonesio.

Item super eo quod dictus dominus episcopus dicebat et asserebat quod dictus dominus de Agantico sibi indebite occupaverat quedam casamenta, que fuerunt Adalaicie Morrute condam, apud Brixiacum. que ab ipso domino episcopo tenebantur.

Item super eo quod dictus dominus episcopus dicebat et asserebat quod dictus dominus de Agantico, contra justitiam, premebat et condemnabat, apud Aganticum, illos qui delinquebant in eorum jurisdictione communi.

Dicto domino de Agantico negante asserta et dicta per dictum dominum episcopum. et contrarium asserente.

Tandem, tractantibus nobili et potenti viro domino Raimundo de Rocafolio, comtore Nantensi, et venerabilibus et religiosis viris dominis Hugone de Combreto de Piniano.

Guillelmo Fulci de Castronovo, Bernardo de Texeriis de Tabulis ecclesiarum prioribus, domino Raimundo de Ruppe milite, magistro Raimundo de Capitevilario jurisperito, et domino Guillelmo de Tesio rectore ecclesie de Sussanicis, amicis communibus partium predictarum, dicte partes, videlicet dictus dominus episcopus, nomine suo et dicte sue Ecclesie Magalonensis, et suorum successorum; et dictus dominus de Agantico, per se et suos in perpetuum successores, transegerunt, convenerunt et pacisserunt in modum videlicet infrascriptum.

Et primo, super prima questione, quia reperitur olim super ea compositionem fuisse factam, ut videlicet presentatio hospitalerii hospitalis et leprosarie, ac recluse de Agantico ad ipsum dominum Agantici et homines ejusdem loci spectet; ad dictum vero dominum episcopum, institutio, destitutio et correctio, secundum canonicam censuram et disciplinam. pertineant, salva jurisdictione, mero et mixto imperio ipsi domino de Agantico in predictis, ut videlicet in perpetuum ita teneretur et inviolabilter observetur.

Item, super secunda, transegerunt quod dictus dominus de Agantico habeat et teneat, habere et tenere possit suum devesum predictum antiquum piscium, in dicto flumine Eravi. et a parte Agantici, et a parte castri de Cassilhaco, sicut hactenus habuit.

Quia tamen, usque ad medium fluvium Eravi ex parte castri de Cassilhaco, omnimoda jurisdictio. merum et mixtum imperium inter eos sunt communia pro dicto castro de Cassilhaco. transigendo convenerunt, quod cohercitio, et punitio et penarum exactio, que ex nunc fient pro dicto deveso usque ad dictum medium flumen ex parte Cassilhiaci. sit communis inter ipsos quoad homines jurisdictionis de Cassilhiaco, sive puniantur infra jurisdictionem communem de Cassilhiaco, sive ubicumque extra rationem (= limitationem) dicte jurisdictionis communis.

Si autem vero essent homines dicte jurisdictionis communis, stetur jurl commnni sine fraude.

Item, super tertia transigendo, convenerunt quod dictus dominus Agantici habeat devesum suum ciregrillorum in dicta vigeria sua, ut hactenus habuit et tenuit.

Et quod omnimoda jurisdictio, merum et mixtum imperium dicte vigerie, inter eos communis existat, et cohertio et punitio, et penarum exactio, que fierit contra homines dicte jurisdictionis communis, venantes in ipso deveso, sive punirentur, vel pena levaretur, infra vel extra dictam jurisdictionem communem de Cassilhaco, pro dicta jurisdictione communi.

Si autem non essent homines dicte jurisdictionis communis, stetur juri communi, sine fraude, remanente banno dicto domino de Agantico, in dicto deveso, contra committentes in herbis, arboribus et fructibus pro quolibet committente, usque ad summam duorum solidorum.

Item, super quarta transigendo, convenerunt, reperta et visa quadam compositione, olim inita inter dictas partes, seu predecessores earum, continente inter cetera, quod, si emolumentum dicte candorarie seu blanquide reciperetur ratione jurisdictionis, quod esset communis; si vero ratione proprietatis terrarum esset illius anni proprietas ipsa esset quod dictus dominus de Agantico dicebat, quod major pars dicte blanquide fiebat in proprietatibus terrarum suarum et de aliis dubium; quod ab inde in ante[a] quod dictus dominus de Agantico et sui successores dent et solvant, et dare et solvere teneantur dicto domino episcopo et successoribus suis, ut condominis de Cassilhaco, decimam partem integram totius emolumenti, quod proveniat ex dicta blanquida seu candoraria, que fiet in dicto loco de Barbionaria, usque ad finem vigerie dicti domini de Agantico. ex parte dicti castri de Cassilhaco.

Non tamen intellexerunt quod dicta decima pars detur ratione decime, spiritualiter debite.

Si vero extra ipsa loca fieret, quod sit et remaneat salva dicta compositio, ut videlicet si ratione jurisdictionis reciperetur infra jurisdictionem communem, emolumentum sit et debeat esse commune.

Si vero ratione terrarum, esset illius cujus proprietas ipsa esset, dicta compositione in aliis predictis non contrariis in suo robore permanente.

Item, super quinta, cum reperiatur antiqua compositio, quod tota jurisdictio et merum et mixtum imperium dictorum pallearis, orti et aree de Brixiaco dicti domini de Agantico debeat esse communis, quod ita communis in perpetuum remaneat inter partes predictas.

Item, super sexta, cum, super dicto cloquerio seu pignaculo ecclesie de Agantico, reperiatur quedam valde antiqua compositio. inter dictas partes seu earum predecessores inita, convenerunt dicte partes, quod ipsa compositio inseratur de verbo ad verbum in transactione presenti, et quod illi et ipsius tenori infra inserto stetur perpetuo inter partes predictas; cujus compositionis tenor inferius est insertus.

Item, super septima, transegerunt et convenerunt quod, ab inde in antea, ratione preteriti temporis, nulla commissio, per dictum dominum episcopum a dicto domino de Agantico, de parte ipsius castri de Cassilhiaco, quantum spectat ad dictum dominum de Agantico, peti possit, sed quod dictus dominus de Agantico illam partem recognoscat se tenere in feudum a dicto domino episcopo, ut sui predecessores fecerunt.

Item, super octava, cum, in recognitione olim facta domino Berengario Fredoli, bone memorie episcopo Magalonensi, per dominum Stephanum de Sancto Martiali militem, de feudo, quod ab ipso tenebat infra parrochiam de Cassilhaco, idem dominus Stephanus condam sibi retinuit, quod posset res recognitas in acapitum dare, ipso domino episcopo

irrequisito, et quod ipse dominus episcopus nullum laudimium haberet, nisi totaliter alienaret.

Cumque dictus condam dominus Stephanus res, bona et jura dicti feudi donaverit in acapitum dicto domino de Agautico, retento sibi dominio, consilio et laudimio, et una perdice pro censu annuo, quando petetur, prout idem dominus de Agantico fidem faciebat per publicum instrumentum inde sumptum manu Guillelmi Martialis condam notarii, sub an-Domini millesimo ducentesimo nonagesimo tertio:

Quia ipse dominus de Agantico dicebat se non acquisivisse ipsum dominium, consilium et laudimium, et dictam perdicem, cognoverunt et convenerunt quod dictus dominus episcopus commissionem dictarum rerum accaptatarum seu in emphiteosim receptarum per dictum dominum Agantici, non habeat nec habere debeat in futurum, ratione nansacti (= transacti) temporis;

Sed quod sit et remaneat eidem domino episcopo salvum jus contra successores dicti condam domini Stephani, in et super feudo predicto, juxta recognitionem, per ipsum dominum Stephanum dicto condam domino Berengario factam, scriptam et signatam per magistrum Petrum Christofori, notarium publicum, sub anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo octuagesimo nono, et octavo idus septembris.

Et quod dictum acapitum remaneat domino Agantici, prout fuit sibi datum in acapitum per dominum Stephanum de Sancto Martiali, exceptis bannis et cohercionibus, nisi, ut supra est ordinatum, salvis tamen predictis.

Et quod jura recognita dicto condam domino Berengario, Magalonensi episcopo, salva et illesa remaneant dicto domino episcopo et ejus Ecclesie, prout et secundum quod in dicta recognitione, facta per dictum quondam dominum Stephanum dicto domino episcopo, continetur.

Item super nona, convenerunt et cognoverunt quod communis jurisdictio de Cassilhaco limitatur et confrontatur cum

jurisdictionibus et territoriis de Brixiaco et de Sobeyracio, et cum mediis fluminibus Eravi et Virci;

Salvo tamen quod paxeria molendini et molendinorum dicti domini de Agantico, sitorum subtus et prope pontem de Agantico, remaneant salva, in possessione et proprietate, dicto domino de Agantico, et a parte Agantici et a parte Cassilhaci;

Et quod illam possit edificare et reficere, ut hactenus consueverat, salva utrique parti jurisdictione communi predicta;

Et aliam et alias novas facere, si voluerit, molendinis predictis, que nunc sunt et in futurum ibidem erunt.

Item quod jurisdictio communis de Cassilhiaco protendatur, subtus et supra pontem de Agantico. usque ad medium flumen Eravi.

Item, super decima, cum repertum fuerit instrumentum, designans territorium vocatum *las Ancordas*, prout confrontatur cum terris Maurici de Artayranicis, transigendo convenerunt quod juxta dictas confrontationes limitentur et terminentur.

Item, super undecima, cum, ex parte dicti domini episcopi, fuerint exhibita quedam instrumenta, illa casamenta designantia, convenerunt quod dictus locus subjiciatur oculis per (*blanc 12 cent.*) et quod prout reperient ea, stetur.

Item, super duodesima, convenerunt quod, ab inde in antea, sine fraude et fixione qualibet, stetur et pareatur juri communi.

Item convenerunt per se et suos successores juris vel rei, quod, contra premissa vel aliquod predictorum, neutra de partibus supradictis prescriptionem vel fluxum temporis, quamcumque desuetudinem vel possessionem valeat allegare; sed, non obstantibus omnibus et singulis supradictis, stetur ut supra consuetum est, per partes predictas;

Et ipsa tenere, servare et contra non venire promiserunt dicte partes et juraverunt, videlicet dictus dominus episcopus non tangendo evangelia, sed, ut decet eum, sua manu dextra ad pectus posita; et dictus deminus de Agantico super sancta Dei evangelia, corporaliter a se tacta, sub omni renunciatione juris ad hec necessaria pariter et cauthela.

Tenor vero instrumenti compositionis, de quo supra est facta mentio, quoad dictum cloquerium, talis est:

In nomine Domini Nostri Jesu Christi, *etc. ut supra*, T. 1, p. 234.

Actum Agantici, in aula ejusdem domini de Agantico, testibus presentibus vocatis nobilibus dominis Raimundo de Ruppe, Johanne de Cassaneis, militibus, dominis Bndo Macelli rectore de Castanholis, Guillelmo Barrerii priore de Agonesio, Raimundo de Ruppe et Johanne Ricardi jurisperitis, Olivario de Blacaforte domicello, magistris Petro Martialis, Stephano Siguarede et Johanne Calvayronis notariis, ac me Guillelmo Clari, notario publico regio et dicti domini episcopi, qui requisitus hec scribi feci et de cartulario me[o] sumpsi; et, habita collatione, ad notam, per me receptam super premissis, hic me subscripsi et signo meo signavi.

Et constat michi de spatio non scripto omisso in vicesima quarta linea, ab ipsa computanda.

(Reg. A, fol. 307; édité par Germain dans *Arnaud de Verdale*, p. 340).

MDCXLIV. — 20 novembre 1331

Notification aux fermiers de l'abbé d'Aniane à Celleneuve de la sauvegarde royale, accordée à l'évêque.

Noverint universi quod, anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo primo et die vicesima mensis novembris, illustrissimo principe domino Philippo, Dei gratia Francorum rege regnante, existens Jacobus Galli, serviens regius Montispessulani, exequtor specialis salve gardie. domino Magalonensi episcopo, Capitulo Ecclesie et membris dicti Capituli Magalonensis concesse per olim bone memorie dominum Karolum, Francie et Navarre regem, in presentia discretorum virorum Raimundi Petri et Guillelmi Fabri fratrum de Montepessulano, firmariorum seu renderiorum ecclesie Cellenove domini abbatis Aniane, intimavit eisdem fratribus, tanquam renderiis dicte ecclesie Cellenove, quod dominus episcopus Magalonensis una cum Capitulo, Ecclesia, membris et omnibus familiaribus, rebus, bonis omnibus, juribus et jurisdictionibus totius episcopatus, erant in salva gardia domini nostri Francorum regis, prout predicta omnia constare dixit idem serviens, in quodam vidimus seu transcripto, continente in se duas litteras regias, facientes mentionem de dicta speciali salva gardia, sigillo inpendenti, ut prima facie apparebat, sigillo autentico curie regie Montispessulani.

Cujus quidem vidimus seu transcripti tenor talis est:

Universis et singulis, presens vidimus seu transcriptum inspecturis, notum existat quod nos. Hugo de Carssano miles, rector regius Montispessulani. vidimus, tenuimus et diligenter inspeximus quasdam patentes litteras domini senescalli Bellicadri et Nemausi, dicti domini senescalli sigillo sigillatas; quarum tenor talis est:

Hugo Quiereti, miles domini nostri regis, senescallus Bellicadri et Nemausi, Jacobo Galli, Guillelmo Raimundi et Johanni Castanerii, servientibus regiis, et eorum cuilibet, salutem.

Litteras regias recepimus sub hiis verbis:

Karolus, Dei gratia Francorum et Navarre rex, *etc. ut supra*, T. IV, p. 602.

Karolus, Dei gratia Francorum et Navarre rex, senescallo *etc.*, *ut supra*, T. IV, p. 600.

Quarum auctoritate, vobis et vestrum cuilibet precipimus et mandamus quatenus, quotiens expedierit et per gentes dicti domini episcopi, seu aliis (= alias) quorum intersit, fueritis réquisiti, contenta in predictis litteris faciatis et exequamini diligenter, juxta ipsarum litterarum seriem et tenorem.

De hiis vero que cause cognitionem exigunt, vos nullatenus intromittatis.

Datum in Montepessulano, sub sigillo nostro in absentia sigilli nostre senescallie, die vicesima nona decembris, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo.

In cujus visionis et inspectionis testimonium, nos dictus rector sigillum curie regie Montispessulani huic presenti vidimus seu transcripto apponi fecimus seu appendi, die quinta mensis januarii, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo.

Qua intimatione facta per dictum servientem dictis renderiis, idem serviens eisdem renderiis, ex parte regia et dicti domini senescalli, inhibuit ne dictam salvam gardiam presumant in aliquo violare;

Petens idem serviens de predictis sibi fieri publicum instrumentum.

Et dicti renderii dixerunt et responderunt se solum esse arrendatores fructuum dicte ecclesie Cellenove, seque nil habere in jurisdictione dicte ecclesie, quam ibi habet, ut dixerunt, dictus dominus abbas Aniane, nec se velle intromittere de eodem, seque fore paratos servare, pro viribus dictam salvam gardiam et in nullo offendere eam.

De quibus omnibus, tam dictus serviens quam dicti renderii petierunt sibi fieri publicum instrumentum.

Hec acta fuerunt in Montepessulano, et horum fuerunt testes Guillelmus de Perugiis, Petrus Ecclesie, Guillelmus Olerii, mercatores Montispessulani, et ego Brunetus de Lingonio, notarius regius infrascriptus.

Post hec, anno quo supra, et die [X]XIII mensis novembris, dictus serviens regius dictam salvam gardiam regiam intimavit et inhibuit, modo et forma quibus supra, Berengario Carrade de Ruthena, bajulo Cellenove pro dicto domino abbate Aniane, petens idem serviens de predictis intimatione et inhibitione sibi fieri publicum instrumentum.

Et dictus dominus bajulus dixit et respondit se velle habere copiam litterarum dicte salvegardie, et petiit diem sibi assignari ad respondendum consulte, cum sit homo laycus et ignorans.

Et dictus serviens regius dixit quod ipse erat merus exequtor, et ideo diem sibi assignare non poterat nec debebat.

Attamen dicto bajulo concessit copiam litterarum predictarum, sive vidimus seu transcriti, ejusdem bajuli sumptibus et expensis, intimans et inhibens ut supra.

Hec acta fuerunt in Montepessulano, et horum fuerunt testes, a paragrapho citra, Franciscus Salas serviens Cellenove, Johannes Sabaterii sabaterius habitator Montispessulani, et ego Brunetus de Lingonio, notarius auctoritate regia Montispessulani publicus, qui requisitus predicta omnia in

notam recepi, et in hanc publicam formam redegi signoque meo debito signavi.

(Reg. E. fol 69 r°).

MDCXLV. — 4 février 1331 (n. s. 1332)

Paiement de deux albergues qu'a l'évêque sur le mas de Clarensac.

Anno Incarnationis Dominice millesimo tecentesimo tricesimo primo, et quarta die mensis februarii, domino Philippo rege Francorum regnante, et reverendo in Christo patre domino Johanne, permissione divina Magalonensi episcopo presidente, noverint universi quod existentes sive constituti in manso de Clarenciaco, parrochie de Tribus Viis, Vallis Montisferrandi, venerabiles et discreti viri domini Guillelmus Barerii, presbiter et prior ecclesie Sancti Saturnini de Agonesio diocesis Magalonensis, ut procurator et procuratorio nomine dicti domini Magalonensis episcopi. et Petrus Luciani, castellanus castri Montisferrandi, pro prelibato domino Magalonensi episcopo, in presentia mei notarii et testium infrascriptorum, presentibus et existentibus etiam ibidem Cecilia, uxore Johannis de Oliverio dicti mansi de Clarenciaco, Ermecendi, uxore quondam Poncii de Clarenciaco et Jo., filio dicte Ermessendis et dicti Poncii quondam, habitatoribus in dicto manso;

Et dicti domini procurator dicti domini episcopi et castellanus dixerunt, recognoverunt et confessi fuerunt dictis Cecilie, Ermessendi et Jo., ibidem presentibus, se habuisse et recepisse ab eisdem, vice et nomine dicti domini Magalonensis epiccopi, pro castro suo Montisferrandi, duo albergia militum, in quibus tenentur, ut asserebant, dicto domino episcopo, pro suo castro Montisferrandi, semel dare et solve-

re annuatim, cum fuerint requisiti pro hiis que a dicto castro tenent in dicto manso et ejus pertinentiis.

De quibus duobus albergiis tenebant se dicti procurator et castellanus pro bene paccatis et contentis, nomine dicti domini episcopi, quoad presentem annum; et eosdem a predictis duobus albergiis, vice et nomine dicti domini Magalonensis episcopi, absolverunt et quittaverunt quantum ad presentem annum.

Dicentes tamen et protestantes quod, si reperiretur per instrumenta vel per aliqua alia legitima documenta, quod ipsi essent ad plura albergia, usatica seu servicia astricti seu obligati dare seu solvere dicto domino episcopo seu ejus castro predicto, quod per hanc recognitionem seu receptionem dictorum albergiorum, per eos factorum, eisdem dicto domino episcopo nec ejus castro predicto possit aliquod prejudicium generari, nec etiam in aliquo nocere eidem.

Et de predictis omnibus et singulis, petierunt dicti domini procurator et castellanus, nomine dicti domini Magalonensis episcopi, [fieri] unum vel plura publica instrumenta per me notarium infrascriptum.

Et incontinenti, predicte Cecilia et Ermessendis, et etiam dictus Johannes, filius dicte Ermessendis, ibidem existentes, dixerunt et protestati fuerunt quod, per hanc presentem solutionem dictorum duorum albergorum, per eosdem factorum eisdem, recipientibus nomine dicti domini episcopi seu ejus castri, non possit eisdem in aliquo prejudicare, nec aliquod prejudicium generare nec esse eisdem, si reperiretur quod ipsi non essent ad dicta albergia prestanda obligati.

Et predicta voluerunt et requisiverunt inseri in presenti instrumento, petentes de eodem eisdem dari copiam, si eis esset necesse.

Et dicti domini procurator et castellanus concesserunt eisdem dari.

Acta fuerunt hec omnia et singula infra ecclesiam Sancti Juliani de Clarenciaco, edificatam in dicto manso da Clarenciaco, in presentia et testimonio Guillelmi Fulci clerici, ba-

juli dicti castri Montisferrandi, domini Petri de Pozolis presbiteri, Raimundi de Vico clerici, Poncii de Abrolhano et mei Raimundi de Morteriis, publici domini Magalonensis episcopi notarii, qui vocatus, requisitus et rogatus a dictis partibus, hec omnia publice scripsi et signo meo consueto signavi.

(Reg. E, fol. 305 r°).

MDCXLVI. — 12 février 1331 (n. s. 1332)

Excommunié par le juge de l'évêque de Nîmes, le bayle de Sauve en appelle à l'archevêque de Narbonne.

Anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo primo, et die duodecima mensis februarii, circa hora vesperarum, domino Philippo rege Francorum regnante, et domino Johanne, Dei gratia episcopo Magalonensi dominoque Salvii, presidente, noverint universi quod, existens in curia Salvii, in presentia discreti viri Jacobi Violete, tenentis locum nobilis Bertrandi de Rocaduno domicelli, bajuli Salviensis pro dicto domino episcopo, dominus Guillermus de Lupareriis, capellanus curatus ecclesie Sancti Petri de Salvio, dixit se recepisse quasdam litteras a magistro Raimundo de Rovoyranicis, vicejudice domini Nemausensis episcopi, in archipresbiteratu Salvii et Arisdii, pro domino Nemausensi episcopo, emanatas.

Quarum tenor talis est:

Raimundus de Rovoyranicis, vicejudex domini Nemausensis episcopi in archipresbiteratu Salvii et Arisdii, capellano ecclesie de Salvio, salutem in Domino.

Cum nos pluries requisiverimus Jacobum Violete, locum tenentem nobilis Bertrandi de Rocaduno domicelli, bajuli

curie secularis Salvii pro domino Magalonensi episcopo, quod Guillelmum Coste de Salvio, clericum conjugatum cum unica virgine, et (*blanc 6 cent.*), in possessione clericatus existentes, tonsuram et vestes clericales deferendo, et de quorum clericatu et possessione nobis constat:

Quos captos et arrestatos tenet et detinuit in domo dicti domini episcopi Magalonensis, sacrilegium comittendo (*blanc 3 cent.*), sententiam latam a canone *Si quis* (*blanc 19 cent.*) quod facere recusavit et adhuc recusat;

Vobis precipimus et mandamus quatenus, receptis presentibus, accedatis personaliter ad presentiam dicti Jacobi Violete, locum tenentis predicti, et ad domum domini Magalonensis episcopi, et in ecclesia publice, si presens non fuerit in villa Salvïi;

Et ipsi semel, secundo, tertio ac peremptorie una monitione pro omnibus, cum facti necessitas hoc requirat, in presentia testium, ut dictos clericos a dicto arresto relaxet, et nobis ipsos remittat, infra sex horas, post monitiones vestras computandas; alioquin ipsum, quem pronunciamus in dictam excommunicationis sententiam, latam a canone, incidisse, excommunicatum, singulis diebus feriatis et non feriatis, pulsatis campanis more clacicorum mortuorum, et accensis candelis et demum extinctis in ecclesia publice nuntietis, tamdiu donec aliud a nobis in mandatis recipere vos contingat.

Intimantes eidem quod, si dictos clericos conjugatos ab arresto relaxare et nobis remittere retardaverit, perperam ipsius locum tenentis delictum sustinere non poterimus, quin interdicti sententiam in villam et castrum de Salvio proferamus, et contra ipsum locum tenentem procedamus meliori modo.

Reddite litteras sigillatas.

Datum Salvii, pridie idus februarii, anno Domini M° CCC° tricesimo primo.

Quibus litteris ibidem publice lectis, predictus capellanus,

vigore dictarum litterarum, ut dicebat, monuit dictum locum tenentem dicti domini bajuli Salvii, ut in dictis litteris continetur.

Et predictus locum tenens dixit et respondit ut sequitur: Et predictus locum tenens, non consentiens monitioni predicte, tamquam a jure minime procedente, nec aliis contentis in dictis litteris, dixit quod ipse non est intentionis aliquid facere contra privilegium cleri, sive ecclesiasticam libertatem.

Item dixit se non habere nec detinere aliquos clericos, captos seu arrestatos, nec est intentionis procedere contra prenominatos, in dictis litteris nominatos, si clerici reperiantur et gaudere debeant privilegio clericali, quod non credit, cum laycaliter et non clericaliter vivant et se gerant;

Nec vocatus fuerit idem locum tenens ad contenta in dictis litteris, ut de jure fieri deberet, nec super eis legitime requisitus; sed de facto et voluntarie idem vice judex nititur sic procedere contra ipsum locum tenentem, licet ipse locum tenens se obtulerit et se de presenti offerat, ipso tamen primitus vocato, prout jura volunt, predictos Guillelmum et Poncium remittere dicto vice judici, si in carceribus seu arresto existant, si et quando apparuerit seu apparere poterit ipsos esse clericos et gaudere debere privilegio clericali.

Et ideo idem locum tenens, a tanto et tam evidenti gravamine sentiens se multipliciter agravatum per dictum vicejudicem, a predicta monitione, si sic dici debeat, et quia non est canonica nec procedit a jure necnon a comminatione publicationis sententie date contra clericos capientes, seu captos detinentes et indebite vexantes, cum priusquam ad publicationem sententie procedatur, monendus sive monitus, nisi cessare velit, ad audiendum pronuntiationem, utrum inciderit in sententiam supradictam, debeat evocari.

Et a predictis, inquam, omnibus et singulis, in dictis contentis litteris, tanquam iniquis et a jure minime procedentibus, prout ex tenore earum apparet manifeste, viva voce et in scriptis, ad Sedem Apostolicam seu ad dominum Nar-

bonensem archiepiscopum, vel ad illum ad quem presens appellatio debeat de jure pervenire, provocavit et appellavit, et apostolos petiit sepius et instanter sibi dari;

Protestans etiam quod sit sibi licitum predicta prosequi per viam appellationis, supplicationis, revocationis, nullitatis, querele simplicis, vel alias prout sibi videbitur, quibus supra nominibus, expedire.

Quam quidem appellationem et omnia alia supradicta dixit et fecit idem locum tenens in presentia dicti capellani;

Protestans etiam quod sit sibi licitum alia sive alias appellationes reddere in scriptis, et si prout sibi videbitur expedire.

De quibus omnibus petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Actum in curia Salvii, et fuerunt testes dominus Gramundi miles, magister Bn. Loberie notarius, G. Berengarii Golverni, Poncius de Podio Ayminas, G. Violele clericus, B. de Croso domicellus, et magister Johannes de Deo, notarius publicus infrascriptus.

Postque, anno quo supra, et XIII die februarii, constitutus in presentia discreti viri, magistri Raimundi de Rovoyranicis, vicejudicis supradicti, discretus vir Jacobus Violete, locum tenens predictus, dixit se appellasse a monitione et aliis contentis in dictis litteris, prout constat per superius contenta in instrumento, inde recepto per notarium supra et infra scriptum.

Quam appellationem et omnia alia supradicta dicto vicejudici intimavit, prout melius de jure fieri potest atque debet; et persistens in dicta appellatione, a qua tacite vel expresse recedere non intendit, dixit, provocavit et appellavit, et apostolos petiit, et protestatus fuit ut in dicta appellatione plenius continetur.

Qua appellatione et omnibus aliis supradictis publice lectis, et dicto vicejudici intimatis, predictus locum tenens pre-

dicti domini bajuli, petiit sibi fieri de predictis omnibus publicum instrumentum.

Actum Salvii, et fuerunt testes presentes magister G. Boneti, Poncius Bojade notarius, G. de Aiguleto, Poncius de Podio, et magister Johannes de Deo, notarius publicus dicti domini episcopi Magalonensis, qui, requisitus per dictum locum tenentem, de predictis notam recepit.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. C, fol. 30 v°).

MDCXLVII. — 13 février 1331 (n. s. 1332)

Publication de lettres royaux.

Universis presentes litteras inspecturis, nos Hugo de Carssano miles, rector regius Montispessulani, facimus manifestum nos vidisse, tenuisse, ac diligenter inspexisse et perscrutasse quasdam litteras patentes nobilis et potentis viri, domini Hugonis Quiereti militis, senescalli Bellicadri et Nemausi, in papiru scriptas, et sigillo autentico senescalli Bellicadri et Nemausi ut prima facie apparebat sigillatas in dorso, nobis directas, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua sui parte suspectas, tenorem quarumdam litterarum regiarum in se continentes.

Quarum litterarum tenor talis est;

Hugo Quiereti miles, senescallus Bellicadri et Nemausi, rectori regio Montispessulani, vicariis Sumidrii et Aquarum Mortuarum, et judicibus dictorum locorum, et eorum cuilibet, vel eorum locum tenentibus, ceterisque justiciariis dicte senescallie, salutem.

Litteras patentes regias nos recepisse noveritis sub hiis verbis.

Philippus Dei gratia Francorum rex *etc.*, *ut supra* T. V, p. 164.

Quarum auctoritate litterarum, vobis et vestrum cuilibet mandamus, quatenus, prout ad vestrum quemlibet pertinuerit, contenta in dictis litteris, juxta earum tenorem, teneatis et observetis, ac exequamini diligenter.

Datum in Montepessulano, die tertia decima febroarii, anno Domini M° III^c XXXI.

Reddite litteras sigillatas.

In cujus visionis et diligentis inspectionis testimonium, nos, rector predictus, sigillum autenticum regium Montispessulani huic presenti vidimus jussimus appendendum, anno Domini millesimo III^c XXXII°, et sexta die junii.

(Reg. D, fol. 248 r°).

MDCXLVIII. — 4 mars 1331 (n. s. 1332)

Reconnaissance faite à l'évêque de l'étang de Melgueil.

Anno Dominice Incarnationis M° III^c tricesimo primo et IIII^to nonas marcii, domino Philippo rege Francorum regnante, et domino Johanne, Dei gratia Magalonensi episcopo, comite et domino Melgorii et Montisferrandi, presidente, noverint universi quod venerabilis vir, dominus Guillelmus de Tes[io], prior de Sussanicis, procurator domini nostri episcopi et comitis predicti, et ut comissarius ejusdem, ut de dicta comissione constat per patentes litteras, in dorso sigillo magno autentico ejusdem domini episcopi sigillatas, quarum tenor inferius est insertus;

Ut procurator et ut comissarius, requisivit Guillelmum de Melgorio domicellum, et Poncium et Poncetum Alamandini, de Montepessulano burgensem, avunculum et nepotem, qua-

tenus sibi, dicto domino procuratori et comissario, recognoscant partes quas habent in stagno et silva Melgorii et Carnonis, et ejus jurisdictionem.

Tenor vero dictarum litterarum comissionis talis est:

Johannes, miseratione divina episcopus Magalonensis, religiosis viris Guillelmo Fulci de Castronovo, et Bernardo de Texeriis Beate Marie de Tabulis ecclesiarum prioribus, canonicis nostris, ac Guillelmo de Tesio rectori ecclesie de Sussanicis, nostre dyocesis, salutem et sincerum in Domino caritatis affectum.

Ut, cum nobili Raimundo Petri, domino Agantici, vassallo nostro, super mansis de Anglariis et de Resclausa et eorum pertinentiis, et in jurisdictione eorumdem, et super aliis quibuscumque questionibus et debatis, que sunt inter nos et Ecclesiam nostram ex una parte, et dictum dominum Agantici ex altera, tractare, convenire, et concordare, ac transigere et pacisci;

Necnon et cum dominis castri de Montelauro, super limitationibus ipsius castri et castri nostri Sancte Crucis de Quintilhanicis, tractare, convenire, concordare et limitare vobis, canonicis nostris, cuilibet in solidum, et dicto Guillelmo de Tesio, vobiscum vel vestrum altero;

Ac etiam eidem Guillelmo recognitionis stagnorum de Carnone et de Balazuco a feudatariis et emphiteotis; et etiam recipere, propter canonem non solutum, vel denegationem feudi vel alia de causa, in comissum, et alias aliis dare in acapitum, meliorationesque in dictis stagnis facere et procurare, tenore presentium concedimus licentiam et facultatem, vobisque super premissis comittimus vices nostras.

Ratum et gratum nos habituros etiam promittentes quicquid per vos, modis et formis quibus supra, ac vestrum canonicorum alterum, simul vel separatim, seu per vos Guillelmum de Tesio cum altero eorumdem canonicorum, exceptis recognitionibus stagnorum et donationibus in acapitum, quo casu vobis Guillelmo de Tesio in solidum comittimus,

et vobiscum actum fuerit sive gestum ac si nobiscum actum foret.

In quorum testimonium sigillum nostrum hiis presentibus duximus apponendum.

Datum Avinione, in domo habitationis nostre, die quinta mensis decembris, anno Domini M° III^c [tricesimo] primo.

Quibus litteris vulgariter lectis et explanatis, dicti Guillelmus de Melgorio, et Poncius ac Poncetus Alamandini responderunt se fore paratos recognoscere partes, quas, in stagno et silva Melgorii et eorum pertinentiis [tenebant], dicto domino Guillelmo et comissario.

Et eidem, ut sequitur, recognoverunt per modum et per formam, per quem et per quam eorum predecessores alias recognoverunt, salvo jure, in pluri et minori, domino nostro episcopo et comiti, et etiam eisdem recognoscentibus, ubi et eo casu de pluri aut minori appareret.

Et, sub dictis modo et forma, dictus dominus procurator et commissarius protestatus fuit se dictas recognitiones paratum recipere, et (=ut) dixit).

Et incontinenti dicti Poncius et Poncetus recognoverunt, ut sequitur:

Nos, Poncius Alamandi, burgensis Montispessulani, et Poncetus Alamandi, nepos dicti Poncii, nos ambo, avunculus et nepos, confitemur et in veritate, quia verum est, recognoscimus bona fide, et sine dolo et fraude, cum hoc publico instrumento, firmiter perpetuo valituro, vobis, domino Guillelmo de Tesio, procuratori et commissario domini episcopi et comitis predicti, nomine procuratorio et ut comissario ejusdem domini episcopi nostri et comitis predicti, quod nos habemus et tenemus, a dicto domino nostro episcopo et comite, et suis successoribus episcopis et comitibus, in feudum, sub modis et pactis, forma et conventionibus infrascriptis,

scilicet quinque partes, indivisas pro indiviso, unius quarte partis, indivise et pro indiviso, totius stagni Melgorii cum suis pertinentiis, sicud extenditur dictum stagnum a stagno de Lunello usque ad stagnum vel locum qui vocatur *a l'Astela*;

Et quinque partes, indivisas pro indiviso, quarte partis indivise pro indiviso, cum omnibus suis pertinentiis totius silve, que est inter mare et dictum stagnum, sicut extenditur a terminio quod est aliquantulum ultra furcas, que sunt prope partidas jurisdictionum Aquarum Mortuarum et dicti domini nostri episcopi et comitis, et nostrorum pariariorum suorum in dicta silva, usque ad locum qui vocatur *la Colunda*, qui locus est a parte Magalone;

Et etiam usatica, quartus, census et oblias, prestationes, exceptis manegueriis, quas tantum tenemus a dicto domino episcopo et ejus pariariis in dicto stagno ad emphiteosim, quas emimus a liberis Bernardi Catalani condam, jurisperiti de Montepessulano, quas a domino episcopo et comite, et aliis suis pariariis in dicto stagno tenemus ad emphiteosim, ut est dictum.

Venationesque, quas habemus, et habere [et] percipere debemus, pro dictis quinque partibus indivisis dicte quarte partis indivise totius dicti stagni, et silve et etiam dictarum silvarum (= salinarum), que sunt in dicta silva, et in sepibus, rameriis, manegueriis et piscationibus omnibus et singulis, exceptis supradictis manegueriis, quas emimus, ut est supra dictum, statim (*sic*) venationibus avium, que sunt et fiunt, et percipiuntur in predicto stagno et ejus pertinentiis;

Et etiam dominationes, laudimia, consilia et jurisdictionem, que, et quam et quas habemus, habuimus et habere debemus pro dictis quinque partibus indivisis dicte quarte partis indivise in predictis locis et unoquoque eorum.

Preterea est sciendum quod, [de] dictis quinque partibus indivisis dicte quarte partis pro indiviso, possumus in eisdem locis, scilicet in stagno et silva supradictis, et de eisdem locis, dare in acapitum seu in emphiteosim, excepto de et

in dictis manegueriis tantum, quas ad emphiteosim tenemus, ut predictum est;

Et in predictis donationibus acapitorum retinere census, quartus usatica et laudimia, et senhorinum, et venditiones et alienationes, que, in dictis locis sive de dictis locis, aliquo modo fient, scilicet in dicta silva et silvis, et stagno supra terminatis, laudare, consulere et laudimium seu laudationes inde recipere, et firmantias inde recipere et exigere ab illis qui, occasione honorum, qui sunt in dictis locis, litigabunt;

Et causas et controversias, et questiones litigantium predictorum audire et terminare:

Et justicias, et exactiones, et pignora exigere et accipere ab omnibus et singulis personis, que ramerias, et maneguerias, et salinas et alios honores habent in dicto stagno et silva, et eorum pertinentiis, pro dictis nostris quinque partibus pro indiviso dicte quarte partis et pro indiviso;

Et de omnibus justitiis, et exactionibus, et condempnationibus et escazechuris, de dictis locis sive occasione ipsorum locorum exeuntibus, quinque partes dicte quarte partis habere;

Et etiam in dictis locis, stagno, silva et eorum pertinentiis plenariam jurisdictionem et cohertionem habere pro dictis quinque partibus pro indiviso dicte quarte partis etiam pro indiviso, exceptis in criminalibus causis, videlicet in illis personis que crimen commiserint in dictis locis, occasione cujus fieri oportebit detruncatio membrorum, vel penam mortis imponere seu infligere;

Que condempnatio seu dampnatio eorum, scimus quod expectat in solidum, sine parte nostrorum, avunculi et nepotis, et cujuslibet alterius persone, ad dominationem et jurisdictionem dicti domini episcopi et comitis castri sui Melgorii predicti.

Si vero, alicujus criminis vel criminum delati vel delatorum occasione, in predictis locis comissi vel comissorum, aliqua pena delinquentibus infligeretur peccuniaria, vel ipsi delinquentes, vel alius, nomine ipsorum, pro redemptione pene corporalis, aliquam daret peccuniam vel aliam rem,

vel promitterent, ad nos dicta condempnatio, seu peccunie datio vel cujuslibet alterius rei pertinere debet pro dictis quinque partibus pro indiviso dicte quarte partis etiam pro indiviso.

Et scimus quod, si dictum feudum vendebatur vel alienabatur, in totum vel in parte, a nobis vel a nostris, debet fieri consilio dicti domini episcopi et comitis, et successorum suorum: et inde habere poterit laudimium, tanquam major dominus.

Predicta omnia et singula, a nobis superius expressa, debemus habere et tenere a dicto domino episcopo et comite, et successoribus suis, futuris Magalonensibus episcopis, et comitibus Melgorii et Montisferrandi, in feudum secundum modum et formam superius expressatum; et etiam pro dictis quinque partibus indivisis dicte quarte partis indivise nostris, omnia et singula supradicta agere, facere, exercere et percipere, dicti domini episcopi et comitis et suorum successorum consilio irrequisito.

Item scimus quod, pro toto dicto feudo et omnibus et singulis ad dictum feudum pertinentibus, dabimus nos et nostri successores, singulis annis, in illis videlicet annis, in quibus fuerimus requisiti, albergam pro quinque partibus quinque militum: ita quod, de illis quinque militibus, nos solvemus et dabimus quinque partes cum civata et disnari tantum, solvendo, ut premittitur, quinque partes dicte civate et dicti disnaris dicto domino episcopo et comiti, domino Melgorii et Montisferrandi, et ejus futuris successoribus episcopis et comitibus, dominis Melgorii et Montisferrandi.

Et ego Guillelmus de Tesio, procurator et comissarius predictus, nominibus quibus supra, sciens et vere confitens vobis, dictis Poncio et Poncio, avunculo et nepoti, quod vos et predecessores vestri habuistis et tenuistis omnia et singula superius expressata, sine questione et contradictione alicujus persone, sub modo et forma superius comprehensis, pro

dicto domino nostro episcopo et comite, et ejus successoribus episcopis et comitibus, nominibus quibus supra, bona fide, et sine dolo et fraude, cum hoc publico instrumento, volo et concedo, salvo tamen jure ejusdem domini nostri episcopi et comitis et vestro in pluri et minori, si appareret, quod supradictas quinque partes indivisas dicte quarte partis pro indiviso vestras, quilias habeatis in dictis stagno, et silva, et silvis (= salinis), et omnibus pertinentiis eorum; et omnia et singula supradicta, a vobis superius expressata et nominata habeatis, vos et vestri successores, et teneatis a dicto domino episcopo et comite, et successoribus suis, in feudum perpetuo, sub modis et forma superius contentis:

Volens et concedens, nominibus quibus supra, quod predicta omnia et singula, ad dictas quinque partes dicte quarte partis pro indiviso vestras pertinentia, possitis facere, agere, exigere, percipere et recuperare sine consilio domini nostri predicti et laudimio:

Et, in omnibus et singulis supradictis, plenariam jurisdictionem et cohertionem omnem habere semper vos et vestri successores, prout supra plenius continetur, salvo tamen et retento dicto domino nostro episcopo et comiti, et predecessoribus suis predictis, laudimio in alienatione feudi, si vendebatur in totum vel in parte; et salva condempnatione condempnandorum in personis illorum qui maleficia comiserint in dictis locis, prout supra factum est; et etiam dictis quinque partibus dicte alberge dictorum quinque militum, que retineo, nominibus quibus supra, in dicto feudo faciendis a vobis et successoribus vestris, singulis annis in quibus fueritis requisiti tantum.

Protestato iterum quod, non obstante recognitione presenti, quod sit dicto domino nostro episcopo et comiti, et ejus successoribus predictis, et etiam vobis, dictis Poncio et Poncio Alamanni, avunculo et nepoti, jus pluris et minoris, si appareret, salvum in dictis stagno, silva et salinis, in predicta recognitione et omnibus et singulis premissis.

Promittens etiam vobis stipulantibus, quod prescriptam

recognitionem, et omnia et singula premissa laudari et ratificari faciam a domino nostro predicto.

Et, de premissis omnibus, dictus dominus Guillelmus, procurator et comissarius, nominibus quibus supra, et etiam dicti Poncius et Poncius Alamandini, nepos et avunculus, et eorum quilibet petiit sibi fieri instrumentum.

Actum apud Cabanam de Carnone, presentibus testibus Gervasio de Calatorio, Raimundo de Brehone domicellis, domino Guillelmo Clari jurisperito, Hugone Johannis notario Montispessulani, Berengaria de Matre clerico, Bernardo Candorayre de Montepessulano, Petro Boneti de Perolis, Raymundo de Anglayrolis de Fontesio, Johanne Feziani de Frontiniano, Raimundo Alamberti de Melgorio, et me Berengario Gaucelmi, notario Melgorii publico, qui, utrinque rogatus et requisitus, predicta in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. F, fol. 249 r°).

MDCXLIX. — 16 mars 1331 (n. s. 1332).

Bertrand Régis, seigneur de Corcone, somme Durand de Valcreuse de lui reconnaître une terre.

Anno Domini M° CCC° XXXI°, et XVI die mensis marcii, domino Philippo rege Francorum regnante, noverint universi quod nobilis vir dominus Bertrandus Regis miles, dominus de Corcona et de Vacqueriis, instanter semel, II° et III°, requisivit Durantum de Vallecrosa de Corcona, presentem, quod sibi recognoscat terram, quam ab eo tenet, et que (= quam) olim tenebat Jacobus *Gili*; alias protestatus fuit de pena a jure statuta.

De quibus petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Actum Corcone, in domo dicti nobilis: testes fuerunt presentes magister Bndus Alizaudi notarius parrochie de Brode-

lo, Berengarius de Pesancas de Vaqueriis, Grimoardus de Malhaco domicellus de Corcona, et ego Petrus Maurini de Salvio, Nemausensis diocesis, publicus auctoritate regia notarius, qui hec scripsi, rogatus et requisitus, et signo meo signavi solito et etiam consueto.

(Reg. B, fol. 230 v°).

MDCL. — 16 mars 1331 (n. s. 1332) (I. A.)

Reconnaissances de terres au seigneur de Corcone.

Anno Domini 1331, et 16 die marcii, Guillelmus *Folcran* de Corcona recognovit Bertrando Regis militi, domino de Corcona, se tenere in emphiteosim sub ejus directo dominio, laudimio, consilio, prelatione et avantagio, peciam terre in parrochia de Corcona, loco dicto Campus Rotundus, confrontatam cum terris liberorum condam Guillelmi Guiraudi, cum terra Raimunde Raymonenque, cum terra Guillelmi Bolguerii, et cum quodam carrayrono.

Pro qua dat pro censu et dominio, in festo sancti Michaelis, unum sestarium ordei mercatalis ad mensuram Salvii.

Actum, testes et notarius ut proxime supra.

(Reg. B, fol. 230 v°).

MDCLI. — Anno et die quibus supra, Poncius *Huc* de Corcona recognovit dicto Bertrando Regis, ut supra, tenere in emphiteosim sub ejus directo dominio, laudimio, consilio, prelatione et avantagio, peciam terre, sitam loco dicto Campus Rotundus, quam emit a Stephano *Fanabregol*.

Pro qua dat de censu, in dicto festo, unum sestarium ordei mercatalis ad mensuram Salvii.

Actum et notarius ut supra: testes Budus de Layricio de

Salvio, Petrus de Marsonequeriis de Salvio, Grimoardus de Mallaco domicellus de Corcona.

(Reg. B, fol. 231 r°).

MDCLII. — Anno et die quibus supra, Johannes *Fanabregol* de Corcona recognovit dicto Bertrando Regis se tenere sub ejus directo dominio, laudimio, consilio, prelatione et avantagio, medietatem divisam pecie terre, in qua est ortus, in parrochia de Corcona, loco dicto Campus Rotundus.

Que medietas confrontatur cum terra Bn. Salas, et cum alia medietate dicte terre, et cum terra Bn. Salas, et cum alia medietate dicte terre, et cum terra Raimundi de Crecio.

Et pro censu dat annuatim, in festo sancti Michaelis, unam eminam ordei.

Les noms des témoins ont disparu par déchirure.

(Reg. D, fol. 322 v°).

MDCLIII. — 8 avril 1332 (I. A.)

Reconnaissance à l'évêque de plusieurs terres dans la paroisse de Saint-Clément.

Anno Domini 1332, et 8 mensis aprilis, Andreas de Grabellis, filius et heres Guillelmi de Grabellis, habitator Fontis frigidi, parrochie ecclesie Sancti Clementis, Magalonensis diocesis, et Vallis ac jurisdictionis castri Montisferrandi, recognovit, de consilio Andree matris sue, et amicorum et propinquorum suorum, tactis evangeliis, Guillelmo Barrerii, presbitero, rectori ecclesie Sancti Saturnini de Agonesio, procuratori episcopi, se tenere ab ipso episcopo, nomine Ecclesie Magalonensis et dicti castri Montisferrandi, sub ipsius domini episcopi consilio, directo dominio, laudimio, prela-

tione, avantagio, jurisdictione omnimoda, et censibus annuis bona sua immobilia infrascripta.

Primo unum magnum tenementum terre, situm in manso vocato *dels Crematz*, in parrochia Sancti Clementis, in quo tenemento habet terras cultas et heremas:

Et confrontatur dictum tenementum cum rivo vocato de Li[r]onda ex una parte, et cum honore de Vontis ex altera, et cum honore [As]ciselii de Lecassio ex altera.

Pro quo tenemento et hiis que habet in eo, dat annuatim pro censu domino episcopo in castro Montisferrandi duos solidos et sex denarios turonenses, in festo sancti Michaelis, et plus unum cartale frumenti mercadabilis, portandum apud castrum Montisferrandi, ad mensuram dicti castri, in festo sancti Petri mensis augusti, annuatin pro pensione que dicitur tonta, et loco ejusdem que per se fieri debet castro Montisferrandi.

Item tenet a domino episcopo, aliud magnum tenementum terre situm in dicto manso *des Crematz*, et in isto tenemento habet hospicia quibus inhabitat, casaturam, angladam, pratum, candorariam, molendina ad opus ipsius candorarie, ortos, terras cultas et incultas, paxeriam, bedale et ductum aque, et alia sita et inclusa infra confrontationes seqûentes.

Et confrontatur dictum tenementum cum rivo vocato de Lironda ex una parte, et cum via que venit a villa Montispessulani et itur versus locum de Matellis, que via transit juxta dictum tenementum ex altera, et cum honore liberorum Jacobi Baudoni de Monteferrario ex altera, et cum honore Guillelmi de Grabellis quondam ex altera.

Pro quo tenemento dat domino episcopo XX denarios turonenses annualim in festo sancti Michaelis.

Item tenet, a domino episcopo aliud magnum tenementum terre, situm in dicto manso *des Crematz*, supra et juxta

viam que venit de Montepessulano et itur versus locum de Matellis: in quo tenemento habet terras cultas et alias.

Et confrontatur dictum tenementum cum ipsa via ex una parte, et cum patuo vocato de *Cremadels* ex altera, et cum honore [As]cisclii de Lecassio ex altera, et cum honore Egidii Ribas ex altera.

Pro quo tenemento dat domino episcopo, in festo sancti Michaelis, quinque solidos turonenses annuatim, quos solvere hactenus consueverat per aliquod tempus [As]cisclio de Lecassio, sed de cetero eos eidem solvere non tenetur, quia ei non pertinent, sed domino episcopo.

Item et plus tenet a domino episcopo tres pecias terre, tam cultas quam heremas, sitas in manso de Podio Ferrario, in parrochia Sancti Clementis.

Una ipsarum est sita prope ecclesiam loci Sancti Clementis: et confrontatur cum honore Jacobi de Cabanis mercatoris Montispessulani, ex una parte, et cum orto Guillelmi Gervasii ex altera, et cum via qua itur a loco Sancti Clementis versus Montempessulanum ex altera.

Alia pecia est ibidem prope proxime confrontatam: et confrontatur cum proxime dicta via ex una parte, et cum alia via qua itur a loco Sancti Clementis versus locum Fontisfrigidi, ex altera.

Tertia pecia terre est similiter prope ecclesiam Sancti Clementis sita, et confrontatur cum honore Bernardi de *Cortes* de Monteferrario ex una parte, et cum honore Petri Gervasii ex altera.

Pro quibus tribus peciic dat domino episcopo duos solidos et novem denarios turonenses, in festo sancti Michaelis, annuatim.

Quam recognitionem et omnia supradicta dictus Andreas de Grabeltis asserit esse vera, promittens, sub obligatione bonorum suorum et sub dicto corporali sacramento, servare fidelitatem.

Et ibidem Guillelmus Barrerii, nomine procuratorio quo

supra, laudavit, salvo domino episcopo censibus supradictis et in aliis jure suo.

Remittendo dicto Andree omnem commissionem et excorrentiam, si quam dictus episcopus habebat in predictis bonis recognitis, ratione predictorum censuum in lapso tempore non solutorum.

Concedendo etiam quod dicti census deinceps solvantur terminis superius dictis.

Acta fuerunt hec in ecclesia Sancti Clementis, in presentia Fulconis de Matis de Sancto Egidio de Fisco, Petri Gervasii, Guillelmi Fulci clerici, Johannis Magistri parrochie Sancti Clementis, et Berengarii Arnaudi, notarii in castro Montisferrandi.

(Reg. E, fol. 311 r°).

MDCLIIII. — 16 avril 1332 (I. A.)

Reconnaissance à l'évêque de terres à Guzargues.

Anno Domini 1332, et 16 die mensis aprilis, Poncius Golleti loci de Cecelecio, parrochie ecclesie de Tribus viis, Vallis et jurisdictionis castri Montisferrandi, recognovit, sub corporali juramento, Guillelmo de Barreriis presbitero, rectori ecclesie Sancti Saturnini de Agonesio, et procuratori episcopi, se tenere a domino episcopo, ratione castri Montisferrandi, et sub ipsius episcopi consilio, directo dominio, laudimio, prelatione, jurisdictione omnimoda cum districtu, unam peciam terre, in qua est nemus et garriga, sitam in tenemento de Salarone, infra parrochiam ecclesie de Agusanicis.

Et confrontatur ipsa pecia terre cum via publica, qua itur versus Melgorium, et cum honore Bernardi Pelagali de Arsacio, et cum honore Guillelmi Juvenis ejusdem castri, et

cum cumba vocata Longa, et cum honore Petri Salvatoris, et Johannis de Grigoleriis de Cecelecio.

Pro qua pecia terre, dare debet pro usatico mortuo, id est absque consilio, dominio et laudimio, et sine pluri, decem denarios rectori ecclesie de Agusanicis, cui pertinent nomine ipsius ecclesie, et eos eidem solvere hactenus consuevit, ad adjutorium solutionis usatici, quod dictus rector pro eadem ecclesia dare tenetur episcopo.

Item recognovit se tenere ab episcopo quicquid divisum seu pro indiviso habet cum pariariis suis in tenemento de Salarone.

Item recognovit se teneri solvere, ui sui predecessores, pro pensione seu usatico, unum cartale boni vini ac receptabilis ad mensuram castri Montisferrandi, cum uno denario solvendo, in anno quolibet, in festo sancti Michaelis.

Pro quo cartale vini et uno denario, obligat omnia bona que habet de presenti, aut in futurum habebit.

Quam recognitionem confitetur esse veram et erit domino episcopo fidelis et legalis.

Et ibidem Guillelmus Barrerie, nomine procuratorio quo supra, hanc recognitionem gratam habuit, salvo in omnibus jure episcopi.

Acta fuerunt hec apud dictum locum de Tribus viis infra hospicium ecclesie ejusdem loci, in presentia et testimonio Guillelmi Fulci clerici, Guillelmi Grigolerii, Raimundi *Ros*, et Berengarii Arnaudi, notarii publici domini Magalonensis episcopi.

(Reg. E. fol 305 v°).

MDCLV. — 25 avril 1332 (I. A.)

Reconnaissance à l'évèque d'un demi cartal d'avoine.

Anno 1332, et 25 die mensis aprilis, Bernardus de Manso, de Cecelecio, parrochie de Tribus viis, Vallis et jurisdictionis castri Montisferrandi, recognovit sub corporali juramento, Guillelmo Barrerii presbitero, priori Agonesii, et procucuratori episcopi, se teneri dare, pro usatico seu pensione, medium cartale avene, ad mensuram Montisferrandi, anno quolibet, in festo beati Petri mensis augusti.

Pro quo medio cartale avene solvendo, obligat se et omnia bona sua.

Quam recognitionem confitetur esse veram, promittens esse fidelis et legalis episcopo.

Et dictus Guillelmus Barrerii, procurator, dictam recognitionem recepit, salvo in omnibus jure episcopi.

Acta sunt hec apud Tres vias, ad hospicium ecclesie dicti loci, in presentia Guillelmi Fulci clerici, Petri Arpini, Raimundi Rebolli de Tribus viis, et Berengarii Arnaudi notarii episcopi.

(Reg. E, fol. 306 r°).

MDCLVI. — 7 mai 1332

Délimitation des juridictions de Melgueil et de la part antique de Montpellier.

Noverint universi, presentes litteras inspecturi, quod debato seu questione diutius ventilatis inter procuratorem regium ex parte una, et dominum Magalonensem episcopum et comitem Melgorii, seu ejus procuratorem, ex parte altera,

super limitationibus jurisdictionis et territorii partis regie Montispessulani pro domino nostro rege, et castri de Melgorio pro dicto domino episcopo et comite, coram domino senescallo Bellicadri et Nemausi, ex mandatis pluribus regiis litteratorie sibi factis, et in processibus inde factis insertis:

Procuratore regio dicente et asserente dictam limitationem debere fieri a furcis lapideis de Soregio domini Majoricarum regis, positis in itinere publico, quo itur de Montepessulano versus castrum de Perolis, sequendo quamdam carreriam, que ibi est, recto itinere, usque ad caput roverie quondam Templi;

Et exinde continuando et sequendo dictam viam usque ad nemus appellatum d'*En Teyssieyras*; transeundo per medium ipsius nemoris:

Et exinde per ipsam carreriam transeundo, supra ecclesiam de Medullis, usque ad molendinum d'En Vertelli;

Et exinde divertendo usque ad flumen Salaronis; et per consequens totum territorium et jurisdictionem ipsius, quod est infra dictos limites, ex parte partis regie Montispessulani ad dominum nostrum regem, pleno jure, spectare:

Procuratore vero dicti domini episcopi et comitis predicta negante, et dicente ac asserente dictam limitationem debere fieri a dictis furcis lapideis, ubi etiam sunt furce domini episcopi et comitis supradicti, respiciendo a dictis furcis versus Montempessulanum, et eundo per medium strate publice usque ad locum qui dicitur Cabana Gauberti Malras:

Et ibidem divertendo per quamdam carreriam, que est coram dicta Cabana, ad manum dextram, veniendo de Perolis versus Montempessulanum, et sequendo ipsam carreriam usque ad crucem veterem de Soregio:

Et a dicta cruce veteri de Soregio sequendo viam, seu transversiam, que ibi est, usque ad crucem de Palmassanicis sequendo magnam viam, in quá dicta crux est:

Descendendo usque ad Aygarellam, seu rivulum dictum Lionda, alias *Negacats*:

Et a dicto loco sequendo dictam Liondam, seu rivulum in sursum usque ad iter publicum quo itur de Montepessulano ad ecclesiam Sancti Petri de Montearbedone et apud Melgorium:

A dicto loco sequendo et continuando in sursum dictum rivulum usque ad magnam viam, qua itur de Montepessulano ad locum dictum Tapias Grandismontis;

Et a dicta via sequendo et continuando dictum rivulum in sursum usque ad locum dictum Trivium de Laurinhacis, quo itur ad Sausetum;

Et a dicto loco sequendo dictum rivulum, et continuando in sursum usque ad Trivium de *las Agals*, quo itur ad Terminos et ad Cogulhonem;

Et a dicto trivio sequendo, et continuando dictum rivulum in sursum, usque ad locum ubi oriri dicitur ipse rivulus;

Et a dicto loco sequendo quamdam viam, que ibi est, usque ad locum dictum *Cros d'En Peysinas*;

Et a dicta *Cros d'En Peysinas* de directo in directum usque ad quamdam arborem, que prope est, appellatam Perusserium;

Et ab ipsa arbore, de directo in directum, usque ad quemdam claperium, seu acervum lapidum, qui est in capite vinee de Salarone, et vinee dicte *d'En Calvi* de Castronovo, et vinee *d'En Mora*;

Et a dicto claperio, seu acervo lapidum, respiciendo, de directo in directum, fontem qui est in capite prati de Salarone, jurisdictionis Melgorii, usque ad riperiam seu flumen Salaronis: et etiam dicente et asserente, per consequens, totum territorium, et jurisdictionem ipsius, quod est infra dictos limites, ex parte dicti castri de Melgorio, et pro comitatu Melgorii, pleno jure ad dictum dominum episcopum et comitem pertinere.

Productis itaque super dicto debato, pro parte dicti domini episcopi, primo quatervigìnti et XII^{cim} testibus, et examinatis per dominos Hugonem de Porta, quondam judicem

regium Aquarum Mortuarum, et Petrum Ricardi, nunc judicem sigilli regii Montispessulani, ex commissione eis facta per dictum dominum senescallum, auctoritate litterarum regiarum, sibi super limitationibus hujusmodi directarum:

Productis etiam per procuratorem dicti domini nostri regis quinquaginta et septem testibus, et examinatis per venerabilem virum dominum Petrum Maurelli, judicem majorem senescallie Bellicadri et Nemausi, et ex commissione per dictum dominum senescallum sibi facta, auctoritate predicta, et ipsis testibus publicatis utrinque:

Productis etiam, pro parte dicti domini episcopi et comitis, pluribus instrumentis:

Tandem, traditis omnibus processibus inde factis dicto domino judici majori, et per ipsum visis et examinatis, ad finem judicandi, die assignata, pro relatione et sententia, si posset ferri commode, apud Montempessulanum, die XXIIIa mensis aprilis proxime preteriti, coram nobis Hugone Quiereti, milite, senescallo Bellicadri et Nemausi, presentibus, pro parte regia, dicto nostro majore judice, et magistro Stephano de Molteone, legum doctore, judice regio Nemausi, et locum tenente domini Bertrandi Planterii, advocati regii, in remotis agentis, et Hugone Beteli, dicto Chougo, procuratore regio substituto, ac domino Hugone de Carsano, milite, rectore regio Montispessulani, et discretis viris magistris Johanne Ricardi, judice ordinario, et Petro Ricardi, judice sigilli regii Montispessulani, et magistro Stephano de Cabanis, legum doctore, judice regio criminum senescallie Bellicadri et Nemausi, et pluribus aliis probis viris:

Presente etiam ibidem domino Johanne, Dei gratia Magalonensi episcopo, comite Melgorii:

Facta et audita relatione dictorum processuum:

Tandem placuit, tam gentibus regiis, quam dicto episcopo, a via judiciaria discedendo, ad viam venire compositionis et tractatus.

Electis itaque compositoribus et tractatoribus, pro parte regia, per nos, dictum senescallum, venerabilibus viris dominis Petro Maurelli, nostro majore judice, et Stephano de Molteone, legum doctore, judice regio Nemausi, et locumtenente regii advocati: et pro parte dicti domini episcopi discretis viris magistris Johanne de Affriano, et Guillelmo Clari jurisperitis, familiaribus dicti domini episcopi, continuato tractatu inter eosdem, finaliter, de nostro et dicti episcopi et comitis consensu, post multos et diversos tractatus composuerunt, et solemniter, ut sequitur, pari concordia convenerunt, salva tamen in omnibus et per omnia regia voluntate:

Videlicet, quod locus dicti debati circumclusus infra limites supra designatos, utrinque, juxta bonum et equum arbitrium, compensato valore ad valorem, summarie per medium, vel circiter, dividatur:

Ita tamen, quod pars dimidia, vel circa, que est versus partem regiam Montispessulani dicti debati, cum sit sibi vicina, ad dictum dominum nostrum regem, quoad merum et mixtum imperium, et omnem altam et bassam jurisdictionem, ac banna et eorum liberum exercitium:

Et alia pars, que est versus castrum Melgorii debati predicti, cum sit illi vicina, ad ipsum dominum episcopum, ut comitem Melgorii, quoad merum et mixtum imperium, et omnem altam et bassam jurisdictionem, et banna et liberum exercitium eorumdem, pertineant imperpetuum pleno jure:

Et quod quelibet pars, in parte, ad quamlibet ipsarum perventa, possit tenere in parte sua, et non in alia, bannerios et alios ministros, et officialem regium jurisdictionis, necessarios pro parte sua, prout sibi videbitur necessarium, vel etiam opportunum.

Ita tamen, quod, infra locum totum dicti debati, sit et remaneat salvum jus, tam in parte regia quam in parte dicti domini episcopi et comitis, incolis partis regie Montispessulani, et in parte dicti domini episcopi et comitis, tantum

incolis de Melgorio, depascendi animalia et pecora sua, dummodo talas non inferant sive dampna, aut banna committant, et salvo etiam jure in omnibus alieno.

Item composuerunt et convenerunt quod, juxta predictam divisionem faciendam, figantur et erigantur finales termini lapidei; et, quociens corruerint, reerigantur, ad sedandam perpetuo omnem materiam questionis.

Tractatum autem, compositionem et conventionem hujusmodi tunc demum effectum voluerunt et intellexerunt habere, cum per dominum nostrum regem ex una parte, et per dictum dominum episcopum et Magalonense Capitulum fuerit confirmata et ante nequaquam.

Quod si infra annum, a tempore date presentium computandum, per utramque partium predictarum, confirmatio non fuerit subsecuta, ex tunc quelibet pars, juxta processus super dictis limitationibus habitos, ad viam judicialem redire valeat, et jus suum, ut prius, prosequi, tractatu, consensu, conventione et compositione hujusmodi non obstante.

Signatus autem fuit dictus tractatus, et facta compositio et conventio inter dictos electos utrinque, apud Nemausum, coram nobis dicto senescallo, VII^{a} die madii, anno Domini M^{o} CCC^{o} XXXII.

In quorum omnium fidem et testimonium, nos dicti senescallus sigillum nostre senescallie, et judex major ac locumtenens regii advocati, et Johannes de Affriano, sigilla nostra propria duximus litteris presentibus apponenda.

(Reg. B, fol. 172 v°; édité par Germain dans *Arnaud de Verdale*, p. 344).

MDCLVII. — 11 mai 1332

Philippe de Valois ordonne au sénéchal de faire observer une sentence contre les monnayeurs de Melgueil.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri seu ejus locum tenenti, salutem.

Cum monetarii de Melgorio, a quadum sententia vestra et pro dilecto fideli nostro episcopo Magalonensi, diu est, lata, ad curiam nostram appellaverint, et, auditis dictis partibus in nostro presenti parlamento, dicta curia nostra, pro eo quod ipsi monetarii in dicta curia procedere in causa appellationis hujusmodi noluerunt, precepit dictam sententiam, non obstante dicta appellatione, exequtioni demandari, mandamus vobis, qualenus sententiam ipsam, juxta ipsius tenorem, de quo liquebit, exequtioni debite demandetis, appellatione predicta non obstante.

Datum in parlamento nostro Parisius, die XIª maii, anno Domini millesimo CCC^mo^ tricesimo secundo.

(Reg. F, fol. 179 v°).

MDCLVIII. — 12 mai 1332

Jugement de la cour de Sauve contre Pierre Salvian, qui avait frappé un homme.

Ad quam diem assiziarum inquisitionum curie Salvii domini episcopi Magalonensis, que fuit anno Domini M° III° tricesimo secundo, et die duo decima mensis maii, domino Philippo rege Francorum regnante, et domino Johanne, permissione divina Magalonensi episcopo, dominoque Salvii, presidente, que tenebantur per venerabilem virum dominum

G. Clari jurisperitum, judicem Salvii pro dicto domino episcopo;

Et que dies extiterat assignata precise et peremptorie per ipsum dominum judicem Petro Salviani de Heuseto, in curia Salvii delato, ad audiendum sententiam super inquisitione, facta contra ipsum P. per dictam curiam Salvii;

Comparuit in dicta curia, coram ipso domino judice, dictus P. Salviani, petens se absolvi de contentis in dicta inquisitione.

Et dictus dominus judex, ad audiendum precize et peremptorie suam diffinitivam sententiam, super dicta inquisitionis causa, diem veneris proximam dicto Petro Salviani assignavit.

Actum in curia Salvii, et fuerunt testes presentes dominus G. de Thesio rector de Sussanicis, dominus Guillelmus de Roveria jurisperitus, magister G. de Rovoyranicis notarius, G. de Ruppe Furcata domicellus, R. Fabri, P. Violete, et magister Johannes de Deo, notarius publicus infrascriptus.

Ad quam diem veneris, superius dicto delato assignatam ad audiendum sententiam super inquisitione supradicta, que fuit anno quo supra, et die XV dicti mensis maii, comparuit in dicta curia, coram dicto domino judice, dictus P. Salviani petens se absolvi a contentis in inquisitione predicta, facta contra ipsum per curiam sepe dictam.

Et prefatus dominus judex, ad suam diffinivam sententiam, super dicta inquisitionis causa, processit, juxta presentis diei assignationem, in modum qui sequitur infrascriptum:

Ad hec, nos G. Clari jurisperitus, judex Salvii supradictus, visis titulis seu proventionibus contra dictum P. Sal-

viani formatis per dictam curiam, quorum tenores tales sunt:

Anno Domini M° III^{c} vicesimo octavo, et III die mensis marcii, domino Philippo rege Francorum regnante, et domino Johanne, Dei gratia episcopo Magalonensi dominoque Salvii presidente, clamore valido famaque publica reffe-rente, pervenit ad audientiam curie Salvii domini nostri Magalonensis episcopi et domini Salvii, quod, in proximo venienti festo Ascensionis Domini erunt duo anni vel circa, quadam die lune post dictum festum, Poncius Guiraudi de Roureto una cum quibusdam suis complicibus in hac parte, videlicet Bn. Monnerii, et Raymundo *Bedos*, et nonnullis aliis, armatis diversis armorum generibus, venerunt ad quandam vineam Bn. Sabbaterii de Leuco, situatam infra jurisdictionem et districtum de Leuco dicti domini nostri Magalonensis episcopi et condominorum dicti loci, juxta seu prope garrigas de Leuco, confrontatam cum carreria qua itur de Salvio versus Rauretum, et cum aliis terris dicti Bn. Sabbaterii ex aliis partibus;

Et animo deliberato et sua temeritate propria, ac pensatis et preparatis incidiis, impetuose irruentes cum dictis armis in personam Guillelmi Garona parrochie de Leuco, in dicta vinea fodentem et nullum malum facientem, ipsum Guillelmum ceperunt et ligaverunt, et captum per vim et violentiam de dicta vinea et jurisdictione predicta ejesserunt, ipsum percussiendo, verberando et male tractando, eo quia de dicta vinea et jurisdictione predicta exire et cum eis accedere recusabat; et ipsum ad castrum de Serinhaco duxerunt, et in carcere dicti loci incarceraverunt;

Et eidem G. Garona dictam vineam et jurisdictionem predictam de Leuco dicti domini nostri episcopi preceperunt, quod non moveret se, diversis vicibus et sub diversis penis: utendo in predictis jure et officio magistratus infra dictam jurisdictionem, in magnum vituperium et prejudicium juris et jurisdictionis dicti domini episcopi, et etiam lesione;

Crimen lese magestatis et falsi, cum nullam super hoc habeant potestatem, temere comitendo et carcerem privatum faciendo.

Item pervenit ad dicte curie Salvii audientiam, quod de predictis omnibus et singulis est vox et fama publica in dicta parrochia de Leuco, et in villa Salvii et locis circumvicinis.

Visis etiam, recusatione et jurisdictione, per dictum P. delatum factis, ad dictos titulos seu proventus:

Visis etiam et examinatis attestationibus testium, in dicta inquisitionis causa contra dictum delatum productis et examinatis;

Et meritis totius processus cum sufficienti deliberatione discussis et examinatis, nichilque de contingentibus pretermisso.

Habitoque super eis diligenti peritorum consilio et tractatu.

Dieque presenti dicto Petro Salviani per nos assignata, ad nostram diffinitivam sententiam audiendam precize et peremptorie super dicta inquisitionis causa, quam eandem diem, ad cautelam, ad dictam nostram sententiam audiendam, precize et peremptorie ad cautelam dicto delato presenti iterum et denuo assignamus;

Sedentes pro tribunali in dicta curia Salvii, more majorum, sacrosanctis Dei evangeliis in nostro conspectu positis, ut de vultu Dei nostrum rectum procedat judicium, et oculi nostri in hiis et aliis semper videant equitatem;

Premuniti venerabili crucis signo: *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen*;

Quia constat nobis, judici predicto, tam per te, dictum P. delatum, confessata, quam contra te probata in dicta inquisitione et per alia in ipsa inquisitione contenta, te, dictum P. Salviani fore culpabilem de et super contentis in titulis seu proventionibus supradictis contra te formatis;

Idcirco per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam ferimus sollemniter in hiis scriptis, te dictum P. Salviani, presentem et sententiam ferri postulantem, in XX libris turonensibus per te dandis et solvendis dicte curie Salvii dicti domini episcopi Magalonensis condempnamus.

Et incontinenti dictus P. Salviani a dicta sententia, contra ipsum lata, viva voce et in hiis scriptis, provocavit et appellavit ad dominum judicem appellationum presentis curie vel ad illum ad quem presens appellatio debet de jure pervenire, petens de predictis sibi fieri publicum instrumentum.

Et ibidem existens discretus vir dominus G. Barrerii, procurator et nomine procuratorio domini nostri episcopi Magalonensis supradicti, dixit dictum dominum judicem, salva sui reverentia, dictum delatum in majori peccunie quantitate condempnare debuisse;

Et ideo a dicta sententia, tanquam a minori pena lata, in eo quod non fuit dictus [delatus] in majori peccunie quantitate quam debet, condempnatus, provocavit et appellavit ad dictum dominum judicem appellationum presentis curie, petens de predictis sibi, quo supra nomine, fieri publicum instrumentum.

Et dictus dominus judex appellationes non admisit, nisi si et in quantum fuerunt admittende:

Prefigens dictis appellantibus spacium unius mensis proximi ad presentandum se, cum dictis suis appellationibus, coram dicto domino judice appellationum, pro dictis suis appellationibus prosequendis.

Lata fuit hec sententia, et emisse dicte appellationes in dicta curia Salvii, dicto domino judice pro tribunali sedente, et fuerunt testes presentes dominus G. de Thesio rector de Sussanicis, Jo. de Vicaria canonicus Magalonensis, G. de Rovoyranicis, Pe. Maurini notarius, Johannes Bruni, Gregogorius Guandeni, et plures alii, et magister Jo. de Deo, no-

tarius publicus dicti domini episcopi et dicte ejus curie Salvii, qui, de predictis, de mandato dicti domini judicis, et requisitus per dictum P[etrum], in libro dicte curie notam recepit.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. F, fol. 1 r°).

MDCLIX. — 22 mai 1332 (1. A.)

Vente d'une terre à Corcone.

Anno 1332, et 22 madii, Bernardus de Carvallo de Corcona, bona fide, pro solvendis suis debitis, vendit Guillelmo *Folcran* de Corcona, ad omnes voluntates, peciam terre, in parrochia de Corcona, loco dicto *Camp Gaget*, confrontatam cum carreria publica, qua itur de Carvallo versus Corconam, cum terra Duranti de Vallecrosa, cum terra Guillelmi Rostagni et cum carreria qua itur versus ortum Budi Bonifilii, pro precio 30 solidorum turonensium, in quibus renunciat exceptioni *etc.*

Et si plus valet *etc.*; et de evictione *etc.*, salvo tamen et retento, in dicta terra, domino a quo tenetur, in censu et dominio jure suo.

Actum apud Aquambellam, testes Raimundus et Raimundus de Arlayricio pater et filius de Salvio, Petrus Salas de Sancto Ypolito; Petrus Maurini, notarius Salvii, scripsit.

(Reg. A, fol. 92 r°).

MDCLX. — 9 juin 1332 (I. A.)

L'évêque donne à acapte une paillière au prieur de Saint-Jean-de-Buèges.

Anno 1332, et 9 junii, Johannes, episcopus Magalonensis, concessit in acapitum Bertrando de Mandagoto, priori ecclesie Sancti Johannis de Bodia, ecclesie sue nomine recipienti, quoddam palherium, cum area eidem contigua, situm in parrochia predicte ecclesie, in territorio de Vilari, confrontatum cum honore Petri de Vilari, et cum via publica qua itur de manso de Vilari versus dictam ecclesiam, et ex aliis partibus cum honore Poncii, filii Petri de Vilari, terminis intermediis;

Salvo et retento consilio, dominio et laudimio, et censu annuo unius galline in festo sancti Michaelis, et duobus caponibus pro acapito.

Dans et concedens dicto priori plenam facultatem possessionem adipiscendi; promittens quod faciat ipsum et suos successores habere et possidere quiete.

Bertrandus de Mandagoto, prior predictus, promisit solvere usaticum.

Actum in loco de Terrallo: testes Bernardus de Texeriis prior de Castriis, Johannes Barriani canonicus Magalonensis, Arnaldus de Siguardo vicarius ecclesie de Porsano, Hugo de Breone clericus. Durantus Catherini, notarius publicus episcopi, scripsit.

(Reg. E, fol. 328 v°).

MDCLXI. — 12 août 1332

Constructien de Notre-Dame-de-Gau, à Lunel.

In nomine Domini Nostri Jesu Christi. Anno salutifere Incarnationis ejusdem M° III^c trecesimo secundo, et die duodecima mensis augusti, domino Philippo rege Francorum regnante, noverint universi, presentes pariter et futuri, quod, constitutus apud Tresvias. in presentia reverendi in Christo patris domini Johannis, Dei gratia Magalonensis episcopi, venerabilis et religiosus vir dominus Raymundus de Montadino, prior ecclesie Beate Marie de Lunello. suo et prioratus sui nomine, se dictumque prioratum obligavit. et successores suos, in manibus dicti episcopi presentis. accipientis et a[u]ctorisantis:

Ac promisit quod pro servicio capelle Beate Marie de Gaudio, construende auctoritate dicti domini episcopi apud Lunellum, capellanum et clericum deputabit, et ex nunc, ut ex tunc, deputavit;

Quibus et eorum cuilibet de bonis prioratus predicti perpetuo providebit. etiam si dicte capelle redditus non suppeterent ad predicta.

Preterea promisit dictus prior dicto domino Magalonensi episcopo, quod predicta omnia ratificare per Capitulum Magalonense faciet suo posse.

Acta fuerunt hec apud Tresvias dicte Magalonensis dyocesis, presentibus venerabilibus viris Johanne Barriani, Bernardo de Texeriis canonicis Magalonensibus, Guiraudo Cavalerii jurisperito, et Johanne Bonaura notario, testibus ad predicta vocatis, et magistro Duranto Catherini. notario publico et speciali prefati domini Magalonensis episcopi. qui predicta in notam recepit, et predictis omnibus personaliter presens fuit.

Ego vero Petrus Salomonis, notarius etiam publicus dicti domini Magalonensis episcopi, a[u]ctoritate michi concessa

de sumendis et extrahendis publicis instrumentis de notis, receptis per dictum dominum Durantum Catherini notarium ... sumpsi *etc.*

(Reg. D, fol. 295 r°).

MDCLXII. — 14 août 1332

Philippe de Valois ordonne au sénéchal de faire relâcher des sergents de la cour de Sauve, déjà jugés par le juge de Sauve, et emprisonnés par le viguier de Sommières.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri vel ejus locum tenenti, salutem.

Conquerendo nobis exposuit procurator dilecti et fidelis nostri episcopi Magalonensis, domini Salvii, quod, cum nuper Bernardus de Baniaco, dicti loci de Salvio, quedam crimina comisisset, de quibus curia Salvii dicti episcopi extiterat informata, et nonnulli servientes dicte curie ad domum dicti Bernardi accessicent causa citandi seu capiendi eundem, dictus Bernardus recursas et injurias plurimas fecit servientibus memoratis.

Et, ipsis recursis durantibus, fuit, in labiis sive ore, aliquantulum vulneratus.

Demum, post aliquos dies, passus fuit febrem naturaliter continuam, ex qua diem suum clausit extremum.

Propter quod judex dicte curie Salvii aliquos ex dictis servientibus in carcerem fecit (= jecit), et cum ipsis inquisivit et contra absentes debite processit.

Et quia dictus judex, prout periit, legitime comprobatur, ut dicitur in inquesta, dictos servientes fore innocentes de morte predicta, et quod non ex dicto vulnere, sed alias naturaliter mortuus fuerat, eosdem servientes presentes absolvit de morte predicta.

Nichilominus locum tenens vicarii Sumidrii dictos servientes absolutos, et alios absentes et Jacobum de Vasseriis citavit, ad respondendum super dicta morte coram eo, et alias contra eos procedere nisus est, non obstante contradictione ipsius procuratoris, et quod ipse procurator proponeret coram ipso ad dictum episcopum, seu ministros suos, pertinere correctionem et punitionem curialium ac officialium suorum temporalium, etiam in officio delinquentium, et dictum episcopum esse, et predecessores ejus fuisse in pocessione et saysina, vel quasi, predictorum;

Idem locum tenens cessare non curavit, pretendens in suam responsionem nos esse in pocessione et saysina cognoscendi de criminibus seu excessibus, comissis per curiales baronum et prelatorum nobis subditorum, in officio delinquentium, sic dictum episcopum et ejus curiam impediendo in pocessione et saysina predictis indebite et de novo.

Quare mandamus vobis quatenus si, evocato procuratore nostro et aliis evocandis, summarie et de plano ita esse vobis constiterit, predictos servientes, sic absolutos per judicem Salvii predictum, non vexetis, nec dictam Salvii curiam impediatis seu impedire permittatis, quominus contra alios procedere valeat, ut fuerit rationis.

Processusque et citationes, per dictum locum tenentem vicarii Sumidrii factos in hac parte, revocetis seu revocari faciatis.

Nec de cetero dictum episcopum seu ejus curias impediatis, seu impediri permittatis in pocessione et saysina predictis.

Et, si procurator noster in contrarium se opponat et oriatur debatum, ipso ad manum nostram, tanquam superiorem, posito, et facta credentia per eum ubi facienda fuerit, exhibeatis partibus justitie complementum.

Datum Parisius, XIIII die augusti, anno Domini M° CCC° XXXII°.

(Reg. B, fol. 179 v°).

MDCLXIII. — 17 août 1332 (I. A.)

Reconnaissance à l'évêque de terres à Biranques.

Anno 1332, et 17 mensis augusti, Jacobus Gauterii, filius Egidii Gauterii, habitator in loco Beate Marie de Lundris, tam pro se quam nomine Guillelme, uxcris sue, recognovit sub sacramento Guillelmo Barrerii presbitero, rectori de Agonesio, procuratori episcopi, se et uxorem suam tenere ab episcopo, nomine castri sui Montisferrandi, et sub ipsius consilio, directo dominio, laudimio, prelatione, avantagio, jurisdictione omnimoda, cum districtu et censibus annuis, et aliis conditionibus infrascriptis, videlicet in territorio de Bisanchis, Vallis et jurisdictionis Montisferrandi, et parrochie Beate Marie de Lundris, bono sua et uxoris sue immobilia infrascripta:

Primo, pro se solo, unam peciam terre, sitam retro podium territorii de Bisanchis.

Et confrontatur cum terra Guillelmi Salas et cum terra Alasaycie de Buxeria.

Pro qua dare debet episcopo, annuatim pro censu duos denarios turonenses in festo sancti Michaelis.

Item et unum ortum, situm in riperia de Amalo.

Et confrontatur cum terra domine Alasaycie de Buxeria, et cum rivo de Amalo.

Pro quo orto dare debet episcopo, pro censu annuatim, unum denarium turonense in eodem festo.

Item, pro uxore sua, recognoscit ipsam tenere, pro dote sua, sub dictis modis et formis, ab episcopo unam peciam terre, sitam in eodem territorio de Bisanchis, in loco dicto *las Peirosas*.

Et confrontatur cum honore Petri Duranti, et cum rivo de Amalo, et cum honore Johannis Giraudi.

Item aliam peciam terre, sitam in Comba Blosi, confrontatam cum honore Raimundi de Gabriaco, et cum honore Ermessendis de Pojeto.

Pro quibus duabus proxime dictis peciis terre dotalibus, dare tenetur, pro dicta uxore sua, episcopo, annuatim pro censu, in festo sancti Michaelis, medium cartaironis boni piperis et acceptabilis.

Item recognoscit se tenere ab episcopo, pro se, unam peciam terre, in qua vinea crescit, que erat et fuit dotalis domine Helye matris sue.

Et est sita in territorio de Bisanchis, in loco dicto *a Tavernae*; et confrontatur cum honore Petri Despinacio, et cum honore Johannis Arierii.

Pro qua dare debet episcopo, annualim pro censu, in festo beati Petri augusti, unam eminam cum duabus duodenis avene, portandam ad castrum Montisferrandi, ad mensuram ejusdem castri.

Quam recognitionem asserit fore veram, et eam promittit servare, et promittit esse fidelis et legalis.

Et ibidem Guillelmus Barrerii, nomine procuratorio hanc recognitionem benigne recepit, et preconfrontata bona immobilia, superius recognita, laudavit.

Remisit etiam dicto Jacobo omnem commissionem et excorrenciam, si quam episcopus habebat in bonis superius recognitis, ratione predictorum censuum in lapso tempore non solutorum.

Actum in castro Montisferrandi: testes Guillelmus Fulci clericus, Johannes de Fisco, Petrus Macopi, Petrus Ancelli, Stephanus de Buxeria et Berengarius Arnaudi, notarius in castro Montisferrandi.

(Reg. E, fol. 224 v°).

MDCLXIV. — 19 août 1332

Le Chapitre de Maguelone approuve la convention entre l'évêque et le roi de France sur la délimitation de la rectorie et du comté de Melgueil

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Amen. Anno salutifere Incarnationis ejusdem M° CCC° XXXII°, et die XIX mensis augusti, domino Philippo rege Francorum regnante, sciant et noverint universi quod reverendus in Christo pater dominus Johannes, Dei gratia Magalonensis episcopus et comes Melgorii, ac religiosus vir dominus Hugo de Combreto, prior de Piniano, procurator et locum tenens venerabilis viri domini Raimundi de Canilhaco, prepositi Magalonensis, et ejus nomine; ac venerabiles viri domini Capitulum Ecclesie Magalonensis, ad infrascripta specialiter in Ecclesie predicte Capitulo, sicut moris est, ad campane sonitum congregati et Capitulum propter hoc facientes:

Cum, sicut dicebant, ad eorum pervenisset notitiam, quod serenissimus princeps dominus Philippus, Dei gratia Francorum rex supradictus, tractatum, compositionem, conventionem et accordium facta, habita et inhita dudum inter dicti domini regis gentes senescallie Bellicadri et Nemausi, et gentes domini episcopi et comitis supradicti, ad invicem, super limitationibus jurisdictionis et territorii partis regie Montispessulani, ac jurisdictionis et territorii castri de Melgorio domini episcopi et comitis supradicti, prout de dicto tractatu, et conventione, compositione et accordio constat plenius per litteras patentes, inde factas et sigillis dictarum gentium sigillatas, quarum tenor inferius continetur, rata et grata habuerant et laudaverant, approbaverant et ratificaverant, suo in aliis et quolibet alio jure salvo;

Prefati siquidem domini episcopus, procurator seu locum tenens et Capitulum tractatum, conventionem, compositionem et accordium predicta cum omnibus in dictis litteris

contentis, ad instar dicti domini regis, in quantum tangunt seu tangere possunt ipsos et Ecclesiam Magalonensem predictam, rata, grata et firma habentes, omnes generaliter et singuli singulariter, ex certa scientia, hujusmodi instrumenti tenorem publici laudaverunt, approbaverunt et ratificaverunt, nomine suo, et successorum et Ecclesie Magalonensis predicte, suo tamen in aliis et alieno in omnibus jure salvo.

Tenor vero dictarum litterarum de verbo ad verbum sequitur in hec verba:

Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod debato *etc., ut supra*, n° 1656, p. 394.

Et ita, prout in dictis litteris continetur, servare, tenere, complere et perficere, quathenus tangunt partem suam, promiserunt prenominati domini episcopus, procurator et locum tenens, et Capitulum bona fide sua.

Et, pro predictis omnibus et singulis, in dictis litteris contentis, tenendis, complendis et perficiendis, de puncto ad punctum, sine defectu, quatenus eos tangit, omnes et singuli dominus episcopus, procurator et locum tenens dicti domini prepositi, ac Capitulum et eorum quilibet obligaverunt omnia et singula bona et jura sua temporalia et Ecclesie Magalonensis, presentia atque futura, michi notario infrascripto, ut publice persone stipulanti et recipienti pro omnibus illis quorum interest, intererit vel poterit interesse, cum omni renunciatione juris, ad hec necessaria, pariter et cauthela.

De quibus petierunt fieri publicum instrumentum et publica instrumenta, que sigillorum suorum voluerunt, in testimonium veritatis, appentione muniri.

Actum die, anno, mense et loco predictis, presentibus venerabilibus viris dominis Guillelmo de Thesio, rectore ecclesie de Sussanicis, Arnaudo Ricardi vicario ecclesie de

Porsano, Duranto Catherini rectore ecclesie de Cressio, et speciali notario domini episcopi et comitis supradicti, ac me Guillelmo Clari, notario publico regio et dicti domini episcopi, qui requisitus hec scripsi.

Vice cujus et mandato *etc.*

Et nos Raymundus de Canilhaco, prepositus Magalonensis, ratificationem, approbationem, confirmationem et omnia et singula, in dicto instrumento contenta, nobis in remotis agentibus, per dictum procuratorem et locum tenentem nostrum, nomine nostro. facta, grata, rata et firma habentes, ipsa omnia et singula, per nos et successores nostros, laudamus, approbamus, ratificamus, confirmamus et perpetuo habere volumus firmitatem.

In quorum testimonium, sigillum nostrum duximus presenti instrumento publico appendendum.

(Reg. B, fol. 174 r° et 176 r°).

MDCLXV. — 24 août 1332

Reconnaissance faite à l'évêque par le prieur de Guzargues.

Anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo secundo, et vicesima quarta die mensis augusti, regnante domino Philippo rege Francorum, et reverendo in Christo patre domino Johanne, Dei gratia Magalonensi episcopo comiteque et domino Melgorii et Montisferrandi, presidente, noscant omnes et singuli, quod ego Guillelmus de Ulmo, presbiter et rector ecclesie Sancti Michaelis de Agusanicis, Magalonensis diocesis. pro me et nomine ipsius mee ecclesie, et pro successoribus meis in eadem ecclesia, bona fide... recognosco vobis, venerabili et discreto viro Guillelmo Barrerii presbitero, rectori ecclesie Sancti Saturnini de Agonesio dicte diocesis, procuratori generali dicti domini episcopi, cum publico ins-

trumento constituto, et nomine procuratorio ejusdem petenti et recipienti, me tenere, nomine dicte mee ecclesie de Agusanicis, a dicto domino episcopo, nomine Ecclesie Magalonensis et castri sui Montisferrandi, et tenere debere et velle, et meos predecessores, olim in dicta ecclesia mea de Agusanicis, tenuisse ab antecessoribus dicti domini episcopi in dicto episcopatu, per tanta tempora lapsa, quod de contrario hominum memoria non habetur:

Et sub ipsius domini episcopi et suorum in dicto episcopatu successorum consilio, directo dominio, laudimio, prelatione, comissione, avantagio, banno et jurisdictione omnimoda, et districtu, et aliis conditionibus infrascriptis, infra districtum et jurisdictionem dicti castri Montisferrandi dicti domini episcopi, in parrochia dicte ecclesie mee de Agusanicis:

Videlicet omnes et singulos census seu usatica, que dicte ecclesie mee de Agusanicis, aut michi pro eadem ecclesia annuatim fiunt, dantur et persolvuntur, et habet ipsa ecclesia, et percipere et levare ego pro ea consuevi, seu alter hactenus pro ipsa ecclesia percipere, levare et habere consuevit ab hominibus et personis quibuscumque, in et de toto et universo territorio et tenemento de Arbosseriis, sito infra parrochiam dicte mee ecclesie de Agusanicis, in territoriis de Sancta Cruce de Quintillanicis, et loci de Cecelecio et castri de Arsacio, pro terris que a me tenentur et teneri debent pro dicta mea ecclesia de Agusanicis;

Et que terre, tenementa et territoria sunt, continentur et includuntur infra confrontationes infrascriptas, prout predicta confrontantur cum via publica seu strata qua itur a loco Montispessulani versus Alestum, et cum riperia de Salaro[ne], et cum patuis castri de Montelauro, et cum terris mansi de Liro[ne], et cum terris que tenentur a dicta mea ecclesia de Agusanicis.

Et generaliter ego dictus Guillelmus de Ulmo, scio, confiteor et recognosco, nomine quo supra, me tenere a dicto domino episcopo, nomine [quo] supra, omnia alia et singula

bona et jura, et quicquid fuit datum et concessum olim in accapitum domino Stephano de Campo, presbitero quondam et rectori dicte ecclesie de Agusanicis, nomine ipsius ecclesie stipulanti et recipienti, per reverendum in Christo patrem dominum Raynerium, Dei gratia olim Magalonensem episcopum, prout de datione ipsius accapiti plene constat publico instrumento, quod presentialiter exhibeo, scripto olim manu magistri Petri Garnerii, notarii publici in Montepessulano: cujus instrumenti secunda linea incipit *episcopus comes*, et penultima linea ejusdem instrumenti incipit *notarius Magalonensis*, et finit ante signum appositum in ipso instrumento *scripsi*.

Pro quibus omnibus et singulis censibus vel usaticis, que habeo, percipio, et habere, percipere et levare annuatim possum et debeo pro dicta mea ecclesia de Agusanicis, absque dominio, consilio et laudimio, in dicto preconfrontato territorio de Arbosseriis, et pro illis in accapitum datis dicte mee ecclesie per tenorem predesignati instrumenti, debeo, pro eadem dicta mea ecclesia de Agusanicis, dare et solvere annuatim, absque diffugio et contradictione, dicto domino episcopo vel suis, in dicto castro Montisferrandi, sexaginta et quinque solidos taronenses, in festo sancti Michaelis cujuslibet anni.

Pro quibus solvendis, obligo omnia bona ecclesie mee predicte de Agusanicis.

Et hanc presentem recognitionem ego dictus Guillelmus de Ulmo, rector dicte ecclesie de Agusanicis, pro me et eadem ecclesia, et pro meis successoribus in eadem, dico, scio et confiteor fore veram;

Et eam tenere, et servare et similem facere, quandocumque et quotienscumque fuero, vel mei successores fuerint requisitus vel requisiti, dicto domino episcopo vel suis in dicto episcopatu successoribus, vobis dicto Guillemo Barrerii, nomine procuratorio quo supra, pro dicto domino episcopo petenti et recipienti, sciens vos habere potestatem plenariam ad predicta recipienda, promitto, sub obligatione

predictorum bonorum, per me recognitorum, et sub dicto, per me super predictis prestito, corporali juramento

Sub quo etiam promitto dicto domino episcopo et suis legalis esse et fidelis, et servare fidelitatem cum ejus membris, vinculis et servitutibus, que sub sacramento fidelitatis includuntur et in jure expressantur, utilia dicto domino episcopo et suis debite, pro posse meo, procurando et nociva evitando.

Et ibidem nos, Guillelmus de Ulmo predictus, nomine procuratorio predicti Magalonensis episcopi et pro eo, presentem recognitionem benigne recepimus a vobis, dicto domino Guillelmo de Ulmo, rectore dicte ecclesie de Agusanicis, sub modis, formis et conditionibus predictis, salvo jure dicti domini nostri Magalonensis episcopi in predictis.

Acta fuerunt hec apud dictum locum de Agusanicis, infra hospicium dicte ecclesie ipsius loci, in presentia et testimonio Bn. Restoble presbiteri in eadem ecclesia, habentis originem loci de Sancto Martiali Nemausensis diocesis, Guillelmi Fulci clerici, Petri Dalha castri de Viridisicco, et mei Berengarii Arnaudi, notarii publici in dicto castro Montisferrandi ac in toto episcopatu Magalonensi pro predicto domino nostro Magalonensi episcopo, qui vocatus, requisitus et rogatus a dictis dominis Guillelmo Barrerii procuratore et Guillelmo de Ulmo rectore, tam dicto domino episcopo, quam ipsi rectori, et utrique eorum, de predictis scribere et conficere debui publicum instrumentum: et hoc et aliud, idem continens, de predictis scripsi, confeci et abstraxi, et signo meo signavi.

(Reg. E, fol. 314 r°).

MDCLXVI. — 8 septembre 1333

Brémond de Sommières fait hommage à l'évêque pour Boisseron,

In nomine Domini Nostri Jesu Christi. Amen. Anno salutifere incarnationis ejusdem millesimo trecentesimo tricesimo secundo, et octava die septembris, domino Philippo rege Francorum regnante, clarum et indubitatum existat perpetuo presentibus et futuris, quod in presentia mei notarii et testium infrascriptorum, nobilis et potens vir, Bremundus de Sumidrio domicellus, dominus de Caslari, recognitionem fecit reverendo in Christo patri domino Johanni, Dei gratia episcopo Magalonensi, comiti Melgorii et Montisferrandi, de hiis que dictus nobilis tenet ab eodem domino episcopo et Ecclesia Magalonensi in feudum, prout inferius continetur:

Ego Bremundus de Sumidrio domicellus, dominus Caslarii, minor viginti quinque annis, major tamen viginti duobus, de consensu et auctoritate nobilis viri domini Raymundi de Lexis militis, domini pro parte Montisrotundi, curatoris mei generalis, presentis, quod ego dictus Raimundus de Lexis miles, curator predictus, confiteor fore verum, prout constat de dicta cura per instrumentum inde factum, subscriptum et signatum manu magistri Berengarii Rogerii notarii regii, sub anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo nono, et quinta die julii, prudens de facto et cercioratus de jure, tam per relationem proximorum et amicorum meorum, veritatem infrascripte rei scientium, et etiam per famam publicam, bona fide, omni fraude et dolo, et omni circumvenientia rejectis penitus et exclusis, per me et per omnes successores meos, cum hac carta publica, recognosco vobis, reverendo in Christo patri domino Johanni, Dei gratia Magalonensi episcopo, comiti Melgorii et Montisferrandi, ju-

risdictionem et majus dominium castri de Buxedone, siti in episcopatu Magalonensi, et omnium pertinentium et appendentium ejusdem castri.

Et majus dominium et majorem jurisdictionem, quod et quam habeo vel visus sum habere in castro de Montelauro et pertinentiis ejusdem.

Et generaliter omne quod habeo et possideo, vel habere debeo in toto episcopatu Magalonensi et comitatu predicto, exceptis duntaxat villis de Solcinis et de Sancto Ylario de Pulchro visu.

Sub hac videlicet forma quod, pro predictis feudis expressis, ego et successores meo (= mei) vos et omnes successores vestros in comitatu predicto debeamus sequi in exercitibus et cavalcata, et hoc ad expensas vestras, et tantum infra episcopatum vestrum et comitatum, et cum quantis ego voluero.

Excepto quod, pro predictis feudis, ego et successores mei vos et successores vestros sequi contra alios dominos, a quibus feuda teneo, non tenemur, parentes et proximos, et specialiter contra dominum regem Francorum.

Si tamen contingeret me et successores meos sequi dominum regem Francorum vel dominum de *Salve* contra vos vel comitatum predictum, feuda predicta non cadant propter hoc in commissum.

Pro quibus recognitionibus faciendis, mutantibus hinc inde dominis, vos et successores vestri michi et successoribus meis palefredum unum dare tenemini.

Item quod ego et successores mei omnia, dependentia ab ipso feudo seu feudis predictis, possumus ego et successores mei vendere, permutare, ad accapitum vel in emphiteosim dare, vel alio modo quo voluero, sine laudimio et consilio vestro et successorum vestrorum.

Verum jurisdictionem et dominium majus predictorum feudorum et omnium jurium, que habeo et possideo in toto episcopatu et comitatu predictis, ego et successores mei in potentiorem vobis vendere, permutare seu alio modo alienare non possumus.

Item scio quod, mutantibus hinc inde dominis, quod vos vel alius, nomine vestro, potestis feudum seu feuda ipsa requirere, a me et successoribus meis recipere et tenere per unam diem tantum, et in expensis vestris; quod feudum seu feuda, sine omni extorsione et exactione, ipsa die elapsa michi et meis reddere et restituere tenemini.

Si vero contingeret quod vos et successores vestri haberetis querelam contra me et successores meos, non possitis agere nec aliquid petere, quousque ipsa feuda michi et successoribus meis reddita fuerint in integrum et restituta.

Verum si plura me tenere a vobis vel debere facere vobis et successoribus vestris didiscero vel didiscere potero, aut per testes vestros et meos, vel per instrumenta vestra et mea vel antecessores mei antecessoribus vestris plura recognoverint, illa vobis fideliter reserabo: hoc salvo michi et meis successoribus, quod, si non tantum, ymo minus me tenere a vobis, vel minus facere vobis et vestris successoribus, aut per testes meos et vestros, aut per instrumenta mea et vestra didiscero vel didiscere potero, vel vos didiscere poteritis, illud minus de dicta recognitione defalquetur; et illud quod vobis amplius recognovero, michi et meis successoribus, per vos et per vestros successores, prejudicium non possit vel valeat generare.

Promittens vobis me ratificaturum predictam recognitionem, quando ero etatis congrue, vel predictam recognitionem penitus innovabo.

Pro quibus omnibus et singulis, ego, predictus Bremundus de Sumidrio, per me et omnes successores meos, ad hec omnia suprascripta facienda, vobis et successoribus vestris obligo me perpetuo et astringo, tactis prius a me sacrosanctis Dei evangeliis; recipiens omnia et singula a vobis et omnibus successoribus vestris, juro vobis fidelitatem, vitam et membra vestra servare et res vestras custodire, et generaliter omnia que sub fidelitatis sacramento possunt seu debent comprehendi.

Volo etiam et statuo imperpetuum, quod successores mei fidelitatis sacramentum et recognitionem plenariam, sicut

suprascriptum est, vobis et successoribus vestris, et locum vestrum tenentibus faciant et facere teneantur, mutantibus hinc inde dominis.

Super quibus omnibus et singulis, per me et omnes successores meos, renuncio certioratus de facto et de jure consultus, sub dicto sacramento, minoris etatis beneficio, et actioni et exceptioni de dolo, et actioni in factum et beneficio juris scripti et non scripti, divini et humani, ecclesiastici vel civilis, specialis ac generalis, conditi et condendi, et omnibus aliis quibus contra predicta vel aliquid predictorum venire possem.

Promittens, sub dicto sacramento, vobis, domino episcopo et comiti, me nichil dixisse vel fecisse in preterito, neque dicam vel faciam, nec successores mei facient vel dicent in futuro, quominus omnia universa et singula suprascripta perhenni et inviolabili gaudeant firmitate.

Et ego Johannes, episcopus Magalonensis et comes Melgorii et Montisferrandi, per me et per omnes successores meos, sciens omnia suprascripta et singula vera esse, suprascriptum fidelitatis sacramentum recipiens, laudo et confirmo tibi, Bremundo de Sumidrio, et successoribus tuis, omnia suprascripta feuda, expressa superius et non expressa.

Et ea omnia et singula, ratione comitatus Melgorii et Montisferrandi predicti, a nobis et successoribus nostris habeas et teneas, sicut superius scriptum est et expressum.

Acta sunt hec apud Buxedonem, in castro seu hospicio dicti Bremundi de Sumidrio, presentibus venerabilibus viris dominis Bernardo de Texeriis priore prioratus de Castriis, Egidio Turqueti rectore ecclesie Buxedonis, Berardo Salvanni milite, Raimundo Solermi presbitero, magistro Nicholao Bajuli notario regio, Johanne Bidocii de Sumidrio, et magistro Guillelmo de Trulharibus, publico de Sumidrio auctoritate regia notario, qui de premissis etiam facere debuit requisitus publicum instrumentum.

Et ego Durantus Catherini, publicus ejusdem domini episcopi et comitis ac specialis auctoritate Magalonensis Ecclesie

notarius, recognitioni, fidelitatis juramenti prestationi, et universis et singulis supradictis, una cum supra nominatis testibus et notario, personaliter presens fui, et ea in notam recepi, scripsi fideliter, et, ad dicti domini episcopi et comitis necnon Bremundi predictorum requisitionem, in hanc formam publicam redegi signoque meo signavi rogatus.

(Reg. E, fol. 317 v°).

MDCLXVII. — 18 septembre 1332

Le château de Brissac, placé sous la main du roi, est rendu à l'évêque.

Noverint universi, presentes pariter et futuri, quod, anno Dominice Incarnationis millesimo triscentesimo triscesimo secundo, et decima octava die sebtembris, domino Philippo rege Francorum regnante, existens apud Vicanum discretus vir, magister Guillelmus Clari jurisperitus, procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Johannis, Dei gratia Magalonensis episcopi, comitis Melgorii, prout de dicta procuratione constat per patentes litteras dicti domini episcopi, ejus sigillo impendenti sigillatas, ut prima facie apparebat;

Quas litteras dictus procurator exhibuit et hostendit, que incipiunt in secunda linea *nobilibus*, et fuerunt (= finiunt) in eadem *Ruthenensis*, coram curia regia ipsius loci de Vicano, scilicet coram magistro Petro Aguimarii, notario regio etiam vicegerente notariatus dicte curie regie de Vicano, in absentia nobilis viri Tome de Garda domicelli, locum tenentis domini vicarii dicte curie pro dicto domino nostro rege, qui dictus dominus locum tenens erat apud Moyrosium, ut dicebatur;

Et ex[h]ibuit et presentavit, ac prius (= per) notarium infrascriptum legi fecit, in vulgari, in presentia testium infra-

scriptorum, quasdam patentes litteras, in papiro scriptas, sigillatas duobus sigillis, ut prima facie apparebat, videlicet domnnorum Guillelmi de Thori militis et Guillelmi de Villanova curati de Sieure, comissariorum deputatorum super financias in toto comitatu Ruthenensi.

Quarum litterarum tenor dinoscitur esse talis:

De part les députéz sur les finances en le comté de Rodez [à] Acarias de la Garde et à tous noz autres commissaires.

Nous avons ostée le garnison et la main del roy, mise on castel de Brissac; et, pour certaine cause, si vos mandons, que, tantos et sans délay, vouz vouz départez de la dite garnison, et lésecz user les gens de l'évesque de Magalonne de leur droyt, comme devant.

Et se guenges en auren pres, si les luer rendez, et de vostre salaira vous pai[e]s si résonablement, que vous ne soy[e]z blasmet de nous.

Donné se nous seautz, le mercredi amprès la Saint Crois de septembre, l'an MCCCXXXI.

R[endez] ces lètres.

Quibus litteris presentatis et ex[h]ibitis, dictus procurator dixit et protestatus fuit, quod, si dicti domini Acarie de Guarda, locum tenentis et comissarii predicti, copiam haberet, dictas litteras sibi presentaret.

Et in ejus absentia eas presentavit in consistorio suo, protestans etiam idem procurator, quod per ipsum non stat, sed per absentiam ejusdem domini Acarie, locum tenentis et comissarii predicti, quominus dictam presentationem coram eodem faciat de litteris ante dictis.

De quibus omnibus et singulis supradictis, dictus procurator, nomine procuratorio quo supra, petiit sibi fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Acta sunt hec Vicani, in operatorio mei notarii infrascripti: testes fuerunt nobiles Bernardus de *Tresfons*, Raimundus

Augerii domicelli et Petrus Aguonar clericus, et magister Petrus Aguinarii, notarius publicus de Vicano pro domino nostro rege et domino priore ecclesie ipsius loci, necnon et vicegerens notariatus dicte curie regie de Vicano, qui, requisitus per dictum magistrum Guillelmum, jurisperitum et procuratorem predictum, de predictis omnibus notam sumpsit.

Post hec, anno quo supra et vicesima prima die septembris, dicto Philippo rege Francorum regnante, veniens seu existens discretus vir dominus Bernardus Maselli, rector ecclesie de Castereolis, apud Vicanum, ut procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Johannis, Dei gratia episcopi Magalonensis, coram nobili Acaria de Guarda domicello, locum tenente domini vicarii regii, vicarii Mayrosii et Vicani, et etiam comissario deputato per nobiles et potentes viros dominum de Tori militem et dominum Guillelmum de Villanova curatum de Sieure, super finantiis regiis in comitatu Ruthenensi et in terris aliis, feudis et retrofeudis, que dominus Henricus, comes condam Ruthenensis, tenebat mortis sue, deputatos:

Faciens fidem idem dominus Bernardus de dicta procuratione sua, per quasdam patentes litteras, in parguamino scriptas, sigillo pendenti cereo dicti domini episcopi sigillatas, [ut] prima facie apparebat.

Quarum litterarum tenor talis est:

Noverint universi quod nos Johannes, miseratione divina episcopus Magalonensis, ad comparendum pro nobis, et nostro et Ecclesie nostre Magalonensis nomine, coram nobilibus et circumspectis viris dominis Guillelmo de Tori milite, et Guillelmo de Villanova curato de Seure, super finantiis, qui in comitatu Ruthenensi et terris aliis, feudis et retrofeudis, et eorum pertinentiis, que bone memorie dominus Henricus, comes Ruthenensis, tenebat et habebat, dum ageret

in humanis, in ignobiles, ac ecclesias ac personas ecclesiasticas alienatis seu transportatis, comissariis specialiter deputatis, seu quibuscumque ad hec potestatem habentibus:

Et ad proponendum et allegandum rationes et deffentiones nostras, et docendum seu fidem faciendum de jure nostro et Ecclesie nostre predicte, super locis et rebus, per Ecclesiam ac predecessores nostros, si que sint, requisitis (= acquisitis);

Testes, instrumenta et alia quecumque probationum genera producendum, suplicandum, ex[c]ipiendum et protestandum, tam de veritate dicenda quam alterius cujuslibet generis juramentum in diocesim nostram, necnon, si teneantur de jure, ad faciendum cum dominis comissariis supradictis, pro locis predictis, si que sint, [ut] premittitur, sint et fuerint per Ecclesiam et predecessores predictos acquisita, et de finantiis ipsis quitationem petendum et habendum;

Et generaliter universa et singula dicendum et faciendum que, in premissis et circa ea, fuerint quomodolibet oportuna;

Discretos viros magistrum Bernardum Maselli rectorem ecclesie de Castocreolis, Guillelmum Salvatoris, Petrum de Aspremis, Johannem de Guarda rectorem ecclesie de Taboyo, Guillelmum Clari et Pontium de Ayrolis jurisperitos, et Bernardum de Tribus fontibus domicellum, Uticensis, Ruthenensis, Magalonensis et Nemausensis diocesium et quemlibet eorum in solidum procuratores nostros, tenore presentium, facimus et confirmamus ac nuncios speciales;

Ratum et firmum in perpetuum habituri quicquid, in premissis predictis, per procuratores nostros dictum factumve fuerit, seu alterum eorumdem;

Non intendentes predictos procuratores nostros, quatenus ad alia constitutos, seu alios quoscumque, propter [e]a in aliquo revocare.

In quorum testimonium presentes litteras fecimus sigilli nostri appensione muniri.

Actum et datum apud Sanctum Desiderium, nostre diocesis, decima die septembris, anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo secundo.

Qua fide facta de procuratione predicta per prefatum dominum Bernardum Maselli, procuratorem predictum, prefato locum tenenti et comissario, idem dominus Bernardus, nomine quo supra, presentavit et ex[h]ibuit eidem domino comissario quasdam patentes litteras, in papiro scriptas, sigillatas sigillis dictorum dominorum deputatorum predictorum, superius per dictum magistrum Guillelmum Clari ex[h]ibitas, procuratorio nomine quo supra.

Quarum litterarum tenor talis est:

De part les députéz *etc. ut supra p. 423.*

Quibus ex[h]ibitis dicto domino comissario per dictum procuratorem dicti domini episcopi, idem procurator petiit et cum instantia requisivit dictum dominum comissarium, quod contenta in dictis litteris dictorum dominorum deputatorum faciat et compleat, juxta ipsarum continentiam et tenorem.

Qui dicens (= dictus) dominus comissarius dixit et respondit dicto procuratori, quod paratus erat contenta in dictis litteris dictorum dominorum deputatorum adimplere.

Et incontinenti idem comissarius, volens adimplere mandatum predictorum dominorum deputatorum, manum regiam et garnisionem, et totum aliud impedimentum, si quod appositum fuerit in castro predicto de Brissiaco dicti domini Magalonensis episcopi, ad requisitionem dicti procuratoris dicti domini Magalonensis episcopi, ibidem amovit;

Concedens nichilominus dictus dominus comissarius dicto procuratori dicti domini episcopi Magalonensis, et per eum aliis gentibus dicti domini episcopi, quod uti possint et debeant libere jurisdictione, et aliis juribus et deveriis in dicto castro de Brissiaco et ejus pertinentiis. pro dicto domino episcopo Magalonensi, quemadmodum faciebant ante posisionem guarnisionis et manus regie prelibate.

De quibus omnibus dictus procurator, nomine procuratorio que supra, petiit sibi fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Acta sunt hec Vicani in hospicio Guiraudi Cabrespini condam; testes fuerunt Raimundus Augerii domicellus, Bernardus Raimundi de Mort[er]io, Stephanus Maselli, et Petrus Aguirmar clericus, et dictus magister Petrus Aguirmar, notarius publicus predictus, qui, requisitus per dictum procuratorem prefati domini Magalonensis episcopi, et de predictis omnibus notam sumpsit.

De qua nota non cancellata *etc.*

(Reg. A, fol. 158 r°).

MDCLXVIII. — 7 novembre 1332

Le procureur de l'évêque proteste contre le recteur rayal de Montpellier, qui a soustrait le seigneur de Cournon à la juridiction épiscopale; appel au roi.

In nomine Domini. Amen. Anno Dominice Incarnationis ejusdem millesimo trescentesimo tricesimo secundo, et septima die mensis novembris, serenissimo principe domino Philippo Francorum rege regnante, noverint universi quod existens et personaliter constitutus in curia regia Montispessulani, coram venerabili viro domino Bernardo Cabrespina jurisperito, locum tenente nobilis viri domini Hugonis de Carsano militis, rectoris regii Montispessulani, discretis vir magister Poncius Berengarius jurisperitus, procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Magalonensis episcopi, et presentavit eidem domino locum tenenti, ac per me, notarium infrascriptum, legi fecit quandam papiri cedulam scriptam; petens et requirens, ut in dicta cedula continetur;

Cujus tenor talis est:

Existens coram nobili et potenti viro, domino rectore regio Montispessulani, seu ejus locum tenente, Poncius Berengarii

jurisperitus, procurator [et] nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Johannis, Dei gratia Magalonensis episcopi, comitis Melgorii et Montisferrandi, dixit et proposuit coram eo, quod nuper, cum fuisset denunciatum curie dicti domini episcopi et comitis quod nobilis Guillelmus de Cornone, condominus dicti castri de Cornone Terralli, vassallus et justiciabilis immediatus dicti domini episcopi et comitis, et qui, ab ipso domino episcopo et comite, habet et tenet jurisdictionem, quam habet in eodem castro, infeudatam, abutendo sua jurisdictione, fecisset questionare duos homines de Piniano infra dictum castrum, feudum prefati domini episcopi et comitis, nulla causa cognita, de facto et non de jure, dictus dominus episcopus seu ejus curiales de premissis inquisiverunt, cum dicto Guillelmo et aliis negotium hujusmodi tangentibus, cum diligentia veritatem.

Item dixit et proposuit quod vos, dicte domine rector, seu vester locum tenens deinde, super eodem excessu, posuistis seu poni fecistis ad inquestam vestram nobilem supradictum invitum, et me dicto procuratore contradicente, de facto, cum de jure non possetis, honore et reverentia vobis debitis semper salvis:

Tum quia cognitio et punitio dicti criminis, primo gradu, spectat ad dominum episcopum et comitem supradictum seu ejus curiales;

Tum quia dictum Guillelmum pervenerint;

Tum quia dictus Guillelmus est eidem domino episcopo et comiti immediate subjectus;

Tum quia est suus vassallus, et predicta comisisse dicitur infra feudum ejusdem domini episcopi et comitis;

Tum quia jurisdictionem habet infeudatam ab eodem in castro predicto;

Tum quia dictus dominus et comes et sui predecessores sunt et fuerunt in possessione et saysina, contra vassallos hujusmodi, pro suis excessibus procedere, inquirere, corrigere et punire;

Tum etiam quia dictus dominus episcopus et comes seu

ejus curiales non sunt nec fuerunt in aliquo defectu, super premissis, justitie exhibende.

Quare idem procurator petit et requirit, prout alias petiit et requisivit, dictum nobilem et inquisitionem, contra ipsum per vos factam, per vos remitti predicto domino episcopo et comiti seu ejus curialibus, pro dicto crimine, comisso infra dictum feudum, prout justum fuerit, puniendo.

Offerens se paratum de premissis, si in dubium aliqualiter revocentur, prout et in quantum tenebitur, si sibi videbitur expediri, facere promptam fidem.

Ad quod se petit admitti, alias de gravamine, juris et rationis denegare (= denegatione), cum debita reverentia protestamur.

Que intendit prosequi coram superiori, loco et tempore opportunis.

De quibus et de vestra respontione petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Qua cedula reddita, dictus procurator, nomine quo supra, petiit, requisivit et protestatus fuit in omnibus et per omnia, prout in dicta papiri cedula continetur.

Et dictus dominus locum tenens petiit copiam dicte cedule sibi tradi.

Qua habita, ad audiendum respontionem suam, diem martis proximam assignavit.

Cui assignationi dictus procurator, nomine quo supra non consentiit, in quantum juri dicti domini episcopi prejudiciare posset.

Et nichilominus dicta assignatio facta fuit per dictum dominum locum tenentem, ut supra.

De quibus dictus procurator dicti domini episcopi petiit sibi fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Actum in dicta curia, et fuerunt testes domini Petrus Calvelli, Guillelmus Petri de Roverias legum doctores, magister

Brunetus de Lingonio notarius regius Montispessulani, et ego Jacobus Sambuci notarius publicus regius, qui hec requisitus in notam recepi.

Qua die martis, superius per dictum dominum locum tenentem assignata, comparuit dictus magister Poncius Berengarii, procuratorio nomine quo supra, coram venerabili viro domino Ricardi jurisperito, judice regio ac locum tenente dicti domini rectoris.

Dixit se venisse ad audiendum respontionem suam super contentis in dicta cedula, prout eidem per dictum dominum locum tenentem dicti domini rectoris extiterat assignatum.

Et dictus dominus judex et locum tenens cum esset occupatus arduis negociis et non posset vaquare de presenti, continuavit ad diem jovis proximam, ad audiendum respontionem suam super contentis in cedula predicta.

Qui (= cui) continuationi, facte per dictum dominum locum tenentem, dictus procurator dicti domini Magalonensis episcopi non concenciit, in quantum juri dicti domini episcopi prejudicare posset.

De quibus petiit fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Actum in dicta curia, et fuerunt testes a paragrapho citra magister Egidius Johannis notarius regius, Johannes de Pradis canabasserius Montispessulani, et ego dictus Jacobus Sambuci, notarius supra et infra scriptus, qui hec requisitus scripsi.

Qua die jovis, superius per dictum dominum locum tenentem continuata, comparuit dictus procurator, nomine quo supra, coram dicto domino judice et locum tenente.

Dixit se venisse ad audiendum respontionem suam super predictis, in dicta cedula contentis, si eam facere vellet.

Et dictus dominus judex et locum tenens, cum plene non deliberasset super contentis in dicta cedula, continuavit ad diem crastinam, intentis (= in tertiis), ad audiendum respontionem suam super predictis.

Cui assignationi dictus procurator dicti domini episcopi non consentiit, in quantam juri dicti domini sui prejudicare posset.

De quibus petiit fieri publicum instrumentum per me notarium supra et infra scriptum.

Actum in dicta curia regia Montispessulani, et fuerunt testes, a proximo paragrapho curia (= citra), magistri Petrus de Gii notarius domini senescalli, Bernardus de Pineto notarius, et ego Jacobus Sambuci, notarius regius supra et infrascriptus, qui hec requisitus scripsi.

Qua die crastina, scilicet die veneris superius per dictum dominum judicem et locum tenentem continuata, comparuit dictus magister Pontius Berengarii, nomine procuratorio quo supra, coram dicto domino judice et locum tenente, dicens se venisse ad audiendam respontionem suam super contentis in cedula predicta.

Et dictus dominus judex et locum tenens dicti domini rectoris dixit et respondit, quod dominus noster rex est jure suo regali in possessione et saysina justiciandi omnes curiales cujuscumque conditionis existant, delinquentes in suo officio vel in habitu officiandi, et omnes barones vel vassores, castellanos et quoscumque alios, delinquentes in sua jurisdictione et regno suo.

Et cum datum esset intelligi quod Guillelmus de Cornone, dominus de Cornone, quosdam homines questionare fecerat per suos servientes, absque pronunciatione et alias juris sollempnitate, idcirco dictus dominus rector, tamquam superior et proximior, de premissis inquisivit cum dicto Guillelmo

et suis curialibus, et de ipso faciet seu fieri faciet quod justitia suadebit.

Et, si dictus dominus Magalonensis episcopus seu ejus gentes, qui se dicunt esse in possessione justitiandi dominos de Cornone vel alios feudatarios suos (*sic*), hoc factum est, si factum reperiatur, latenter, gentibus regiis in sais (= insciis) et ignorantibus.

Quare protestatur dictus dominus locum tenens de jurisdictione usurpata et de alio jure regio.

Quare dixit et respondit quod petita, requisita per dictum procuratorem, facere non potest, nec posset, absque magno incommodo et prejudicio juris et jurisdictionis dicti domini nostri regis.

Et dictus procurator dicti domini Magalonensis episcopi respontioni non concentiit, in quantum juri dicti domini Magalonensis episcopi prejudicare posset.

Et nichilominus dictus dominus judex et locum tenens dixit et respondit ut supra.

De quibus omnibus dictus procurator petiit fieri publicum instrumentum per me notarium supra et infra scriptum.

Actum in dicto loco, et fuerunt testes, a proximo paragrapho tria (= citra), dominus Johannes de Affriano jurisperitus, et magistri Petrus de Gii, Bernardus de Pineto notarii, et ego dictus Jacobus Sambuci, notarius supra et infra scriptus, qui hec requisitus scripsi.

Post hec, paulo post, existens dictus Pontius Berengarii, procurator et nomine procuratorio quo supra, in dicta curia regia, in presentia dicti domini judicis et locum tenentis, et reddidit et presentavit eidem domino judici et locum tenenti quamdam papiri cedulam scriptam.

Cujus tenor talis est:

Et dictus procurator, quo supra nomine, dicte respontioni non consentiit, negans dictum dominum regem seu ejus cu-

riales esse seu fuisse in dicta possessione seu saizina: et si est vel fuit in aliquo, quod non credit, illa est et fuit violenta et clandestina, et per potentiam regiam et suorum curialium innoducta (= introducta).

Et dato, set non concesso, quod esset talis ut per dictum dominum rectorem seu ejus locum tenentem pretenditur, cessare debet; ex quo, de proprietate juris dicti domini episcopi et comitis super predictis, constat vel constare potest, cum proprietas ad se trahit possessionem.

Et nichilominus, ex premissis omnibus responsis, processis et denegatis per vos, dictum dominum rectorem seu vestrum locum tenentem, sentiens me, quo supra nomine, et dictum dominum meum et ejus jura multipliciter agravatos; timens verisimiliter aggravari amplius in futurum, in hiis et cum hiis scriptis, viva voce, a vobis, dicto dominio rectore seu vestro locum tenente, et (= ex) vestra audientia sollempniter provoco et appello ad dominum nostrum Francorum regem seu ejus senescallum Bellicadri et Nemausi; apostolos semel, secundo tertio et cum multiplicata instantia postulando;

Protestans quod sit parti mee licitum predicta prosequi per viam appellationis, simplicis querele, nullitatis aut aliis remediis opportunis.

De quibus peto michi fieri publicum instrumentum.

Qua cedula reddita, dictus procurator, nomine quo supra, dixit, petiit, requisivit, appellavit et protestatus fuit. ut in dicta cedula continetur.

Et dictus dominus judex et locum tenens petiit copiam dicte cedule sibi tradi;

Qua habita, ad audiendum respontionem suam diem crastinam in tertiis assignavit.

Cui assignationi dictus procurator, nomine quo supra, non

concentiit, in quantum juri dicti domini episcopi prejudicare posset.

De quibus dictus procurator petiit fieri publicum instrumentum per me, notarium supra et infra scriptum.

Actum in dicta curia, et fuerunt testes a proximo paragrapho tria (= citra), dominus Johannes de Affriano, jurisperitus, magister Bernardus de Pineto notarius regius Montispessulani, et ego dictus Jacobus Sambuci, notarius supra et infra scriptus, qui hec requisitus scripsi.

Qua die crastina, superius per dictum dominum judicem et locum tenentem assignata, qua computabatur dies quarta decima mensis novembris, comparuit, in dicta curia regia Montispessulani, dictus procurator, nomine quo supra, coram dicto domino judice et locum tenente, dicens se venisse ad audiendum respontionem suam super contentis in cedula, per ipsum superius reddita, si eam facere vellet.

Et dictus dominus judex et locum tenens dixit et respondit ut sequitur:

Et dictus dominus judex et locum tenens dixit et respondit, quod ipse dictam appellationem non admisit, tanquam ex nullus (= nullis) veris procedentem, presentem respontionem pro apostolis reffutationis dicto appellanti concedendo.

Et dictus procurator dicti domini Magalonensis episcopi dicte respontioni, facte per dictum dominum judicem et locum tenentem, non concentiit, in quantum juri dicti domini Magalonensis episcopi prejudicare posset, in sua appellatione percistendo, ut supra

De quibus omnibus, dictus procurator dicti domini episcopi petiit fieri publicum instrumentum per me, notarium infrascriptum.

Actum in dicta curia regia; et fuerunt testes, a proximo paragrapho citra, magistri Egidius Johannis, Girbertus Deli-

vernone notarii regii Montispessulani, et ego sepedictus Jacobus Sambuci, publicus dicti domini Francorum regis notarius, qui, requisitus per dictum procuratorem, nomine quo supra, hec omnia in notam recepi, et in testimonium omnium premissorum, signo meo solito sequenti signavi.

(Reg. C, fol. 33 r°).

MDCLXIX. — 9 décembre 1332

Reconnaissance à l'évêque d'usages à Sauve.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Amen. Anno salutifere ejusdem Incarnationis millesimo CCC^{mo} tricentesimo secundo et die nona mensis decembris, domino Philippo Dei gratia Francorum rege regnante, et domino Johanne de Viridisicco, Magalonensi episcopo et domino Salvii presidente, noverint universi quod nobilis dominus Barnerius de Mirabello, miles castri de Salvio, et Ayglina, dicti domini Barnerii filia, relicta Petri Mascaronis domicelli quondam, cum ipsius auctoritate et consensu domini Barnerii supradicti, quod idem miles asseruit fore verum, scilicet dicta Ayglina, nomine suo et auctoritate quo supra, et ut tutrix et tutorio nomine B., Br., et Ludovici, liberorum suorum communium et dicti Petri Mascaronis quondam, viri sui, prout de tutela hujusmodi constare asseruerunt per instrumentum, super hoc receptum per magisrtrum Bn. Loberie notarium, si et in quantum interest dictorum pupillorum, vel potest modo aliquo interesse;

Predicti, inquam, Barnerius et Ayglina, auctoritate et nomine quo supra, insimul et quisque eorum in solidum, prout sua interest, jurati penitus ad sancta Dei evangelia, in manibus venerabilis et discreti viri, domini Guillelmi de Thesio, rectoris ecclesie de Sussanicis, procuratoris reverendi patris in Christo domini episcopi Magalonensis dominique

Salvii supradicti, de veritate dicenda et de recognitione infrascripta fideliter facienda, bona fide et sine dolo recognoverunt, et ex certa scientia confessi fuerunt, quibus supra nominibus, pro se et suis successoribus, dicto domino Guillelmo de Thesio presenti, stipulanti et recipienti nomine et vice dicti domini Magalonensis episcopi et sue curie Salviensis, et suorum successorum, se a dicto domino episcopo et Ecclesia Magalonensi tenere, et velle ac tenere debere perpetuo in futurum, ad feudum honoratum et sub ejus directo dominio, consilio, laudimio, prelatione et avantagio et aliis serviciis infrascriptis:

Primo videlicet hospicium eorumdem, cum suis pertinentiis et juribus universis, in quo inhabitat. situm in castro de Salvio, vocatum vulgariter *Langle*, confrontatum cum muro castri et cum domo Petri Rotberti quondam.

Item census, et usatica et alia servicia infrascripta, que sibi donant et dare tenentur, annis singulis, homines et persone infrascripte, pro terris et possessionibus quas tenent ab eisdem, ut dicebant, sub eorum dominio, consilio, laudimio, prelatione et avantagio, et quas tenent in parrochia de Concayraco, in tenemento mansi de Podiovierle (1).

Videlicet unam eminam frumenti et aliam eminam ordei, censuales, quas dare tenetur eisdem annuatim Petrus de Aragone de Salvio, pro quadam terre pecia.

Item unam eminam frumenti et aliam ordei, quas donat eis annuatim Egidius de Volpilheriis de Salvio, pro quadam terra.

Item unum sestarium frumenti et unam eminam ordei, quod et quam donat annuatim Johannes Helie de Salvio,

---

(1) Nous supprimons tous les confronts de terres, qui sont sans intérêt, et ne donnons que les confronts de chemins.

pro quadam terra sua, confrontata cum camino quo itur de Salvio versus Sanctum Ypolitum.

Item unam eminam frumenti et aliam ordei, censuales, quas dare tenetur annuatim Andreas Lombardi, pro quadam terra.

Item unam eminam frumenti et aliam ordei, censuales, quas donat annuatim G. Lombardi de Salvio, pro quadam terra confrontata cum camino quo itur de Salvio versus Sanctum Ypolitum.

Item unum sestarium frumenti, quod donat Petrus Salas, habitator Salvii, pro quadam terra sua, confrontata cum carreria qua itur de Salvio versus Sanctum Ypolitum.

Item unum sestarium frumenti censuale, quod donat annuatim Symeon *Bonissart*, pro quadam alia terra, confrontata cum camino quo itur de Salvio versus Sanctum Ypolitum.

Item unum sextarium frumenti, quod donant annuatim Symeon et Petrus *Bonissart*, pater et filius, pro quadam terra.

Item unam eminam frumenti et aliam eminam ordei censuales, quas donant annuatim Andreas et G. Lombardi, pater et filius, de Salvio, pro quadam terre pecia, confrontata cum camino quo itur de Salvio versus Sanctum Ypolitum.

Item unam eminam frumenti et aliam eminam ordei censuales, quas donat annuatim R. Richardi de Salvio, pro quadam terra.

Item II sestaria bladi, unum frumenti et aliud ordei censualia, que donat annuatim Andreas de Bosco de Salvio, pro quadam terra, confrontata cum camino quo itur de Salvio versus Sanctum Ypolitum.

Item unum sestarium frumenti censuale, quod donat annuatim Bn. de Layricio, habitator Salvii pro quadam terra confrontata cum camino publico, quo itur de Salvio versus Sanctum Ypolitum.

Item unam eminam frumenti et aliam ordei, censuales, quas donat annuatim R. Fabri laborator de Salvio, pro quadam terra, confrontata cum camino quo itur de Salvio versus Sanctum Ypolitum.

Item duo sestaria frumenti censualia, que donat annuatim Poncius Hugonis, habitator de Concayraco, pro quadam terra.

Item unam eminam frumenti et aliam ordei, censuales, quas dat Stephanus Richardi pro quadam terra.

· Item duo sestaria bladi, unum frumenti et aliud ordei, censualia, que donat annuatim Durandus de Podiovierle, parrochie de Concayraco, pro quadam terre pecia, confrontata cum camino quo itur de Salvio versus Sanctum Ypolitum.

Item unam eminam frumenti et aliam ordei, censuales, quas donat annuatim Poncius de Vineadosa de Salvio, pro quadam terra.

Item unam eminam frumenti et aliam ordei, censuales, quas donat annuatim Symeon *Bonissart* de Salvio, pro quadam pecia terre, confrontata cum carreria qua itur de Salvio versus Sanctum Ypolitum.

Item unam eminam frumenti et aliam ordei, censuales, quas donat annuatim Johannes Helyas pro quadam terra, confrontata cum carreria, qua itur de Salvio versus Sanctum Ypolitum.

Item unam eminam frumenti et aliam ordei, quas donat annuatim Johannes Croseti, habitator de Concayraco, pro quadam terra, cum carreria qua itur de Salvio versus Sanctum Ypolitum.

Item unam eminam frumenti et aliam ordei, censuales, quas donat annuatim Durandus de Podiovierle, parrochie de Concayraco, pro quadam terra.

Item unam eminam frumenti et aliam ordei. censuales, quas donat annuatim Petrus Plajonis pro quadam terra.

Item unam eminam frumenti et aliam ordei, quas donat Johannes Helye de Salvio, pro quadam terre pecia.

Item unam eminam frumenti et aliam ordei, censuales, quas donat Johannes Helyas de Salvio, pro quadàm terra.

Item unam eminam frumenti et aliam ordei, censuales, quas donat annuatim Bn. Pellicerii, habitator Salvii, pro quadam terre pecia.

Item unam eminam frumenti et aliam ordei, censuales, quas donat annuatim R. Cadeneti de Salvio pro quadam terra.

Item unam eminam frumenti et aliam ordei, censuales, quas donat annuatim R. de Leuco, pro quadam pecia terre.

Item unum sestarium ordei censuale quod donat annuatim Petrus Croselo parrochie de Concayraco, pro quadam terra.

Item III cartas frumenti et III cartas ordei, censuales, quas donat Durantus de Podiovierle parrochie de Concayraco, pro quadam terre pecia.

Item III gallinas çensuales, quas donat annuatim magister Johannes Alasaudi notarius parrochie Sancti Ypoliti pro quadam terra.

Item unam eminam frumenti, aliam ordei, censuales, quas donat annuatim Ricarda, uxor R. Pellicerii, habitatoris Salvii, pro quadam terra.

Item census sive pensiones, quas donat, ut dicebant, persone et homines infrascripti pro contraquinto et contraquarto.

Primo Symeona, uxor Bt. Vituli quondam, de Salvio, unum sestarium ordei, pro quadam pecia terre, sita in parrochia de *Salve* in loco vocato *Belveser*.

Item Pascala, uxor Johannis de *Rocassel*, de Salvio, unam eminam ordei pro quadam terra, sita in parrochia de Salvio, in loco vocato *Belveser*.

Item Johannes Paussani de Salvio, unam eminam ordei

pro quadam terra, sita in parrochia de *Salve*, in loco vocato Cumba Vacayuls.

Item Bn. de Fabrica de Salvio, unum sestarium ordei, pro alia terra, sita in parrochia de Salvio, in loco vacato *Belveser*.

Item P. de Casalibus de Salvio, unum sestarium ordei, pro quadam pecia terre, sita in parrochia de Salvio, in tenemento mansi de Cabanis.

Item G. Michaelis de Salvio, II solidos sex denarios turonenses, pro alia terra, sita in parrochia de Salvio, in loco vocato Peyrabruna.

Item P. Guirardi de Salvio, unam eminam ordei, pro quadam terra sua, sita in parrochia de Salvio, in loco vocato Roca Ventorieyra.

Item Symeon Radulphi de Salvio, IIII^or solidos pro quadam terra, sita in parrochia de Salvio.

Item Poncius de Avenco parrochie de Salvio, IIII^or sestaria ordei, et III sestaria frumenti, et VI quintalia racemorum et unam gallinam, pro manso suo de Avenco, et terris et possessionibus. Qui quidem mansus et possessiones sunt in parrochia de Salvio, et dictus mansus est in dictis terris situatus, et dicte terre confrontantur cum riperia de Terriono, et cum terra...

Item Durantus Rotberti de Salvio, unam eminam ordei, pro quadam terra, sita in parrochia de Salvio.

Item Stepanus Crosanni de Salvio, XI solidos turonenses, pro quadam pecia terre, sita in parrochia de Salvio, in loco vocato in Cavallis.

Item Guillelma, uxor Petri de Villa, IIII^or solidos pro quadam pecia terre, sita in loco vocato Area de Mulis.

Item Sibinda, uxor Salvatoris Michaelis, unam eminam ordei, pro quadam terra, sita in loco vocato in *Brayas*.

Item G. de Bosanqueto, XII denarios turonenses, pro quadam pecia terre, sita in parrochia de Salvio, in loco vocato Devesum.

Item P. Guiraudonis de Salvio, unam eminam ordei, pro quadam terre pecia in parrochia de Salvio, situata in loco vocato de *Croses*.

Item Johannes Deodati de Salvio, IIII^{or} solidos et III denarios turonenses, pro quadam terre pecia, sita in dicta parrochia, in loco vocato Devesis, extra portale de *la Roca*, confrontata cum camino quo itur de portali versus furnum de Castelleto.

Item Johannes de Vineriis, habitator Salvii, XII denarios; pro quadam terra, sita in dicta parrochia in loco vocato *al Castellet*, confrontata cum carreria qua itur *dels Crossax*, versus *Salve*, et cum riperia Viturli.

Item Petrus Balbi de Salvio, XII denarios turonenses, pro quadam terra, sita in parrochia de Salvio, in loco vocato *al Castelet*.

Item Maria Inqueria de Salvio, unum sestarium ordei, pro quadam terra, sita in parrochia de Salvio, in loco vocato in *Vaux*.

Item Johannes Posterii de Salvio, unum sestarium ordei mercadale, pro quadam terra, sita in parrochia de Salvio, in tenemento mansi de Cabanis.

Item Petrus de Manso de Salvio, X solidos turonenses, pro quadam terra, sita in parrochia de Salvio, in tenemento mansi de Cabanis.

Item Poncius Phizas de Salvio, III solidos et VI denarios, pro quadam terra, sita in parrochia de Salvio, in loco vocato *las Pausas*.

Item G. Peyrederii de Salvio, X quintalia racemorum, pro duabus peciis terre sitis in parrochia de Salvio; una in loco vocato in Cavallis, alia est in loco vocato in *Brayas*.

Item Petrus Buxi de Salvio, X quintalia racemorum, et unam eminam frumenti et aliam ordei, pro quadam pecia terre, sita in parrochia de Salvio, in loco vocato in Cavallis.

Item Ermessendis, uxor Johannis de Boyranicis de Salvio quondam, tria quintalia racemorum, pro quadam pecia ter-

re, sita in parrochia de Salvio, in loco vocato in Cavallis.

Item P. Radulphi de Salvio, XVIII denarios, pro quadam pecia terre, sita in parrochia de Salvio, in loco vocato in Baucis.

Item P. Vituli de Salvio, unam eminam ordei, pro quadam pecia terre, sita in parrochia de Salvio. in loco vocato Balmafossa.

Item (1) P. Rotberti de Salvio, XVIII denarios turonenses, censuales, pro medietate cujusdam domus, quam tenet ab eis sub eorum dominio, sicut portat calamus dicte domus vel dividitur per ipsum calamum. scilicet pro illa medietate que est versus hospicium dicti domini Barnerii, et est in castro de Salvio, et confrontatur cum duabus viis publicis.

Item pro quodam angulo cujusdam orti, qui est in dicto castro supra domum St. de Costa, et protenditur dictus angulus usque ad quoddam foramen, quod est in muro supra domus dicti St., sicut portat calamus dicti P. Rotberti, usque ad foramen predictum; qui ortus confrontatur cum via publica, cum domo dicti Stephani: XVIII denarios turonenses.

Item Andreas de Currufracto parrochie de Concayraco, IIII denarios pro contraquarto cujusdam pecie terre, sita in parrochia de Concayraco, in loco vocato *al Tirador*; et confrontatur cum terra Bn. de Ulmo, et cum terra Richardi de Rovoyranicis.

Item Bn. de Fontibus bullis de Salvio, pro uxore, unum sextarium frumenti, et III eminas ordei, III eminas civate et XVIII quintalia racemorum, pro terris infrascriptis.

Item Bn. de Bosco, castri de Salvio, II gallinas censuales, pro domo seu manso sua, vocata *al Bosc*, et terras ipsius mansi, quam et quas tenet sub eorum dominio, hominio et homagio.

---

(1) Nous donnons désormais intégralement le texte de l'acte.

Item B. [et] G. Garducelli, pater et filius, VIII solidos pro contraquinto cujusdam terre.

Item Poncius Lorrielli de Terriono, XVIII denarios, pro quadam terra, quam tenet ab eisdem sub eorum dominio, vocata in Terriono.

Item Bn. Bonerii, ab alia parte, tria sestaria ordei, et unum sestarium frumenti, et VIII solidos et IIII denarios turonenses pro manso suo et terris pertinentibus ad dictum mansum, quam et quas tenet ab eisdem, sub eorum dominio, consilio, intraturis et exituris, hominio et homagio.

Item Durantus de Podiovierle, VI sestaria inter ordeum et civatam, et III sestaria et unam cartam frumenti, pro manso de Podiovierle suo, et terris et psssessionibus pertinentibus ad dictum mansum, quem et quas tenet ab eisdem, sub eorum dominio et homagio, intraturis et exituris, et servitutibus supradictis.

Item recognoverunt se a dicto domino episcopo Magalonensi tenere quoddam casamentum, vocatum Mejan de Podiovierle, cum terra seu orto dicto casali contiguo.

Item recognoverunt, prout supra, quartos et quintos quoscumque racemorum, bladorum et aliorum fructuum, quos habent et percipiunt in territorio de Cotagio.

Item recognoverunt, prout supra, omnes alias possessiones et feuda, bona et jura que habent in tota villa et baylivia Salvii; necnon census quoscumque, usatica, quartos, quintos, contraquintos et contraquartos, et alia usatica et alias servitutes, quos et quas habent, et que percipiunt et percipere convenerunt, et que sibi prestantur et debentur eisdem, vel eorum alteri, pro et (= per) quascumque personas, infra villam et bayliviam Salvii, et districtus ejusdem, ex quacumque causa, titulo seu forma.

Et pro predictis confessi fuerunt se dare, et dare debere annuatim, dicto domino episcopo et sue curie Salvii, de censu seu servitute, unam perdicem, quando petetur ab eis.

et aliter non; ita quod, si defficerent in solvendo dictum servicium dicte perdicis, quod comissio non possit eis incurrere, nisi peteretur servicium supra dictum; quod servicium sive censum dare et solvere dicto domino episcopo et sue curie Salvii promiserunt annuatim, in festo sancti Michaelis, cum conditione predicta, sub rerum predictarum obligatione.

Et insuper recognoverunt et confessi fuerunt se debere facere sacramentum fidelitatis dicto domino episcopo Magalonensi et suis successoribus pro predictis, totiens quotiens fuerint requisiti, cum clausulis et capitulis que continentur et contineri possunt in sacramento fidelitatis predicto.

Et, pro hac recognitione, predicti pater et filia, quibus supra nominibus, confessi fuerunt se a dicto domino procuratore habuisse et integre ac realiter numerando recepisse LX libras turonensium nunc currentium, in quibus omni exceptioni non habite, non tradite et non numerate peccunie et non recepte, et in utilitatem bonorum suorum et liberorum ipsius Aygline pupillorum non converse, ex certa scientia renunciaverunt.

Et nichilominus promiserunt se esse fideles pro predictis, et fidelitatem servare dicto domino episcopo, et suis suis (= successoribus), et sue Ecclesie Magalonensi; et dictum sacramentum fidelitatis prestare et prestare debere, ut est dictum, et facere de predictis omnibus recognitionem seu recognitiones, cum publicis intrumentis, dicte domino episcopo et suis successoribus, totiens quotiens fuerint requisiti; et non alienare nec transportare predicta recognita, nec aliqua de predictis, nisi de consensu ipsius domini episcopi et suorum successorum; hoc salvo quod possint possessiones hujusmodi dare ad accapitum, ut de feudo franco et honorato est fieri consuetum.

Et fuit actum inter prenominatos contrahentes, nominibus quibus supra, quod si appareret, aliquo casu et tempore, presentem recognitionem non valere vel (= nec) valere posse de jure seu de facto, quod, in eo casu, dictus dominus Barnerius et Ayglina, ejus filia predicta, teneantur et debeant restituere dictas LX libras dicto domino episcopo

et suis successoribus, cum omni dampno, interesse et expensis, ad dicti domini episcopi voluntatem.

Acto etiam quod, si aliqua instrumenta reperirentur, per que appareret res recognitas esse alodiales, quod ipsa instrumenta essent irrita penitus atque nulla, in quantum derogarent presenti recognitioni et aliis supradictis,

Pro quibus quidem LX libris turonensium, reddendis et restituendis dicto domino episcopo et ejus successoribus, ad ejus voluntatem et simplicem requisitionem, eo casu quo appareret dictam recognitionem non valere, et interesse et expensis, ut est dictum, dictus dominus Barnerius personam suam et omnia bona sua, et dicta Ayglina, nomine quo supra, omnia bona sua et liberorum suorum predictorum, dicto domino procuratori, stipulanti et recipienti nomine quo supra, insimul et quilibet eorum in solidum, sine excusatione partis et persone, obligarunt viribus et cohertioni sigilli regii Montispessulani domini nostri regis, et carceri et cohertioni ejusdem.

Et nichilominus, sub eadem obligatione pro restituenda dicta peccunia, dicto casu evenienti, ut est dictum, pro aliis promissis per eosdem attendendis, promiserunt dare in fidejussorem et principalem paccatorem, Poncium Barnerii de Armasanicis domicellum, ad dicti domini procuratoris voluntatem et simplicem requisitionem.

Et sic predicta omnia et singula tenere, complere et contra non venire, de jure seu de facto, per se seu aliam interpositam personam, predicti dominus Barnerius et Ayglina, nominibus quibus supra, sub efficaci obligatione omnium bonorum suorum presentium et futurorum, promiserunt, et ad sancta quatuor Dei evangelia, ab ipsis sponte tacta, juraverunt sub omni renunciatione juris pariter et cauthela.

Quibus peractis, predicti dominus Barnerius et Ayglina, nominibus quibus supra, petierunt (= prestiterunt) eidem domino procuratori dicti domini episcopi, et per eum ipsi domino episcopo, sacramentum predictum fidelitatis, cum

omnibus suis clausulis et capitulis, contentis et que contineri intelligi possunt in dicto sacramento fidelitatis.

Et fuit michi Johanni de Deo, notario infrascripto, concessum per dictas partes, quod predicta omnia et singula, et pertinentia ad predicta, possim et valeam dictare, corrigere et emendare de consilio unius vel plurium sapientium, producere presens instrumentum in judicio vel non producere, substancia facti in aliquo non mutata, donec predicta omnia et [singula] robur obtineant perpetue firmitatis.

Acta fuerint hec Salvii, in domo dictorum domini Barnerii et Aygline, et fuerunt testes presentes dominus Johannes de Affriano jurisperitus de Montepessulano, dominus G. R[aimundi] miles, vicarius Salvii, Bt. de Rocaduno domicellus, bajulus Salvii, St. Coste, Egidius de Podio castri de Salvio, R. Textoris habitator dicti loci, et ego Johannes de Deo, notarius publicus dicti domini episcopi, [qui] in omnibus et singulis predictis una cum dictis prenominatis testibus presens interfui, et requisitus a dictis partibus hoc publicum instrumentum in notam recepi et notavi.

Postque, anno quo supra, et X die dicti mensis decembris, prefatus dominus Barnerius et Ayglina, ejus filia predicta, pro dictis LX libris, dicto domino episcopo et suis successoribus reddendis et restituendis, eo casu quo recognitio suprascripta non teneret seu valeret, ut est dictum, et, pro omnibus attendendis supra premissis per eosdem, dederunt in fidejussorem, prout promiserunt, et principalem paccatorem, Poncium Barnerii, domicellum de Armasanicis.

Qui dictus Poncius, in presentia mei notarii et testium infrascriptorum constitutus, et de recognitione, et obligatione et aliis suprascriptis certificatus, mandato et precibus dictorum domini Barnerii et Aygline, presentis et predicta confitentis, bona fide et sine dolo, pro dictis LX libris, reddendis et restituendis dicto domino episcopo, ad ipsius voluntatem et simplicem requisitionem, dicto casu evenente, scilicet

quod recognitio supradicta ac contenta in eadem non tenerent, de jure seu de facto, ut est supradictum, se et omnia bona sua obligavit penes me, notarium infrascriptum, ut publicam personam stipulantem et recipientem, nomine et vice dicti domini episcopi Magalonensis, et pro dictis LX libris solvendis, reddendis et restituendis, ut est dictum, dicto domino episcopo, ad ejus voluntatem et requisitionem, et cum omni dampno, interesse et expensis, dicto casu eveniente quovis modo.

Et pro omnibus aliis supra, per dictum dominum Barnerium et Ayglinam promissis, attendendis et complendis, obligavit michi, notario infrascripto, ut publice persone stipulanti et recipienti, nomine et vice dicti domini episcopi et sue curie Salvii, personam suam et omnia bona sua presentia et futura viribus et cohercione sigilli regii Montispessulani domini nostri Francorum règis, et carceri ac cohertioni ejusdem.

Et sic tenere, et complere et contra non venire, renuncians specialiter juri dicenti prius principalem fore conveveniendum quod intercessori (*sic*), et omni alii juri per quod contra venire posset, sub obligatione et ypotheca omnium bonorum suorum, promisit, et ad sancta IIII^or^ Dei evangelia ab ipso corporaliter tacta juravit.

Acta sunt hec (*sic*), testes presentes dominus Petrus Trezanni presbiter, R. de Podio castri de Salvio, St. Blanque dicti loci; et ego Johannes de Deo, notarius dicti domini Magalonensis episcopi, in omnibus et singulis supradictis, una cum prenominatis testibus, presens interfui, et, a dictis partibus requisitus, hoc publicum instrumentum in hanc notam recepi et notavi.

(Reg. F, fol. 183 r°).

MDCLXX. — 26 mars 1333

Philippe de Valois ordonne d'enlever les fourches patibulaires, élevées sur la juridiction du roi de Majorque.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri aut ejus locum tenenti, salutem.

Querelam carissimi consanguinei nostri et fidelis regis Majoricarum audivimus, continentem quod, de novo, gentes nostre quasdam furchas patibulares, in loco nuncupato *lo vas Sant Peyre*, de mandato vestro, prorexisse seu erigi fecisse, et in eisdem quendam hominem suspendisse dicuntur, in prejudicium consanguinei nostri predicti, quod nobis displicet, si sit ita, cum licet nullam sibi vellemus nullo tempore infere injuriam vel gravamen; specialiter quia nobis merito displiceret, si ipsa, apud nos existente, inferretnr eidem.

Quocirca vobis ex causa precize mandamus, quatenus, visis presentibus, absque spectatione alterius mandati, furchas ipsas indilate amovere faciatis, et in alio congruo loco, ubi, sine prejudicio ejusdem consanguinei nostri poterit, et de quo inter nos et ipsum pro predictis debatum esse non possit, eas plantare seu erigi faciatis.

Et nichilominus vos seu procurator noster vestre senescallie intersitis Parisius, diebus ballivie, unam (=sententiam ?) futuri proxime parlamenti, de jure nostro super loco seu juridictione loci, et exercitio seu executione ejusdem, in quo furche ipse plantate seu erecte fuerunt, plenarie informatis.

Significantes dicto consanguineo nostro seu ejus locum tenenti Montispessulani, ut, dictis diebus, per se vel procuratorem suum, intersit pro jure suo deffendendo, si sua crediderit interesse, et processurus ulterius sicut fuerit rationis; certificantes gentes nostras, dictum tenentes parlamentum, dicta die competenti, de receptis presentibus et aliis que

feceritis in premissis, quibus damus presentibus in mandatis, ut super hoc faciant justitie celeriter et debite complementum.

Datum in abbatia Maleduni, juxta Pontisaram, die vicesima sexta marcii, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo tertio.

(Reg. A, fol. 187 r°).

MDCLXX. — 26 mars 1333

Le procureur de l'évêque fait appel au roi contre les commissaires envoyés pour rechercher les usuriers.

Anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo tertio, et vicesima sexta die martii, domino Philippo rege Francorum regnante, et domino Johanne, Dei gratia episcopo Magalonensi dominoque Salvii presidente, noverint universi, quod existens in presentia discretorum virorum magistri Clementis Hermengarii et Rigaudi Betdoerii, asserentium se commissarios contra usurarios deputatos, nobilis Bertrandus de Rochaduno domicellus, bajulus Salvii pro domino nostro episcopo Magalonensi, reddidit seu tradidit michi Petro Pojade, notario infrascripto, tres papiri cedulas, simul sutas, scriptas, appellationem et quemdam aliam (= quedam alia?) continentes;

Quas petiit legi per me, notarium suprascriptum, in presentia dictorum dominorum magistri Clementis et Rigaudi, dicens, nomine dicti domini episcopi, et pro ipso et ejus curia Salvii, proponens, appellans, provocans, petens, requirens et protestans, ut in eis continetur.

Quarum cedularum tenores tales sunt:

Cum oppressis, et contra jus et justitiam agravatis, ap-

pellationis remedium sit a jure indultum, et ego Bertrandus de Rocaduno domicellus, bajulus Salviensis pro reverendo in Christo patre domino Johanne, Dei gratia episcopo Magalonensi dominoque Salvii, sentiam me, nomine dicti domini episcopi, et dictum dominum nostrum Magalonensem episcopum, dominum Salvii, in alta et bassa justitia et omnimoda jurisdictione oppressum, et in jure suo quam plurimum agravatum a vobis, discreto viro magistro Clemente He[r]mengarii et Rigaudo Bedoerii, qui vos dicitis comissarios, deputatos contra usurarios, ex eo et pro eo quod cum vos, pro jure dicti domini episcopi et ejus curie Salvii, requisivissem semel, secundo et pluries, ac, cum debita reverentia et instantia, requestam meam, cum publico instrumento, vobis, die mercurii proxime preterita, fecissem in hec verba:

Existens in presentia discretorum virorum, magistri Clementis Hermengarii et Rigaudi Bedoerii, dicentium se comissarios, contra usurarios deputatos, nobilis Bertrandus de Rochaduno domicellus, bajulus Salvii pro domino episcopo Magalonensi dominoque Salvii, dixit et proposuit coram eis quod dictus dominus episcopus habet merum et mixtum imperium, altam et bassam justitiam, et primum ressortum ac primas appellationes, in tota baylivia Salviensi, ex concessione, permissione et aysizia (= assizia), factis in Ecclesia[m] Magalone per dominum nostrum regem, in reconpasationem (= reconpensationem) et permutationem, factas cum dicta Ecclesia, cum parte regia Montispessulani;

Propter quod nullus infra dictam bailiviam potest nec debet pro tribunali sedere, nec judicare seu procedere, nisi dictus dominus episcopus, seu deputatus seu deputandus ab eo in aliquibus casibus, pertinentibus ad premissa.

Verum cum predicti comissarii declinaverint ad predictum locum de Salvio et ejus bailiviam, et nitantur uti jurisdictione contra dictos usurarios, insciis et irrequisitis gentibus dicti domini episcopi et non existentibus in aliquo defectu justicie exibende; idcirco predictus bajulus requisivit eos

semel, secundo et pluries, ac cum multiplicata instantia, ut a premissis supersedeant penitus et desistant; alioquin fuit de gravamine et juris denegatione et recursu habendo ad dictum dominum nostrum regem solempniter, cum debita tamen reverentia, protestatus.

De quibus omnibus petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Vos predicti domini, qui vos asseritis comissarios contra dictos usurarios, non obstante requisitione predicta et aliis requisitionibus, per me vobis factis, de facto processistis et procedere nitimini de die in diem, in prejudicium dicti domini episcopi et sue curie Salvii, citando et citari faciendo per vos et per quendam servientem, qui dicitur regium, nomine vocatum Jacobum, et etiam arrestando Bt. Restoble de Concayraco, bailivie Salvii, Raimundum de Podio vierle de Salvio, Hugonem Heymerici, et plures alios homines ville et baylivie Salviensis, justiciabiles dicti domini nostri episcopi et sue curie Salvii, quos asseritis fore usurarios;

Et etiam cum eis inquirendo et inquisitiones faciendo, ipsos, ut premittitur, sub diversis penis arrestando et incarcerando, et incarceratos et arrestatos in domo Bn. de Ulmo, ubi carcerem novum et de novo facitis, detinendo;

Pluresque preconisationes per villam Salvii faciendo fieri:

Inter aliam, preconizari facitis quod quicumque, qui velint conqueri de usurariis, venirent coram vobis, in villa Salvii, in domo Bn. de Ulmo, quod vos faceretis eis bonam emendam;

Et quod nullus conveniret, nac esset ausus convenire cum dictis usurariis; et, si convenera[n]t, quod hoc vobis manifestare deberent sub pena corporis et averi;

Et etiam nitimini, contra Deum et justitiam, salva regie magestatis ac vestri reverentia et honore, predictos homines dicti domini episcopi, ut premittitur, justiciabiles, extrahere de baylivia Salvii, et eos mittere captos apud Lunellum et alibi;

Et dictum Bt. Rostoble jam de villa et bailivia Salvii extrahi fecistis per dictum servientem, me nec aliis curialibus dicti domini episcopi minime requisitis et existentibus in nullo defectu justitie;

Adhibendo, pluraque alia faciendo et procedendo, et procedi et fieri faciendo in prejudicium juris et jurisdictionis dicti domini episcopi et sue curie Salvii, et etiam lezionem, cum dictus dominus episcopus, dominus Salvii, habeat, ut premittitur, merum et mixtum imperium, altam et bassam justitiam, ut premittitur, res[s]ortum ac primas appellationes, in tota villa et bailivia Salvii;

Propter quod nullus, infra dictam villam seu bailiviam Salvii, potest nec debet pro tribunali sedere, nec judicare seu procedere, ac inquirere in aliquibus casibus, pertinentibus ad premissa, nisi dominus episcopus, ut premittitur, vel gentes ejusdem.

Idcirco, a predictis citatis, arestatis, et preconisationibus, et aliis factis et processis per vos seu vestrum alterum, aut de vestro mandato, et etiam faciendis et procedendis, et etiam a juris denegatione et ab omnibus aliis gravaminibus, per vos factis et illatis michi, quo supra nomine, seu dicto domino episcopo et sua curia (=sue curie) Salvii, timens, et non immerito, provoco pro jure dicti domini episcopi et sue curie Salvii, et appello pluries et frequenter, solempniter et in hiis scriptis, infra tempus debitum, ad regiam magestatem, vel ad illum, sive ad illos, ad quem seu quos predicta appellatio seu provocatio pervenire potest seu debet.

Petens instanter et cum instantia apostolos michi concedi et tradi; qui, si denegati fuerint, reputans ex hoc me fore agravatum, appello iterum et provoco, prout supra, cum repetita apostolorum petitione.

Requirens vos ex parte regie magestatis, vel illius seu illorum, ad quem seu quos extitit appellatum, ne, dicta appellatione pendente, et donec de meritis ejusdem cognitum fuerit et discursum (=discussum), in aliquo premissorum procedatis, nec procedi permittatis;

Protestans quod, propter presentem appellationem, non intendo comissionem vestram, quam habere dicimini, approbare, nec vos aliquam potestatem habere predicta faciendi, cum in vestra comissione, quam asseritis habere, non constet vos nec illum, de quo dicitis esse deputatos, aliquam potestatem habere a regia magestate predicta faciendi.

Non concentiendo etiam factis, processis per vos et faciendis, in prejudicium juris et jurisdictionis dicti domini episcopi Magalone.

Protestans insuper quod predicta non intendo dicere seu facere in dampnum seu prejudicium domini nostri regis, nec in retardationem seu impedimentum ipsius domini regis et juris ejusdem, sed solum et duntaxat pro conservatione juris dicti domini episcopi et sue curie Salviensis.

Protestans etiam quod sit michi licitum aliam vel alias reddere appellationes in scriptis, et etiam predictam procequi per viam simplicem (= simplicis) querele, gravaminis seu aliis viis, modis et formis, quibus michi melius videbitur faciendum, pro conservatione juris et jurisdictionis dicti domini episcopi et sue curie Salviensis, cui, propter premissa, non intendo, tacite vel expresse, in aliquo prejudicare.

De quibus omnibus peto michi, quo nomine supra, fieri publicum instrumentum.

Quibus cedulis, in presentia dictorum dominorum, magistri Clementis et Rigaudi Bedoerii, per me dictum notarium [lectis], idem bajulus Salvii petiit sibi, nomine quo supra, fieri de predictis publicum instrumentum.

Et dicti comissarii petierunt copiam dictarum cedularum et omnium redditorum et requisitorum per dictum dominum bajulum, tam hodie quam alias, in presentia mei notarii infrascripti.

Et [ad] audiendum suam responsionem super predictis, habita copia omnium premissorum, assignaverunt eidem ad suam responsionem audiendam super predictis, seu domi-

norum, eorum magistrorum, per quos missi fuerant ad partes ipsas, videlicet diem lune proximam apud Lunellum, vel alibi, ubi domini eorum duxerint ordiuandum.

Cui assignationi idem bajulus, tanquam inserte (=incerte), salva reverentia dictorum dominorum, asserentium se esse commissarios, in eo quod dicunt *alibi ubi domini eorum duxerint ordinandum*, non consentiit, quatenus juri et juridictioni dicti domini episcopi et sue curie Salvii posset in aliquo prejudicare, seu eam aliqualiter impedire;

In supra requisitis, et protestatis, et appellatione predicta, et in aliis, in dictis cedulis contentis, persistendo, cum protestatione prehabita et semper salva, quod predicta non intendit facere in prejudicium domini nostri regis seu contemptum, nec ad impediendum seu retardandum jus regium, sed solum et dumtaxat pro conservatione juris et jurisdictionis dicti domini episcopi Magalonensis et sue curie Salviensis.

Et dicti comissarii petierunt et responderunt, et assignaverunt ut supra, maxime cum predicta dicta, requisita et protestata, per dictum dominum bajulum, non procedant, ut dixeerunt, ex verum (=vero), salvo honore ipsius et alterius cujuscumque cum reverentia.

Et incontinenti, dum fuerunt in dicto loco [de] Salvio antequam ad aliqua commissa eisdem vellent procedere, sibi et magistro Johanni de Deo, notario curie Salvii, litteram eorum comissionis exibuerunt et tradiderunt realiter, ut dixerunt; et, per ipsos seu eorum alterum, seu de eorum mandato, dicta littera, copiata et penes eosdem retenta, gratis et bono animo, in presentia plurium personarum, eisdem comissariis concesserunt, indixerunt servientem et preconem ad faciendum citationes, preconisationes, captiones et alia que in predictis essent necessaria pro jure domini nostri regis, ut dixerunt.

Super quibus, habita permitione dicti domini bajuli, pro-

cesserunt debite et non alias, et de eorum consilio et concensu, ut dixerunt.

Cui responsioni facte et faciende, et omnibus aliis dictis, factis et faciendis, et assertis per prenominatos, qui asserunt se esse comissarios, dictus bajulus non concentiit, in quantum juri et jurisdictioni dicti domini episcopi et dicte appellationi posset quovis modo prejudicare.

Insuper requisivit, proposuit et protestatus [fuit] et (= in appellationibus predictis percistendo.

Et dicti comissarii dixerunt, petierunt, et responderunt et assignaverunt ut supra.

De quibus omnibus dicti domini comissarii et bajulus predictus petierunt sibi fieri publicum instrumentum.

Actum Salvii, in hospicio Bn. de Ulmo, in presentia et testimonio magistri Guillelmi Boneti, Johannis de Deo notarii, Guillelmi Bruni, Michaelis Fabri de Salvio, Bt. de Fressaco, Bertrandi de Claúsellis de Concayraco, et mei Petri Pojade, notarii publici Salviensis dicti domini Magalonensis episcopi dominique Salvii, qui, requisitus per dictos doninos, comissarios asserentes se, et bajulum supradictum, hec omnia in notam recepi et scripsi.

Post hec, eadem die quasi incontinenti, venientes ad curiam Salvii, dicti asserentes se comissarios, deputatos super facto usurariorum, dixerunt, in absentia dicti domini bajuli, quod, dum dictus dominus bajulus ad presentiam eorum venit statim et reddidit predictas cedulas coram eis, plures, citati per servientem curie Salvii de mandato et concensu dicti domini bajuli, ut dixerunt; et etiam existerent pro eis informandis pro jure regio, et alias juxta continentiam eorum comissionis; impediti per dictum dominum bajulum et perturbati, ut dixerunt, predicti citati et alii, ob metum et timorem dicti bajuli, et quia eisdem gentibus et servienti-

bus suis prohibuerit ne dictis comissariis obedirent, confestim recesserunt a presentia eorumdem, ut dixerunt.

Quare fuerunt protestati dicti comissarii solempniter, contra dictum dominum bajulum, de contemptu, et inobedientia, et de dampno quod dominus noster rex, ob culpam ipsius, concequi posset in predictis ob causam predictam.

Et de predictis petierunt sibi fieri publicum instrumentum.

Testes fuerunt presentes magister Jo. de Deo notarius predictus, Guillelmus Violete clericus, et ego P. Pojade, notarius publicus supradictus, qui de predictis notam recepi, et, ad majorem firmitatem premissorum habendam, signo meo signavi.

(Reg. A, fol. 152 r°).

MDCLXXII. — 8 avril 1333

Érection d'une borne pour délimiter les juridictions de Melgueil et de Montpellier.

Anno Domini M° CCC° XXXIII°, et VIII die aprilis, domino Philippo Francorum rege regnante, noverint universi et singuli quod, receptis per venerabilem virum dominum Johannem Ricardi jurisperitum, judicem regium Montispessulani et comissarium infrascriptum, quibusdam litteris patentibus nobilis et potentis viri domini Philippi de Pria, militis domini nostri regis, senescalli Bellicadri et Nemausi, sigillo autentico senescallie Bellicadri et Nemausi, ut prima facie apparebat, sigillatis in dorso, ac sibi presentatis per gentes domini Magalonensis episcopi;

Quarum litterarum tenor talis est:

Philippus de Pria, miles domini nostri Francorum regis,

senescallus Bellicadri et Nemausi, domino Johanni Ricardi jurisperito, judici regio Montispessulani, salutem,

Conquesti sunt nobis procuratores dominorum nostri regis et episcopi Magalonensis, quod limites seu termini positi inter Montempessulanum et Melgorium, dividentes jurisdictionem predictorum dominorum, sunt evulsi, et casualiter amoti de loco suo.

Propter quad vobis comitimus et mandamus quatenus, si vobis ita esse constiterit dictos limites seu terminos sic evulsos et amotos reperiretis, in locum suum pristinum et debitum reduci et replantari faciatis.

Datum Nemausi, die XVII januarii, anno Domini millesimo trescentesimo XXXII[do].

Idem dominus judex et comissarius, ad requisitionem venerabilium virorum dominorum Johannis de Affriano et Guillelmi Clari jurisperitorum, nomine procuratorio ipsius domini episcopi Magalonensis requirentium, accessit una mecum Bndo de Pineto, notario regio pnblico Montispessulani, ad quemdam terminum sive limitem, qui erat in itinere, quo itur de Montepessulano versus Melgorium, transeundo juxta ecclesiam Beati Petri de Montearbedone.

Qui limes seu termiuus erat unus de prioribus, a parte respiciente mare seu Magalonam, erat ruptus quasi per medium, sed radix erat adhuc in terram cum agachonibus suis, plantatu (=plantatus), prout apparuit, post cavam ibi factam, juxta quem terminum seu limitem ruptum, erat ibi, carreria in medio, quidam alter limes seu terminus sibi correspondens.

Et in loco ipsius limitis seu termini, idem dominus judex et comissarius replantari et erigi fecit, cum agachonibus seu testibus lapideis, quemdam magnum lapidem pro termino dictarum jurisdictionum, per Bndum Andree, bannerium juratum curie regie Montispessulani, in presentia ipsius judicis et comissarii, ac dictarum gentium dicti domini episcopi, et mei notarii predicti et testium infrascriptorum.

De qua reductione et replantatione, idem dominus judex et comissarius pro jure dicti domini nostri regis, et dicti procuratoris ipsius domini episcopi, et pro jure suo, quilibet petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Acta fuerunt hec in dicto loco seu itinere, ubi erat dictus limes seu terminus ruptus; ad que fuerunt testes vocati et presentes Bndus Staque senior de Lunello, Bertrandus *Barros* et Bernardus Palla de Gijano, Deodatus Texterii nuncius domini Bndi de Texeriis prioris ecclesie de Frontiniano, Bernardus de *Puech Aymes* Sancti Johannis de Bodia, Guillelmus vocatus Quatuor Pilos de Claromonte diocesis Rodonensis, et plures alii, et ego idem Bndus de Pineto, notarius predictus, qui, requisitus hinc inde, predicta omnia et singula in notam recepi, et scribi feci per Petrum Boneti clerirum substitutum meum, ydoneum et juratum; et, facta collatione et conexione diligenti, hic me subscripsi et signo meo signavi propria manu mea, in fidem et testimonium omnium premissorum.

(Reg. B, fol. 178 r°).

MDCLXXIII. — 12 juillet 1333

Réparation de routes et de ponts à Melgueil.

Anno Dominice Incarnationis millesimo CCC° tricesimo tertio, videlicet duodecima die mensis julii, domino Philippo rege Francorum regnante, et reverendo in Christo patre domino Johanne, Dei gratia Magalonensi episcopo, comite Melgorii domino Montisferrandi presidente, noverint universi quod existentes in castro de Melgorio, in loco in quo curia tenebatur ibidem, in presentia videlicet nobilis viri Raimundi de Moleriis domicelli, locum tenentis domini vicarii ipsius curie, Bn. de Barrio domicellus et Guillelmus Bone, consules seu consiliarii universitatis hominum ipsius castri de Mel-

gorio, presentaverunt et tradiderunt eidem domino locum tenenti dicti domini vicarii, ac etiam per me, notarium infrascriptum, legi petierunt et requisiverunt quasdam patentes litteras nobilis et potentis viri domini Roberti de Pomayo militis, castellani et vicarii Bellicadri, locumque tenentis domini senescalli Bellicadri et Nemausi, a dorso earumdem sigillatas.

Quarum tenor talis est:

Robertus de Pomayo miles, castellanus et vicarius Bellicadri, locumque tenens domini senescalli Bellicadri et Nemausi, vicario Melgorii vel ejus locum tenenti, salutem.

Mandamus vobis, quatenus omnes et singulos vobis subditos, tam laycos quam clericos, predia vel bona in jurisdictione castri Melgorii [h]abentes, et qui utilitates recipiunt vel recipere poterunt, ex reparatione pontium et itinerum, ad contribuendum in reparatione hujusmodi juxta facultates suas, pro portione quemlibet tangente, debite et pertinere (*sic*) viribus compellatis vel compelli faciatis; alias damus, tenore presentium, in mandatis vicarie Aquarum Mortuarum, in (=ut) predicta, in vestro deffectu seu negligentia, exequatur.

Datum Nemausi, vicesima sexta die marcii, anno Domini millesimo CCC° tricesimo tertio.

Reddite litteras [si]gillatas.

Quibus litteris presentatis et lectis, predicti consules seu consiliarii petierunt et instanter requisiverunt contenta in ipsis litteris fieri et exequi per dictum dominum locum tenentem, juxta ipsarum litterarum continentiam et tenorem

Et dictus dominus locum tenens dicti domini vicarii, audito tenore dictarum litterarum, incontinenti obtulit se fore pariter (= paratum) contenta in ipsis litteris facere et exe-

cutioni demandari fieri, prout in ipsis litteris dicti domini locum tenentis dicti domini senescalli continetur.

De quibus dictus dominus locum tenens dicti domini vicarii curie predicte Melgorii petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Actum in dicta curia Melgorii; testes fuerunt ad predicta vocati Stephanus Berengarii, Johandes Rollandi, habitatores Melgorii, et ego Guillelmus Melii, notarius publicus dicti domini episcopi, qui, requisitus a dicto domino locum tenente dicti domini vicarii, hec omnia scripsi et signo meo signavi.

Constat michi de rasura *etc.*

(Reg. C, fol. 45 v°).

MDCLXXIV. — 31 août 1333

Plainte du bayle de Sauve contre le viguier de Sommières au sujet du seigneur de Laroque-Aynier.

Anno Domini millesimo trescentesimo XXX° III°, et die ultima augusti, domino Philippo rege Francorum regnante, existens apud Sumidrium coram nobili viro Hugone de Charantone domicello, vicario Sumidrii, Bertrandus de Rocaduno domicellus, bajulus Salvii pro reverendo in Christo patre ac domino, domino Johanne, Dei gratia episcopo Magalonensi, reddidit eidem quandam papiri sedulam (=cedulam) scriptam, quam per me, notarium infrascriptum, legi petiit et vulgariter explanari.

Cujus tenor talis est:

Constitutus personaliter in presentia nobilis viri Hugonis de Charantone domicelli, vicarii Sumidrii, nobilis Bertrandus de Rocaduno domicellus, bajulus Salviensis pro reverendo patre in Christo domino Johanne, Dei gratia episcopo

Magalonensi, dominoque Salvii et etiam castri de Ruppe Ayneria, in mero imperio et omnimoda alta justitia, dixit quod, prout ad suum pervenit auditum, dictus dominus vicarius, pretextu quarumdam litterarum, sibi directarum ex parte domini senescalli Bellicadri et Nemausi, citare fecit, ad presentem diem, coram ipso domino vicario, nobilem virum dominum Johannem de Salsano, militem dicti castri, ad inquirendum cum eodem super articulis quibusdam, redditis contra militem supradictum, per ipsum militem comissis, ut dicitur, in castro supradicto.

Unde, cum dicta citatio facta fuit irrequisito dicto bajulo Salvii, in nullo deffectu existente, factaque fuit in prejudicium juris et jurisdictionis dicti domini episcopi et sue curie cum locus de Ruppe Ayneria sit immediate de ressorto et jurisdictione curie Salvii, ex concessione facta Ecclesie Magalonensi per regiam magestatem cum parte regia Montispessulani;

Sitque idem miles justitiabilis et ressortiabilis immediate ipsius bajuli et sue curie Salvii, tum quia dictus bajulus et curia Salvii sit et fuerit in possessione et saysina inquirendi cum dicto milite, et eum puniendi et corrigendi de comissis delictis per ipsum in dicto castro et alibi infra bayliviam, et jurisdictionem et ressortum curie Salviensis.

Et sic dominus vicarius, salva sui reverentia, non debet contra dictum dominum Johannem, per modum inquisitionis procedere, nisi in defectu et negligentia ipsius bajuli; de quo deffectu non constat nec constare potest;

Et mandatum dicti domini senescalli intelligere debeat cum justitia, cum non sit sue intentionis, quod dictus dominus vicarius in predictis procedat in prejudicium domini episcopi sepedicti.

Requisivit, cum debita reverentia, semel, secundo et pluries, dictum dominum vicarium, quatenus supercedendo ab inquisitione, facienda contra dictum militem, ratione premissorum, ipsum militem presentem remitat et remiti debeat ipsi bajulo, pro suis, si comisit, excessibus puniendis, tanquam justiciabilem et ressorciabilem, ut premititur, ipsius

bajuli et curie Salviensis, cum ipse bajulus sit et fuerit, et se esse paratum obtulit de dicto milite facere breve justitie complementum, et ipsum punire juxta merita delictorum.

Et ad informandum dictum dominum vicarium, quod intentio dicti domini senescalli fuerit quod idem dominus vicarius in predictis procedere non debeat, nisi requisitis gentibus dicti domini episcopi, et existentibus in deffectu, exhibuit eidem et ostendit quasdam patentes litteras, a dicto domino senescallo emanatas, alias eidem domino vicario presentatas; necnon quod sit intentionis regie magestatis et dicti domini senescalli, quod idem vicarius in terris et locis in quibus dictus dominus episcopus vel ejus subditi habent omnimodam altam et bassam justitiam, et in eis in quibus dictus dominus episcopus immediate habet ressortum, nullum officium exercere valeat, nisi in defectu gentium dicti domini episcopi.

Exhibuit et presentavit eidem domino vicario quasdam patentes litteras, a curia dicti domini senescalli emanatas, in quibus sunt inserte littere regie, alias eidem vicario seu ejus predecessori presentatas, quarum tenor inferius est insertus.

Alias [de] deffectu justitie et juris denegatione, et de habendo recursum ad dominum nostrum regem, vel ad dictum dominum senescallum, fuit sollempniter protestatus, cum protestatione ipsi bajulo semper salva (*sic*).

Quare propter predicta seu alia per ipsum dicenda seu facienda, non intendit juri et jurisdictioni dicti domini episcopi et sue curie Salvii, in aliqua prejudicare seu eam aliqualiter impedire; de jure et jurisdictione dicti domini episcopi et sue curie Salvii in omnibus actis et agendis protestando.

Qua reddita et lecta per me, notarium infrascriptum, dixit, requisivit, ac petiit et protestatus fuit, ut in dicta cedula continetur.

De quibus petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Et dictus dominus vicarius respondit post paululum, ut sequitur:

Et dictus dominus vicarius dixit, respondens contentis in requesta predicta, sue non esse intentionis supercedendi ab inquisitione facienda contra dictum dominum Johannem de Salsano, super eo videlicet quod comisit in personam magistri Bernardi Brisba, jurisperiti de Agantico, in castro suo de Ruppe Ayneria seu sua curia dicti castri jurisdictionem exercendo, dum dictus advocatus, in curia predicta, jus requirebat sibi fieri per ipsum dominum Johannem, pro quadam parte ipse advocatus ibidem venerat causa advocandi et patrocinium prestandi parti sue predicte, ipsum verberando atrociter et male tractando,

Et de quibusdam aliis criminibus et ex[c]essibus, per ipsum dominum Johannem in dicto castro de Ruppe Ayneria, exercendo jurisdictionem, comisit (= comissis).

De quibus culpabilit extitit repertus per informationem inde legitime factam, tam ex suo officio quam virtute quarumdam litterarum nobilis et potentis viri domini Philippi de Pria, militis domini nostri nostri Francorum regis, senescalli Bellicadri et Nemausi, sibi super dicta inquitione facienda, directarum.

Quarum tenor talis est:

Philippus de Pria, miles domini nostri Francorum regis, ejusque senescallus Bellicadri et Nemausi, vicario Sumidrii vel ejus locum tenenti, salutem.

Cum vos, pretextu cujusdam comissionis, per nos vobis facte, super quibusdam articulis, nobis redditis contra nobilem virum dominum Johannem de Salsano militem, condominum de Ruppe Ayneria, et quos vobis miseramus sub sigillo senescallie Bellicadri interclusos, [ut] informationem faceretis contra militem antedictum.

Per quam informationem, idem miles culpabilis reperitur de et super quibusdam articulis antedictis;

Idcirco vobis comittimus et mandamus, quatenus, de et super contentis in dictis articulis, cum dicto milite inquiratis, et ipsum, prout demeruerit, cum consilio vestri judicis taliter puniatis, quod ejus pena ceteris transeat in exemplum.

Datum Sumidrii, die vicesima tertia mensis augusti, anno Domini M° CCC° trescentesimo tertio.

Quare cum de jure communi et etiam de usu et consuetudine senescallie Bellicadri predicte, dominus noster rex sit et semper fuerit in possessione et saysina pacifica puniendi et justitiandi dominos et curiales, delinquentes officiando; et ipse dominus Johannes, ut supra tactum est, delinquerit, jurisdictionem exercendo, nullam remissionem de ipso domino Johanne predicto bajulo Salvii facere, nec facere intendit, nec et ipsum a castro Sumidrii licentiare, quousque responderit inquisitioni quam de et super premissis, virtute litterarum predictarum, facere vult et intendit.

Negans dictam Salvii curiam esse seu fuisse in possessione inquirendi seu alias puniendi dictum dominum Johannem, de hiis que juridictionem exercendo comiserit.

Et, si contingeret dictam curiam inquisivisse olim cum eodem de per ipsum comissis, modo predicto factum extitit insciis et ignorantibus curialibus regiis, de quo protestatur, quod, contra dictam curiam et curiales ejusdem, pro jure regis, vult et intendit contra ipsos de premissis procedere, ut justum fuerit et etiam rationis, cum falcem suam posuerint in messem alienam.

Mandatum vero regis et dicti domini senescalli superius insertum vult et intendit, in omnibus et per omnia, cum, attento tenore ejusdem, nichil faciant (*sic*) quantum ad inquisitionem predictam, nec ipsum impediant in aliquo qui[n] libere inquirere possit et valeat de criminibus predictis contra dictum dominum Johannem, vel si (= ut) accideret contra alios quoscumque dominos seu curiales dicte Salvii baylivie.

si jurisdictionem exercendo vel alias officiando delinquerent quoquomodo.

Cui responsioni facte sive faciende idem bajulus Salvii non consentiit, quatenus juri et jurisdictioni dicti domini episcopi et sue curie Salvii posset in aliquo prejudicare, seu eum aliqualiter impedire: in supradictis propositis, requisitis et protestatis persistendo.

De quibus dictus bajulus petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Et nichilominus dictus dominus vicarius et commissarius dixit, respondit et protestatus fuit ut supra.

Tenor vero litterarum, de quibus in requesta supradicta habetur mentio, subsequitur et est talis:

Bernardus de Languyssello miles, Albasii dominus, locum tenens domini senescalli Bellicadri et Nemausi, [rectori] regio Montispessulani, vicario Sumidrii ceterisque justiciariis dicte senescallie, quibus presentes littere hostendentur, et eorum alteri vel eorum loca tenentibus, salutem.

Litteras patentes regias nos recepisse noveritis sub hiis verbis:

Philippus, Dei gratia *etc. ut supra* T. V, p. 72, n° 1503.

Quarum auctoritate vobis precipimus et mandamus, quatenus omnia et singula, in dictis litteris contenta, faciatis, adimpleatis et exequamini diligenter, juxta ipsarum continentiam et tenorem; et, si qua contra ipsarum tenorem feceritis, illa ad statum pristinum reducere non tardetis.

Actum Nemausi, sexta decima die septembris, anno Domini millesimo CCC^e tricesimo.

Reddite litteras s[igillatas].

Acta sunt hec Sumidrii, in hospicio Guillelmi Guache, testibus presentibus magistris Berengario Rotguerii notario, habitatore Sumidrii, Johanne de Deo de Salvio notario, et me Nicholao Bajuli, notario regio et curie Sumidrii, qui, requisitus et rogatus, predictam notam [sumpsi].

De qua nota non cancellata *etc.*

(Reg. C, fol. 41 r°).

MDCLXXV. — 2 septembre 1333

Le procureur de l'évêqne en appelle au roi contre le viguier de Sommières, au sujet du seigneur de Laroque.

Anno Domini M° CCC^{mo} XXXIII°, et die secunda septembris, domino Philippo rege Francorum regnante, existens apud Sumidrium coram nobili viro Hugone de Charantone domicello, vicario Sumidrii, magister Guillelmus Holanie, jurisperitus, procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris ac domini, domini Johannis, Dei gratia episcopi Magalonensis, ut de dicta procuratione constat per quasdam patentes litteras predicti domini episcopi, ejus sigillo inpendenti sigillatas, presentavit et reddidit eidem quandam papiri cedulam scriptam, appellationem suam continentem, quam per me, notarium infrascriptum, legi petiit et explicari; et est tenor talis:

Cum oppressis et contra jus et justitiam agravatis, appellationis remedium a jure sit introductum, idcirco ego Guillelmus Holanie, procurator et nomine procuratorio reverendi in Chisto patris et domini, domini Johannis, Dei gratia episcopi Magalonensis, prout de mea procuratione constat per quasdam litteras dicti domini episcopi, factas sub anno Domini M° CCC^{mo} XXX tertio, et XVIII^{a} die junii, que inci-

piunt in secunda linea *Holanie*, et finiunt in eadem *quemlibet*;

Sentiens dictum dominum meum et jus suum, et etiam me, nomine procuratorio ejusdem, a vobis, nobili viro Hugone de Charantone domicello, vicario Sumidrii, multipliciter agravatum, ex eo et pro eo quia, cum nobilis Bertrandus de Rocaduno domicellus, bajulus Salvii pro dicto domino Magalonensi episcopo, vos in scriptis requisivisset:

Cujus requeste tenor talis est:

Constitutus personaliter in presentia nobilis viri Hugonis de Charantone domicelli, *etc.*, *ut supra in hoc T. a p. 460 ad p. 462, usque ad* in omnibus actis et agendis protestando.

Super qua requesta denegastis et etiam recusastis sibi justitiam ministrare, licet dictus bajulus cum dicto milite processit ad inquirendum, ita quod non restat nisi ferri sententiam:

Ymo non obstante dicta requesta, et aliis de quibus supra habetur mentio, dixistis vos velle contra dictum militem super dicta inquisitione procedere, prout in dicta responsione per vos facta continetur, non obstante quod dictus dominus episcopus et sua curia sit in possessione et saysina, juxta etiam mandata regia tales vel similes delinquentes puniendi et corrigendi, ad dominum senescallum Bellicadri et Nemausi, vel ad illum seu ad illos, ad [quem] seu ad quos, de jure vel de consuetudine, presens appellatio pervenire potest et debet, sollempniter et in hiis scriptis provoco et appello, et apostolos sepe et sepius, instantia qua decet et convenit, peto michi dare et concedi.

De quibus peto michi fieri publicum instrumentum.

Tenor vero litterarum, de quibus supra est facta mentio, talis est:

Bernardus de Languysello miles, Albasii dominus. *etc. ut supra*, T. V, p. 465.

Qua reddita et lecta, appellavit et apostolos petiit, ut in ea continetur.

Protestans quod per ipsum non stat nec stabit, quominus dicti apostoli sibi concedantur.

Et dictus dominus vicarius, volens super predictis deliberare, ad suam responsionem audiendam diem sabbati proximam dicto procuratori assignavit ut supra.

Acta fuerunt hec Sumidrii in hospicio, in quo magister Guillelmus de Blaqueria inhabitat, testibus presentibus dicto magistro Guillelmo, domino Bn. Augerii milite, magistro Berengario Rotgerii notario regio, habitatore Sumidrii, et me Nicholao Bajuli, notario regio et dicte curie infrascripto, qui, requisitus et rogatus, predicta notavi.

Qua die sabbati, coram predicto domino vicario, venit dictus magister Guillelmus Holanie, procurator et procuratorio nomine dicti domini episcopi.

Et persistens in sua appellatione, obtulit se paratum audire respontionem domini vicarii predicti, si quam facere voluerit super predictis.

Et dictus dominus vicarius dixit quod dominus noster rex, jure suo regali, est et fuit in possessione et saysina, per totam senescalliam Bellicadri, puniendi et corrigendi judices, baylivos et quoscumque alios habentes jurisdictionem, delinquentes officiando vel in habitu officiandi, seu alias quoquo modo;

Et specialiter curia Sumidrii domini nostri regis, puniendi et corrigendi dominos dicti castri de Ruppe Ayneria, ante permutationem factam de Montepessulano et terra Salvii, et post, ut de hoc apparet per legitima documenta; necnon,

eorum maleficiis exigentibus, ipsos capere et captos tenere apud Sumidrium, scientibus et non contradicentibus gentibus dicti domini episcopi.

Quare respondit, quod ipse non admittit dictam [appellationem], tamquam frustratoriam et inanem, et causa differendi justitie plus quam pro bono statu terre interjecta[m]: Maxime cum dominus noster rex, in permutatione predicta, sibi retinuit exercitum et cavalcatam, et equos armatos, et alios casus superioritatis, inter que predicta causa esse videtur; presentem respontionem dicto appellanti pro apostolis reffutatorum concedendo cum divisorum (= dimissorum) in hac parte non sit locus.

Protestans contra dictum dominum episcopum et ejus gentes, et specialiter contra dictum bajulum Salvii, qui pretendit, usurpando jurisdictionem regiam, inquirendo in casibus, ad dominum nostrum regem pertinentibus, cum dicto domino Johanne de Salsano.

Cui respontioni dictus procurator non consentiit, in quantum juri dicti domini sui et jurisdictioni posset prejudicium generare, nichilominus in sua appellatione persistendo.

Et nichilominus dictus dominus vicarius respondit ut supra.

Acta fuerunt hec Sumidrii, in hospicio G. Gache, testibus presentibus Guillelmo de Cazalicris juniore de Andusia, Johanne Berengarii de Lunello, et me Nicolao Bajuli, publico dicti domini regis et dicte curie notario, qui, requisitus et rogatus, predicta publice scripsi et notavi.

De qua nota non cancellata *etc.*

(Reg. D, fol. 77 r°).

MDCLXXVI. — 17 octobre 1333

En exécution des lettres du sénéchal, le lieutenant du bayle de Sauve lève, pour le roi, des hommes à Durfort.

Anno Domini M° CCC° XXX° III°, et die decima septima mensis octobris, domino Philippo rege Francorum regnante, et domino Johanne, Dei gratia Magalonensi episcopo dominoque Salvii (*blanc 1 cent.*), noverint universi quod discretus vir Bertrandus de Fressaco, locum tenens Bertrandi de Rocaduno, bajuli Salviensis pro dicto domino episcopo Magalonensi, dominoque Salvii et de Duroforti, receptis quibusdam patentibus litteris, missis sibi per dominum vicarium Sumidrii;

Quarum tenor talis est:

Hugo de Charantone domicellus, valletus domini nostri regis, et pro eodem vicarius Sumidrii, bajulo de Salvio vel ejus locum tenenti, ceterisque justiciariis nostre vicarie Sumidrii et ressorti ejusdem, salutem.

Litteras infrascriptas recepimus in hec verba:

Philippus de Pria, miles domini nostri Francorum regis, ejusdem senescallus Bellicadri et Nemausi, omnibus rectoribus, vicariis, judicibus, ballivis et aliis justiciariis nostre senescallie, et eorum cuilibet aut eorum locum tenentibus, salutem.

Ex causa, vobis et vestrum cuilibet precipimus et mandamus, districtius injungentes, novo super hoc deliberato consilio, quatenus per loca, vobis subdita, quibus talia fieri consueverunt et debent, preconisare publice faciatis ut omnes subditi vestri qui tenentur facere domino nostro regi servicium hominum peditum armatorum, sint parati et prompti, coram vobis, in locis consuetis et condecentibus,

facere monstram armorum, vice nostra, cum armis eisdem injunctis, et que facere tenentur. scilicet quilibet secundum statum et conditionem suam. in vestri presentia. bene et concedentes (=condecenter), infra octo dies a die receptionis presentium computandos:

Et quod vos in monstra hujusmodi, prout ad quemlibet vestrum pertinuerit, in locis vobis subdictis (=subditis) intersitis, et nomina hominum monstre hujusmodi, et que arma habebunt et portabunt. et quod sunt apti ad ea portanda, sub loco in scriptis faciatis redigi. et penes vos detinere volumus, ut ea nobis valeatis exhibere.

Ac preconisare et precipi faciatis, et sub pena quam possent incurrere erga dominum regem, ut omnes illi jurisdictionum vestrarum et ressorti earumdem, qui tenentur facere equos armatos et homines armorum domino nostro regi sunt (=sint) prompti et parati nobis facere, nomine domini nostri regis, consuetam monstram equorum armatorum et personarum decensium (=decentium), die tertia instantis mensis novembris apud Nemausum, et sub illa pena quam possent incurrere erga dominum nostrum regem;

De nominibus autem illorum qui facere tenentur, nos, dictis die et loco, certificare curetis:

Quam monstram tunc in dicto loco Nemausi et die, recipere intendimus in persona:

Et hoc, modo aliquo, facere minime obmittatis.

Datum Nemausi, die quinta octobris, anno Domini M° CCC° XXXIII°.

Reddite litteras sigillatas.

Quarum litterarum auctoritate, vobis et vestrum cuilibet districte precipimus et mandamus, quatenus preconisare publice faciatis, per loca vobis subdita, ut omnes illi qui facere tenentur servicium domino nostro regi hominum peditum, veniant et personaliter coram nobis compareant, cum armis eisdem injunctis, et que facere tenentur, die jovis proximo apud Sumidrium, ad finem quod de nominibus ipsorum, et armis ac sufficientia ipsorum hominum. pre-

dictum dominum senescallum valeamus, suo loco et tempore, informare.

Et nichilominus preconisare publice faciatis, quod quicumque tenea[n]tur facere equos armatos et homines armorum dicto domino regi, veniant prompti et personaliter compareant apud Nemausum, coram dicto domino senescallo Nemausi, die tertia mensis novembris, ad faciendum monstram equorum [et] armorum consuetam, cum personis decentibus, sub pena quam possent incurrere erga dominum nostram regem; et de omnibus illorum, qui equos armatos et homines armorum dicto domino regi facere tenentur; et causam quarum (*sic*) quarum nos, per vestras litteras aut alias legitime, hinc ad quindecim dies proxime, certificare curetis, ad finem quod dictum dominum senescallum certificare valeamus, juxta tenorem litterarum predictarum;

Et omnia alia, in dictis litteris contenta, faciatis et adimpleatis, juxta ipsarum continentiam et tenorem, taliter in predictis vos habentes, quod in vobis nullus deffectus reperiatur; quod si fieret, ad vos et bona vestra haberetur recursus.

Datum Sumidrii, die octava octobris, anno Domini M° CCC° tricesimo tertio.

Reddite litteras sigillatas, in signum mandati per vos fideliter et diligenter exequti.

Prefatus locum tenens, pro exequendis contentis in dictis litteris, convocatis coram eo, vigore dictarum litterarum, hominibus et personis balivie de Duroforti, et perlectis eisdem hominibus, coram eo cum armis comparentibus, litteris supradictis, prefati homines, ibidem congregati coram dicto locum tenente, fecerunt monstram eis impositam, ut dicebant.

Que arma et nomina dictorum hominum, dictam monstram facientium, idem locum tenens conscribi et regestare petiit per me, notarium infrascriptum.

Qua monstra facta per dictos homines et per dictum locum tenentem recepta, prefatus locum tenens precepit dictis hominibus, dictam nostram facientibus, et per eos aliis absentibus tote (=totius) bailie de Duroforti, quod arma non sufficientia, que indigent reparatione, de die in diem emendent et reparent;

Et quod sub pena, quem possent (*blanc 2 cent.*) erga dominum nostrum regem et curiam Salviensem, sint et stent parati cum dictis armis et prompti bene et sufficienter pro faciendo servicio domini nostri regis, si et quando fuerint mandati;

Et quod faciant et adimpleant mandata, in dictis litteris contenta, juxta ipsarum litterarum tenorem.

De quibus dictus dominus locum tenens petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Actum in dicto loco de Duroforti; et fuerunt testes presentes Bremundus de Barre domicellus, Guillelmus Berengarii, Petrus de *Rouresols* de Duroforti, Johannes Leceri alias Sala de Salvio, et magister Petrus Pojade, publicus notarius Salviensis prefati domini episcopi Magalonensis, qui de predictis per dictum locum tenentem requisivit (=requisitus), predicta scripsit publice et notavit.

De cujus nota non cancellata *etc.*

(Reg. F, fol. 312 r°).

MDCLXXVII. -- 10 novembre 1333

Le lieutenant du sénéchal casse un jugement, confirmé par la cour d'appel de l'évêque; appel au roi

Anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo tertio, et die decima mensis novembris, domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, dicta die apud Nemausum assignata per nobilem et potentem virum, dominum Philippum

de Pria, militem dicti domini nostri Francorum regis, senessallum Bellicadri et Nemausi, Guillelmus de Manso. ad sententiam audiendam peremptorie et precise, comparuit coram venerabili viro domino Stephano de Cabanis, legum doctore, locumque tenente dicti domini senescalli, magister Raimundus Molosani, procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Magalonensis episcopi, et Guillelme, filie Bonihominis, defflorate per dictum Guillelmum de Manso, ut dicitur, in causa cujusdam appellationis, in curia dicti domini senescalli ventilata inter dictas partes. petentes dicte partes, [juxta] presentis diei [assignationem], sententiam ferri in hac causa per locum tenentem dicti domini senescalli.

Et dictus dominus locum tenens dicti domini senescalli, juxta presentis diei assignationem, et ad requisitionem dictarum partium, facta relatione processus cause principalis et presentis appellationis, in consilio dicti domini senescalli, coram ipso deliberato consilio, ad suam sententiam proferendam processit ut sequitur:

Ad hec, nos Stephanus de Cabanis, legum doctor, judex criminum dicte senescallie, et locum tenens nobilis et potentis viri domini Philippi de Pria militis, senescalli Bellicadri et Nemausi, ut in libello appellatorio, per procuratorem dicti Guillelmi de Manso. in causa presentis appellationis, in curia dicti domini senescalli, reddito;

Cujus quidem libelli tenor talis est:

Coram vobis, nobili et potenti milite, domino senescallo Bellicadri et Nemausi, seu vestro locum tenente, asserit et proponit Raimundus Fiesfati, habitator Nemausi, procurator et nomine procuratorio Guillelmi de Manso de Salvio, auctoritate curatoris ipsius, scilicet Johannis Bruni de Salvio, constitutus, quod discretus vir dominus Guillelmus Clari,

judex curie Salvii, et auctoritate cujusdam inquisitionis, facte contra ipsum Guillelmum, in curia Salvii pro eo delatus, ut dicitur, extitit, quod Guillelmam Bonehomena[m] defloverat, licet non sit rei veritas, in suis deffensionibus non auditus;

Non attendendo contenta in actis dicte inquisitionis;

Nec etiam attento statuto beati Ludovici super inquisitione et tormento facto;

Non attento etiam genere inbonitatis delati et genere dicte Guillelme, et pluribus aliis non attentis, salva sui reverentia, indebite et injuste pronunciavit ipsum Guillelmum fore torquendum et questionandum;

Non attento et considerato quod nulla presumptio, nulla indicia certa et vera de dicta defflorationc contra ipsum invenirentur;

Propter quod, a dicta pronunciatione, ad judicem appellationum curie domini Magalonensis episcopi, extitit, per partem dicti Guillelmi, legitime et infra tempus debitum, appellatum et etiam provocatum:

Item asserit et proponit quod Johannes de Affriano, judex appellationum dicti domini Magalonensis episcopi, non consideratis nec attentis omnibus supradictis, pronunciavit male fuisse appellatum per partem dicti Guillelmi, et bene pronunciatum per judicem ordinarium Salvii, salvo sui reverentia, indebite et injuste.

Item asserit quod a predicta pronunciatione, facta per dictum judicem appellationum, extitit, per partem ipsius Guillelmi ad vos, dominum senescallum seu vestrum locum tenentem, legitime appellatum, tanquam ab iniqua, de nullitate dicte sententie semper protestando.

Quare petit, et requirit et supplicat dictus procurator, nomine quo supra, per vos, dictum dominum locum tenentem, predictam sententiam et condempnationem, prout de facto processerunt, revocari, et pronunciare predictos judices, ordinarium et appellationum, inique et perperam condempnasse, ipsumque Guillelmum de Manso bene et legitime appellasse et provocasse.

Protestans idem procurator, quo supra nomine, de nullitate sententiarum predictarum, super qua primo et principaliter pronunciari petit, si nulle apparuerint in processu, salvo tamen sibi jure minoris etatis, vigore cujus, si lesus reperiatur, petit se in integrum restitui.

Et hoc petit eo jure quo melius potest, non astrigendo se, nomine quo supra, ad probandum nisi ea duntaxat que sibi sufficere videbuntur.

Et cum dictus Guillelmus, quasi per annum, steterit in carceribus domini Magalonensis episcopi mancipatus apud Salvium propter predicta, et nulla presumptio contra ipsum de dicta deffloratione repperiatur, supplicat, prout alias mandatum extitit per dominum senescallum, cum cautione ydonea se a dicto carcere relaxari, ad finem ut dictum negocium possit prosequi per se ipsum, presertim quia nullum reperit, cum sit pauper, et pretextu potentie dicti domini episcopi Magalonensis, quod predictum negotium velit ducere seu aliquatenus acceptari; et quia sua negocia et rerum suarum depereant pretextu dicte captionis et carcerum, in quibus dictus Guillelmus est detentus.

Cui libello petit per partem adversam, si quis legitime compareat, responderi.

Ex privilegio appellationis petit se admitti ad dicendum de jure suo, nomine quo supra.

Visis etiam omnibus actis, actitatis, tam in causa principali quam in causa appellationis presentis in curia dicti domini senescalli ventilate inter dictas partes:

Et facta relatione de eisdem coram nobis et consilio dicti domini senescalli:

Habitaque plena deliberatione et consilio cum peritis super infrascriptis:

Consideratisque omnibus et singulis que in predictis et circa predicta erant consideranda:

Nichil de contingentibus pretermisso:

Die presenti dictis partibus ad sententiam audiendam

peremptorie et precise assignata, et quam ad cauthelam eisdem presentibus de presenti etiam assignamus;

Sedentes pro tribunali more majorum, sacrosanctis Dei evangeliis in nostro conspectu positis, et Dei nomine invocato, et venerabili signo Sancte Crucis preposito: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

Per ea que probata sunt pro parte Guillelmi de Manso, in causa presentis appellationis, in curia dicti domini senescalli inter dictas partes ventilata, per hanc nostram deffinitivam sententiam, quam in hiis scriptis ferimus, pronuntiamus per predictos judices, ordinarium et appellationum curie Salvii, male fuisse judicatum, et per dictum Guillelmum bene fuisse appellatum, predictas sententias dictorum judicum hac nostra presenti sententia infirmantes.

A qua quidem sententia, salvo jure nullitatis, dictus magister Stephanus Figarede, procurator et nomine procuratorio dicti domini episcopi et dicte Guillelme, filie dicti Petri Bonihominis, tanquam ab iniqua et injusta, ut dixit, incontinenti sentiens se gravatum, nominibus quibus supra, viva voce provocavit et appellavit ad dominum nostrum Francorum regem, et apostolos sepe et sepius et instanter sibi tradi petiit et concedi.

Et dictus magister Raimundus Molosani (*sic*), ut procurator et procuratorio nomine dicti Guillelmi de Manso, protestatus fuit de pena, a jure statuta contra temere appellantes, adversus et contra dictum magistrum Stephanum, nomine quo supra, temere appellantem.

Protestatus fuit etiam de expensis per dictum Guillelmum, cujus est procurator, factis, ratione temere vexationis, et occasione premissorum, contra ipsum facte.

Et dictus magister Stephanus, nominibus quibus supra, persistens in sua appellatione, petiit et requisivit quod, pendente appellatione hujusmodi, nichil novi fiat; quod si

fieret, ex nunc ut ex tunc sentiens se gravatum, nominibus quibus supra, appellavit et apostolos petiit, ut supra.

De quibus omnibus et singulis supradictis, dictus magister Raimundus Molosani, nomine quo supra, quam dictus magister Stephanus Figarede, nominibus quibus supra, petierunt quilibet sibi fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Acta fuerunt hec apud Nemausum, in magno consistorio curie dicti domini senescalli, presentibus testibus venerabilibus viris dominis Raimundo Saynerii, procuratore regio dicte senescallie, Stephano Orsoni, Franciscus de Areis jurisperitis, magistris Guillelmo Bricci, Stephano Gauterii, Petro Boucos notariis, et magistro Bertrando Aurelhe, notario publico regio et curie dicti domini senescalli, qui, de predictis requisitus, notam recepit.

De qua nota non cancellata, et in cartulario curie dicti domini senescalli scripta, *etc.*

(Reg. F, fol. 187 v°).

MDCLXXVIII. — 13 janvier 1333 (n. s. 1334)

Philippe de Valois ne veut pas que la sauvegarde royale enlève à l'évêque sa juridiction sur ses sujets.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri vel ejus locum tenenti, ceterisque justiciariis nostris, ad quos presentes littere pervenerint, salutem.

Ad supplicationem dilecti et fidelis nostri episcopi Magalonensis, dicentis quod ipse, occasione salvagardiarum nostrarum, pluribus subditis et justiciabilibus suis per nos seu nostram curiam concessarum, in sua jurisdictione et in exercicio multipliciter et minus debite impeditur, nostreque intentionis non existat nec volumus, quod hujusmodi gardie nostre tollant vel impediant jurisdictionem ipsius episcopi,

vel alterius cujuscumque, vel propter eas eidem episcopo vel aliis prejudicium aliquod generetur, mandamus vobis et vestrum cuilibet, ut ad eum pertinuerit, quatenus salvasgardias nostras hujusmodi auctoritate vestra vel aliorum officialium nostrorum propria, vel de mandato nostro, per litteras nostras cum verbo ponentes, ejusdem episcopi subditis et justiciabilibus sine cause cognitione concessas et appositas, amoveatis et revocetis indilate, nec hujusmodi salvasgardias aliter aliquibus de ipsius episcopi subditis et justiciabilibus sine causa cognita, concedatis, seu aliquos recipiatis in eisdem.

Si vero salvegardie nostre per litteras regias cum verbo suscepimus, vel per vos, ut premissum est, causa cognita concesse fuerint, dictum episcopum seu ejus gentes, quin in subditos et justiciabiles suos jurisdictionem suam libere, prout ad ipsos pertinuerunt, exercere valeant ac si dicte salvegardie non fuissent apposite seu concesse, nullatenus impediatis seu impedire quomodolibet permittatis;

Quicquid super hoc secus in ejusdem episcopi prejudicium sueque jurisdictionis attemptatum fuerit, ad statum pristinum et debitum revocantes, taliter quod in vestri deffectum non iteretur querela, litteris subrepticiis seu (*dechir. 5 cent.*), quibuscumque.

Datum apud Vincenas, die XIII januarii, anno Domini M° CCC° XXXIII.

(Reg. B, fol. 200 r°).

MDCLXXIX. — 26 janvier 1333 (n. s. 1334)

Colin et Pierre Bertrand frères, reconnaissent tenir de l'évêque les usages, achetés à Guillaume de Combaillaux.

Anno Dominice Incarnationis millesimo tricentesimo tricesimo tertio, scilicet vicesima sexta die februarii, illustrissi-

mo principe domino Philippo Dei gratia Francorum rege regnante, noverint universi quod nos Raimundus de Texeriis, prior prioratus de Frontiniano, canonicus Magalonensis, vicarius generalis in spiritualibus et temporalibus reverendi in Christo patris domini Johannis, Dei gratia Magalonensis episcopi, scientes et attendentes quod vos, Colinus et Petrus Bertrandi fratres, burgenses Montispessulani, ibidem presentes, emistis justo titulo, aut alter vestrum a nobili Guillelmo de Combalholis, domicello castri de Combalholis, diocesis Magalonensis, usatica infrascripta cum directo dominio, consilio et laudimio, ac jure prelationis vestrum et vestrorum successorum, et hoc in franco, absoluto et libero alodio.

Et primo, quatuor solidos et sex denarios turonenses, quos faciebat eidem Guillelmo Johannes Roquete, pro dimidia parte, et Bertrandus et Petrus Roquete, fratres, dicti castri de Combalholis, ratione possessionum infrascriptarum, scilicet:

Pro una pecia terre, que est in tenemento dicti castri, loco vocato *a las Plantadas*, que confrontatur ex una parte cum honore Fulqueti de Combalholis, et cum ripperia Amansionis.

Item et pro alia pecia terre, que est ibidem, et confrontatur cum honore dicti Fulqueti, et cum via qua itur de Murlis versus Montempessulanum.

Item et pro quadam alia pecia terre, que est in loco vocato *Combarella*, et confrontatur cum via qua itur versus Montemarnaudum, et cum honore dicti Fulqueti, et cum honore Petri de Lambruscalis.

Item pro quodam hospicio, in quo prenominati morantur in dicto castro, quod confrontatur ex una parte cum hospicio Johannis de Ferreriis.

Item pro quodam campo, qui est in Cumba Pulhoza, et confrontatur cum honore Petri de Lambruscalis, et cum honore Guillelme de Arbosserie.

Item et Johannes Gerardi dicti loci de Combalholis, quinque solidos turonenses pro tribus hospiciis, que habet in dicto castro;

Necnon et pro quadam vinea, quam habet idem Johannes in Cumbarella, confrontata cum via publica, qua itur versus Montemarnaudum, et cum vinea Petri Pallissonis, vallato in medio.

Item et pro quadam alia pecia, campum et vineam continenti, que est *a la Clavada*, que confrontatur cum honore dicti Fulqueti, et cum honore Raimundi Teulerii.

Item et pro uno campo, qui est in Cumbarella, qui confrontatur ex una parte cum alio honore dicti Guillelmi de Combalholis, et cum honore liberorum quondam Poncii Morruti dicti castri.

Item et Raimundus Bosqui dicti castri, sex denarios turonenses pro quodam hospicio, confrontato cum hospicio Girardi;

Et pro quadam parranea, se tenente cum dicto hospicio;

Et pro quadam pecia vinee, confrontata cum hospicio Petri de Lambruscalis, et cum honore Bartholomei Bodonis;

Prout hec et alia latius continentur in quodam instrumento, prima facie publico, inde recepto per Petrum Ysarni, notarium regium, sub anno Dominice Incarnationis millesimo tricentesimo sexto decimo, et die decima octava mensis marcii;

Attendentes etiam quod gentes dicti domini Magalonensis episcopi, per aliquod tempus, dicta usatica levaverint et perceperint, non obstante emptione per vos facta, oraculo vive vocis per ipsum vobis facta, ut dicta usatica cum consilio et laudimio vestro et vestrorum vobis restitue[re]mus, dum tamen recognosceretis ea tenere in feudum honoratum a dicto domino Magalonensi episcopo et Ecclesia Magalonensi.

Idcirco, causis et rationibus predictis, dicta usatica supra

designata, que sunt in summa decem solidorum turonensium, cum directis dominiis, consiliis, et laudimiis ac jure prelationis vestri et vestrorum successorum, dictarum possessionum ratione, quarum dicta usatica fuerunt et vobis debent prestari, vobis et vestris successoribus universis cedimus ... ad omnes voluntates..., non obstantibus quibuscumque recognitionibus, olim de dictis usaticis per gentes seu curiales dicti domini episcopi receptis a personis supra nominatis, seu ab eorum successoribus:

Quas recognitiones, auctoritate qua supra, cassamus, et pro non factis, ab inde in antea, haberi volumus, et nullius efficacie seu virtutis;

Dantes et concedentes quod vos et vestri successores possitis et valeatis, ab inde in antea, dicta usatica et laudimia, cum eorum consiliis et laudimiis, recipere, laudare, exhigere et levare, recognitionesque recipere, et in acapitum seu in emphiteosim res predictas emphiteotare, dare ad usaticum modicum vel magnum, et alia facere, prout vobis vel vestris videbitur faciendum, omne impedimentum, alias per dictas gentes seu curiales dicti domini episcopi appositum in predictis usaticis, penitus amoventes.

Et nos dicti Colinus et Petrus Bertrandi fratres, burgenses Montispessulani..., recognoscimus vobis, dicto domino vicario generali dicti domini Magalonensis episcopi, ibidem presenti, stipulanti et recipienti pro ipso domino Magalonensi episcopo et ejus Ecclesia Magalonensi, nos tenere a dicto domino episcopo et ejus successoribus episcopis dicte Magalonensis Ecclesie, in feudum honoratum et nomine feudi honorati, dictos decem solidos turonenses censuales, cum consilio, dominio et laudimio nostri et nostrorum successorum:

Sub hac tamen forma, pacto et modo, quod nos et nostri successores possumus dare et concedere terras et possessiones supra designatas, tam rusticas quam urbanas, in acapitum seu in emphiteosim, et ad usaticum magnum vel modicum, cum consilio, dominio et laudimio nostri et nos-

trorum successorum; ac etiam laudare, consiliare et laudimia recipere. et comissiones seu incursiones capere et recipere, ac jura prelationum retinere et remittere, tociens quociens voluerimus et volumus nos et nostri successores absque consilio et laudimio dicti domini Magalonensis episcopi et Ecclesie sue supradicte; sed in eo casu idem dominus episcopus et sui successores habeant laudare dictas alienationes et laudimia recipere et habere de predictis, per nos tunc alienandis;

Et promittimus nichilominus nos. dicti fratres, quod erimus boni et fideles, quantum tangit dictum feudum, dicto Magalonensi episcopo et sue Ecclesie, per nostram bonam fidem plevitam et requisitam, et sub dicti feudi obligatione.

Et nos. prenominatus vicarius generalis dicti domini Magalonensis episcopi predicti, recipientes et acceptantes, modis et formis predictis, vos, dictos fratres, de dicto feudo plenarie investimus, et illud vobis et vestris laudamus, approbamus, ratifficamus et confirmamus, quamcumque commissionem seu forisfacturam, competentem dicto domino episcopo seu sue Ecclesie, si qua est vel repperiatur vos in amplius teneri pro dicto feudo usque in presentem diem, vobis et vestris liberaliter remittimus.

De quibus omnibus quelibet pars petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Acta fuerunt hec in Montepessulano, in introitu hospicii dictorum fratrum, prope ecclesiam Sancte Fidis, in presentia et testimonio venerabilium et discretorum virorum dominorum Guillelmi de Thesio de Montearnaudo, procuratoris dicti domini Magalonensis episcopi, Guillelmi Brunenc de Crecio ecclesiarum priorum. Guillelmi Clari jurisperiti, judicis temporalitatis dicti domini Magalonensis episcopi, Jacobi Marci clerici, Raymundi Grossi burgensis, Guillelmi de Devesa presbiteri, et mei Petri de Brolio, publici auctori-

tate regia notario, qui requisitus per dictos fratres et dominum vicarium, hec omnia in notam recepi.

(Reg. E, fol. 271 r°).

MDCLXXX. — 7 avril 1334

Philippe de Valois ordonne de respecter le droit d'appel de l'évêque sur Poussan, Laroque-Aynier, etc.

Philippus, Dei gratia Francorum rex senescallo. Bellicadri et rectori nostro Montispessulani, aut eorum locum tenenti salutem.

Conquestus est nobis graviter dilectus et fidelis noster Johannes, episcopus Magalonensis, quod, licet et causa permutationis dudum facte de certis locis et castris cum parte quam habemus in Montepessulano, inter nostrum et ejusdem episcopi predecessores; idem episcopus habeat in castro de Portiano merum imperium, ac etiam tam in eodem quam in Ruppe Ayneria, Sancti Martini de Lundris et aliis castris et locis sibi propter hec assignatis, feudum et jus feudi, ac primum ressortum et primas appellationes, vos tamen et vestrum aliqui dictum episcopum et ejus gentes, quominus dictis suis juribus utatur, in Guidonem, dominum de Ruppe qui bassam justitiam habere dicitur in castro de Portiano predicto, et alios predictorum locorum dominos, ejusdem episcopi vassallos, ac curiales eorumdem impeditis, ut asserit;

Minus juste pretendentes hoc ad nos pertinere, cum dicti domini seu eorum curiales sunt in deffectu justitie ministrande, quamvis, super hujusmodi deffectibus vel exhibenda justitia, prius dictus episcopus et gentes sue requisiti non fuerint, nec in deffectu supplendi seu corrigendi predictorum vassallorum et curialium suorum deffectum, quod cedit in

ipsius episcopi, sueque jurisdictionis et Ecclesie sue, ut asserit, prejudicium et gravamen.

Quapropter vobis et vestrum cuilibet injungendo mandamus quatenus si, visis litteris regiis assignationis predicte, procuratore nostro senescallie vestre vocato cum ceteris evocandis, per earum tenorem constiterit eundem episcopum et Ecclesiam Magalonensem [habere] dictum ressortum et appellationes primas in castris et locis predictis ex causa permutationis predicte, et Ecclesie Magalonensi assignata fuisse, non impediatis aut impediri permittatis eumdem episcopum seu ejus gentes, quominus predictis uti libere valeant; dictosque dominos locorum predictorum et curiales ipsorum libere ad eundem episcopum et gentes suas ressortiri, juxta [tenorem] dictarum litterarum assignationis hujusmodi, non impediatis quoquo modo injuste; impedimenta, si que forsan super hoc fuerint apposita, celeriter ad statum pristinum reducentes, aloquin causam, si quam habetis in contrarium rationabilem, nobis celeriter rescribatis.

Datum Parisius, die VII aprilis, anno Domini M° CCC° XXXIIII^{to}.

(Reg. B, fol. 180 v°).

MDCLXXXI. — 26 avril 1334

Protestation du procureur de l'évêque devant le viguier de Sommières, qui voulait obliger le notaire de la cour de Sauve à lui livrer une enquête.

Anno Domini millesimo CCC° tricesimo quarto, et die vicesima sexta aprilis, domino Philippo Dei gratia Francorum rege regnante, existens apud Sumidrium, in presentia nobilis viri Hugonis de Charantone domicelli, vaileti domini nostri regis, et pro ipso vicarii Sumidrii, magister Guillelmus Holanie jurisperitus, procurator et nomine procuratorio

reverendi in Christo patris et domini Johannis, permissione divina Magalonensis episcopi, et reddidit eidem domino vicario quandam papiri cedulam scriptam, quam per me notarium infra scriptum legi petiit et vulgariter explanari:

Necnon et quasdam patentes litteras venerabiliis et discreti viri domini Johannis Ricardi jurisperiti, judicis Sumidrii, et sigillo ejusdem, ut prima facie apparebat, sigillatas.

Quarum cedule et litterarum tenores inferius subsequ[u]ntur.

Existens in presentia nobilis viri Hugonis de Charantone, vicarii regii Sumidrii, magister Guillelmus Holanie, procurator reverendi in Christo patris domini Johannis, divina providentia Magalonensis episcopi, dixit ad sui audientiam de novo pervenisse, quod vos, salva vestri reverentia, de facto, cum de jure non posset[is], precepistis magistro Johanni de Deo, notario curie Salvii domini Magalonensis episcopi, quod, per totam diem presentem, vobis, sub signo suo vel sigillo dicte curie Salvii, tradat informationem, quam dicitur secrete fecisse dicta curia Salvii contra Raymundum Hugonis, Raimundum Bebeni et nonnullos alios, super mutilatione Alziacii de Clareto, dudum facta infra bailiviam Salvii seu ressortum et assiziam ejusdem.

Quod, salva vestri reverentia, facere non debuistis, cum dictus notarius suo juramento secreta dicte curie habeat tenere et servare, nec alicui copiam dare; set, si aliquid comiserint predicti delati, cujus punitio et correctio ad curiam regiam posset pertinere, vos debetis informare alias, et prout ad vos pertinere potest.

Quare instanter requirit dictus procurator per vos, dictum dominum vicarium, dictum preceptum, sic de facto factum, de facto revocare et anullare, quod dixit de jure et ratione fieri debere; alias protestatur de deffectu justitie et juris denegatione, ac recursu habendo ad superiorem.

Ut supra dicta facere debeatis, et [ad] vestram conscientiam informandam de predictis, exhibuit et hostendit vobis

quasdam patentes litteras venerabilis viri domini Johannis Ricardi jurisperiti, judicis dicte curie Sumidrii.

Quarum tenor talis est:

Nobili viro vicario Sumidrii, vel ejus locum tenenti. Johannes Ricardi jurisperitus, judex dicti loci, salutem.

Cum intelleximus quod vos nitimini compellere curiales Salvii domini Magalonensis episcopi ad tradendum informationem, per eos factam contra quosdam, delatos de mutilatione dudum facta Alziassi de Clareti, idcirco, vobis consulendo, mandamus quatinus eos ad predicta nullatenus compellatis, set alias vos diligenter informetis, si quam infortionem, pro jure regis facere volueritis, et ad vos noveritis pertinere, et casus talis sit, cujus punitio et correctio possit ad dominum nostrum regem pertinere specialiter, facientes ne dictus dominus episcopus seu ejus curiales habeant materiam conquerendi.

Datum in Montepessulano vicesima secunda die mensis aprilis, anno Domini millesimo trescentesimo tricesimo quarto.

Quibus exhibitis et hostensis, dixit, petiit protestatur, et requisivit ut supra, et ut in ea continetur.

De quibus omnibus petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Qua quidem reddita, et per me notarium infra scriptum lecta et vulgariter explanata, dictus procurator, nomine procuratorio quo supra, petiit et requisivit, et protestatus fuit, ut in dicta cedula continetur.

Et dictus dominus vicarius, volens deliberare super contentis in dictis cedula et litteris predictis, ad suam responsionem audiendam dicto procuratori horam vesperorum presentis diei assignavit.

Acta fuerunt hec Sumidrii, in hospicio mei notarii infra

scripti, testibus presentibus Petro de Alayraco domicello, Bernardo de Sala draperio de Sumidrio, et me Nicholao Bajuli, notario regio et curie Sumidrii infra scripto.

Qua hora vesperorum, coram dicto domino vicario venit et comparuit dictus magister Guillelmus Holanie, procurator et nomine procuratorio quo supra, offerens se paratum audire responsionem, si quam facere voluerit idem dominus vicarius, super contentis in cedula et litteris predictis.

Et dictus dominus vicarius, attento tenore litterarum dicti sui judicis, de cujus consilio in hiis et omnibus aliis prosequi vult et intendit, ab omnibus [in] cedula et litteris contentis desistit et desistere vult, donec ad adventum dicti sui judicis, qui in brevi, apud Sumidrium, ad tenendum assizias suas est venturus, vel aliud a dicto suo judice super hiis receperit.

Cui ordinationi dictus procurator non consentiit, in quantum juri dicti domini Magalonensis episcopi [pre]judicare posset.

Et nichilominus dictus dominus vicarius dixit et ordinavit ut supra.

Actum Sumidrii, in hospicio mei dicti notarii, testibus presentibus magistro Hugone Grimaldi notario regio, Richardo Burgensis clerico, habitatore Sumidrii, et me, Nicholao Bajuli, notario regio et curie Sumidrii, qui, requisitus et rogatus, predicta notavi.

De que nota non cancellata *etc.*

(Reg. F, fol. 242 v°).

MDCLXXXII. — 26 avril 1334

Le procureur de l'évêque proteste devant le viguier de Sommières contre l'arrestation, faite par ses officiers, de quelques personnes dans la baylie de Sauve.

Anno Domini M° III^{c} trecesimo quarto, et die XXVI aprilis, Philippo Dei gratia Francorum rege regnante, existens apud Sumidrium in presentia nobilis viri Hugonis de Charantone domicelli, bayleti domini nostri Francorum regis, et pro ipso vicarii Sumidrii, dominus Guillelmus Holanie jurisperitus, procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris ac domini, domini Johannis, divina permissione Magalonensis spiscopi, et reddidit eidem domino vicario quamdam papiri cedulam scriptam, quam per me, notarium infrascriptum, legi petiit et vulgariter explanari; Cujus quidem cedule tenor dinoscitur esse talis:

Constitutus in presentia vestri nobilis viri Hugonis de Charantone domicelli, vicarii regii Sumidrii, magister Johannes (*sic*) Holanie, procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Johannis, divina providentia episcopi Magalonensis, comitis Melgorii et Montisferrandi, dominique Salvii, cum mero et mixto imperio, et omnimoda alta et bassa jurisdictione, dixit et proposuit idem procurator quod, die mercurii proxime preterita, que fuit die vicesima mensis aprilis, Johannes Salserii custos carceris, et Johannes Figuerie serviens regius curie Sumidrii, justa (= juxta) locum de Salvio, auctoritate sua propria, de facto absque aliquo mandato superioris, et, si mandatum habebant, quod tamen non credit, absque ostentione ejusdem, et curialibus seu gentibus dicti domini episcopi curie Salvii irrequisitis, qui requiri debebantur juxta privilegia regia, super hec dicto domino episcopo concessa, pluries nunciis

curie ostensa. et non existentibus in defectu, ceperunt quendam hominem, pastorem, cognominatum seu nominatum *Jenolhac de Villa Vielha*, et alium quendam nominatum Vitalem, et extra dictum locum de *Salve* et ejus bayliviam aduxerunt, in derogationem et prejudicium juris et jurisdictionis dicti domini episcopi et sue curie predicte.

De quibus dicti curiales, quantum poterant, protestabantur.

Et cum per eosdem curiales interrogabantur gentes ibidem presentes, qui predicta viderant et audiverant, ut per eos de cetero possent a dictis gravamine et excessibus (*sic*), quomodo nominabantur prefati custos et serviens, ne posset de predictis constare, mala malis cumulando, inhibuerunt dictis testibus ne aliquo modo nomina sua dicerent nec revelarent gentibus dicti domini episcopi.

Item dixit et proponit quod dicti custos et serviens, predictis non contenti, voluntarie et sine causa, nobilem Bertrandum de Rocaduno, bajulum dicte curie pro dicto domino episcopo, et magistrum de Deo, notarium dicte curie, arrestaverunt, et captos ad Sumidrium adduxerunt, multa oprobria eis dicendo, et precipiendo quod ipsos apud Sumidrium sequerentur, licet nullum super hoc mandatum haberent a suo superiore; et, si habebant, quod non credit, ipsum exhibere, licet requisiti, recusarunt.

Item dixit et proponit quod dicti custos et serviens, absque aliquo mandato, vel, si habebant, quod non credit, non facta fide de eodem gentibus dicti domini episcopi, in loco seu jurisdictione de Clareto, baylivie, seu ressorti et assizie Salvii, Bernardum Oliverii alias Dorna, Petrum Crispini, Petrum Dorna, et quosdam alios, et captos secum aduxerunt extra bayliviam et ressortum Salvii; et plures alios, absque requiquisitione curie et curialium Salvii, de facto citaverunt, que minime, absque requisitione curialium Salvii, facere debuerunt, juxta privilegia et litteras regias, super hoc editas, que pluries, presentibus curialibus, exhibite fuerunt ac etiam presentate.

Que omnia per dictos custodem et servientem facta et attemptata fuerunt inciviliter et de facto, et contra jus et rationem, et contra statuta et ordinationes regias. privilegia et litteras predictas, quibus talia fieri prohibentur, ac etiam in enervationem et prejudicium juris et jurisdictionis dicti domini episcopi, et sine mandato vestro ac voluntate, prout credit.

Quare idem procurator vos, dictum dominum vicarium, instanter requirit et pro debito justitie, quatinus premissa, quantum facta et processa sunt de facto et in prejudicium dicti domini episcopi, revocetis et anulletis, et predictos homines captos et alios, per dictos custodem et servientem de dicta baylivia Salvii seu ressorto ejusdem extractos, qui remissi non sunt curie Salvii, ad dictam curiam transmitatis, pro faciendo justitiam de eisdem per bajulum et alios dicte curie curiales.

Quibus remissis et aductis ad dictam curiam Salvii, de quibus paratus est vos, dictum dominum vicarium. informare, si reperiantur ipsi vel aliqui ex ipsis aliquid comisisse, cujus cognitio et punitio ad dictum dominum regem debeat pertinere, paratus et paratum se offert hujusmodi tales ad curiam regiam remittere, prout debebit et juris fuerit ac rationis; et etiam facto justicie complemento per dictam curiam Salvii, de hiis que infra jurisdictionem ejusdem comisisse reperientur, et quathenus ad dictam curiam pertinere dinoscetur.

Requirens nichilominus idem procurator vos, dictum dominum vicarium. quatenus dictos custodem et servientem ad curiam Salvii remittatis, justitiam recepturos de premissis, quatenus ad dictam curiam Salvii noscitur pertinere, et in quantum cognitio et punitio comissorum per dictos custodem et servientem potest pertinere de jure.

De quibus, sine prejudicio dicti domini episcopi, suo loco et tempore, et prout sibi possibile fuerit, et alias non, paratus est vos informare.

Petit eo casu per vos eosdem corrigi, et puniri et emen-

dam fieri dicto domino episcopo et curie sue predicte de premissis, taliter quod cedat aliis in exemplum.

Alias de deffectu justitie et juris denegatione, ex nunc ut ex tunc, [et ex tunc] ut ex nunc, et de habendo super hiis recursum ad dominum nostrum regem seu ad proximum superiorem protestatur.

De quibus omnibus petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Qua cedula reddita et lecta per me, notarium infrascriptum, dictus procurator, nomine quo supra, dixit, petiit, et requisivit ac protestatus fuit ut in dicta cedula continetur.

Et dictus dominus vicarius, volens deliberare super contentis in cedula predicta, et ad suam responcionem, super contentis in dicta cedula audiendam, horam vesperarum presentis diei dicto procuratori assignavit.

Acta fuerunt hec Sumidrii in hospicio mei, notarii infrascripti, testibus presentibus Petro de Alayraco domicello, Bn. de Sala draperio de Sumidrio, et me Nicholao Bajuli, notario regio et curie Sumidrii infrascripto.

Qua hora vesperarum, coram dicto domino vicario venit et comparuit dictus magister Holanie, procurator et nomine procuratorio quo supra, offerens se paratum audire responcionem, si quam facere voluerit idem dominus vicarius super contentis in cedula predicta.

Et dictus dominus vicarius respondit, ut sequitur.

Et dictus dominus vicarius respondit dicte requisitioni: Et primo, prime, quod captio, que facta fuit de dictis hominibus, nominatis in dicta prima significatione aut propositione, non fuit facta de ipsius mandato.

Tamen verum est quod ipse verbo precepit dudum dicto

Johanni Figuerie et omnibus aliis servientibus Sumidrii curie, quod, ubicumque, extra tamen loca sacra et religiosa, in jurisdictione regis Sumidrii possent reperire dictum *Genolhac*, qui plura latrocinia commiserat in Sumidrio, de quibus nondum excitatus (*sic*) primitus, et pro quibus se constituerat in fugam et diu scatuerat (= se latuerat), ipsum caperent et captum in carceribus Sumidrii ducerent, ut cum justitia, juxta ipsius demerita, posset puniri.

Qui Genolhacus, casu fortuito, dicta die mercurii, fuit repertus per dictos subvicarium et servientem in loco de Salvio, et per eos captus et traditus bajulo dicti loci, et per ipsum bajulum eisdem subvicario et servienti traditus et restitutus, ut dicti subvicarius et serviens retulerunt domino vicario predicto, et jam fecisset restitutionem dicto bajulo de dicto Vitali.

Attamen, si aliqua facta et processa sunt, in predictis, per dictos subvicarium et servientem, in prejudicium juris et jurisdictionis dicti domini Magalonensis episcopi et sue curie Salvii, ea vult habere pro non factis, et ea revocat et anullat; nec vult, nec intendit eidem domino episcopo nec curie sue Salvii aliquod prejudicium generare ex predictis.

Ad secundam respondet quod dictum arrestum et captio, facta de dicto bajulo et notario, factum non fuit de ipsius mandato, et facta[m] per eos jam revocavit, et demum in Sumidrio, aut in crastinum, ipsos bajulum et notarium licenciavit, ac etiam facta in predictis in prejudicium juris et jurisdictionis dicti domini episcopi et sue curie, per dictos subvicarium et servientem, de presenti revocat, et pro non factis habere vult et intendit.

Ad tertiam respondet, quod ea que ipse fecit et mandavit quantum ad captionem illorum qui delati erant de vulneribus illatis et mutilatione membrorum in personis Alziacii et Guillelmi de Clareto fratrum, sub salvagardia regia exittentes (= existentium), fecit rite et legitime, pro eo quia datum sibi fuerat intelligi quod predicta facta fuerant, gentibus et

curialibus Salvii scientibus, tractantibus favorem et opem dantibus;

In quibus fuit fracta salvagardia regia, in qua sunt et erant prenominati fratres, una cum omnibus bonis et juribus eorumdem.

Et etiam ibi fuit congregatio hominum armatorum, de quibus casibus dominus noster rex et sui curiales habent cognitionem ad ipsum dominum regem et suos curiales pertinet punitio talium delinquentium; de quibus constat eidem domino vicario per informationem, jam per ipsum factam super predictis.

Quare respondit quod de ipsis nullam remissionem faciet, quousque juxta eorum demerita, prout justum fuerit, per eum aut judicem suum puniantur.

Offerens se tamen paratum, de eisdem facta primitus inquisitione sua et completa, ipsos remittere predicto procuratori aut bajulo Salvii, si in aliquo delinquerint penes eos.

In quantum vero tangit remissio facienda dicte curie Salvii de dictis subvicario et serviente, dixit et respondit quod nullam remissinem faciet de eisdem;

Offerens se tamen paratum de eisdem, si in aliquo delinquerint, facere exhibere justitie complementum, et ipsos taliter corrigere et punire, et emendare parte leze facere, si culpabiles reperiantur, quod eorum pena et punitio cedet ceteris in exemplum.

Offerens paratum recipere, de die in diem, informationem, si quam facere voluerit dictus procurator contra ipsos subvicarium et servientem.

Cui responcioni dictus procurator non consentiit in quantum juri et jurisdictioni dicti domini episcopi posset in aliquo prejudicare, negans dictos custodem et servientem recepisse, de manibus curialium Salvii vel per remissionem eorum, dictum *Jenolhac*, set eos ipsum cepisse propria auctoritate et sine requisitione dictorum curialium Salvii.

Quare nichilominus petiit dictas remissiones fieri, prout in dicta sua requesta asseruit et continetur (*blanc 2 cent.*) dictos servientes punire ut supra.

Alias protestatur ut in dicta sua requesta continetur.

Et nichilominus dictus dominus vicarius respondit, revocavit, dixit et se paratum obtulit, ut supra.

Acta fuerunt hec in dicto hospicio mei notarii infrascripti, teste presente a dicta responsione citra magistro Hugone Guiraldi notario regio, habitatore Sumidrii, et me Nicholao Bajuli, notario regio et dicte curie Sumidrii, qui, requisitus et rogatus, predicta notavi.

De qua nota non cancellata *etc.*

(Reg. D, fol. 118 v°).

MDCLXXXIII. - 8 mai 1334

Philippe de Valois ordonne de faire respecter dans le diocèse les prescriptions sur les sergents royaux.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri vel ejus locum tenenti, salutem.

Cum in ordinationibus carissimi patrui nostri regis Philippi, super servientibus nostris (= servientium nostrorum) officiis editis, sit inter cetera dictis servientibus nostris interdictum, ne ipsi justitient aut officium exerceant in terris prelatorum, baronum, aut aliorum vassallorum seu subditorum nostrorum, in quibus habent justitiam altam et bassam seu merum et mixtum imperium, in casu ressorti aut alio, ad nos de jure spectante, neque tunc nisi de precepto senescalli, prepositi, vicecomitis, vicarii seu judicis nostri loci illius, quorum mandatum seu preceptum contineat casum, ad nos, ut premittitur, continentem (= competentem).

Item ne morentur seu larem foveant in dictis terris et locis, vel in locis vicinis, in fraudem, absque voluntate dominorum, nisi sint oriundi de loco aut ibi matrimonium contraxerint.

In quibus etiam duobus casibus, non poterunt servientium officium exercere in locis illis, etsi casus ressorti vel alii ad nos spectantes evenerint in eisdem, et de illis se nullatenus intromittere poterunt; immo casus illi executioni mandabuntur per alios servientes nostros.

Prelati vero, barones et alii fideles nostri poterunt dictos servientes nostros justitiare, et contra ipsos uti jurisdictione sua spirituali et temporali, prout justum fuerit, sine fraude, sicut contra alias personas, in hiis que ad eorum officium non spectabunt: poteruntque eos punire de excessibus et comissis que fecerint, non tamen officium nostrum regium exercendo.

Mandamus vobis quatenus, in terra dilecti et fidelis nostri episcopi Magalonensis, in qua vobis constiterit ipsum omnimodam habere altam et bassam justitiam, contenta in ordinationibus predictis, prout superius sunt expressa, faciatis inviolabiliter observari, contrarium facientes, prout ad vos pertinuerit, debite puniendo.

Datum Parisius, die octava maii, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quarto.

(Reg. F, fol. 137 v°).

MDCLXXXIV. — 12 mai 1334

Le sénéchal fait enlever les fourches patibulaires du roi, plantées dans la juridiction de l'évêque de Maguelone.

Noverint universi quod, anno Domini millesimo trescentesimo tricesimo quarto, et die duodecima mensis madii, domino Philippo rege Francorum regnante, et reverendo in

Christo patre domino Johanne, Dei gratia Magalonensi episcopo, comite Melgorii et domino Montisferrandi presidente, existens venerabilis vir dominus Stephanus de Cabanis, legum doctor, judex generalis criminum senescallie Bellicadri et Nemausi, commissariusque deputatus a nobili et potenti viro domino Philippo [de] Pria, milite dicti domini regis, senescallo Bellicadri et Nemausi, apud Motam de *Coychyns*, in presentia mei notarii ac testium infrascriptorum, ac plurium aliorum virorum, precepit et in mandatis dedit Raymundo de Moleriis domicello, ibidem presenti, quatenus accedat ad locum vocatum *lo gra de Quauquilhosa*, prope Carnonem, in jurisdictione domini Magalonensis episcopi et suorum pariariorum de Carnone, ubi quedam furce, in quibus est suspensus quidam homo, sunt plantate de mandato ipsius domini Stephani, ignorantis predictum locum fore infra jurisdictionem dicti domini episcopi et suorum pariariorum, et illas evellat seu evelli faciat;

Et, eis evulsis, easdem reponi faciat in jurisdictione regia Aquarum Mortuarum, per quatuor vel quinque cannas ultra terminos, ap[p]ositos in plagia Aquarum Mortuarum; qui termini dicuntur limitare jurisdictionem dictorum locorum Aquarum Mortuarum et de Carnone;

Exequendo quasdam litteras, hodie per ipsum dominum Stephanum dicto Raymundo super hoc concessas, quarum tenor inferius est insertus.

De quibus omnibus venerabilis vir dominus Guillelmus Clari jurisperitus, judex terre temporalitatis, ac magister Guillelmus Holanie, procurator et nomine procuratorio dicti domini Magalonensis episcopi, ac nobilis Guillelmus de Melgorio, ibidem presentes, petierunt sibi fieri unum vel plura publica instrumenta per me notarium infrascriptum.

Actum in dicta plagia, juxta Motam de *Coythiens*, presentibus testibus Augerio Augerii domicello de Melgorio, Amiquo Ancelloni domicello, habitatoribus Melgorii, magistro Michaele Ginhoti notario de Valencia, Bn. Pascalis de Frontiniano, magistro Berengario Gaucelmi notario de Melgorio,

Bn Puegrine habitatore Melgorii, et me Guillelmo Melii, notario publico dicti domini episcopi et comitis, qui predicta omnia scripsi.

Tenor vero dictarum litterarum talis est:

Stephanus de Cabanis, legum doctor, judex criminum in senescallia Bellicadri et Nemausi. commissarius ad infrascripta deputatus, nobili viro Raimundo de Moleriis domicello, salutem.

Litteras dicte commissionis nostre recepimus sub hiis verbis:

Philippus de Pria, miles domini nostri regis, ejusque senescallus Bellicadri et Nemausi, rectori et judici regis Montispessulani, ac etiam Stephano de Cabanis, legum doctori, judici criminum dicte senescallie, et eorum cuilibet in solidum, salutem.

Litteras patentes regias, alias vobis, dictis rectori et judici, ex parte nostri locum tenentis directas, nos vidisse ac etiam recepisse noveritis sub hiis verbis:

Philippus, Dei gratia *etc., ut supra in hoc T. V, p. 448.*

Verum, cum ex parte procuratoris prefati domini Majoricarum regis, nobis expositum fuerit cum querela, quod vos executioni contentorum in dictis litteris regiis, ac locum tenentium nostrorum predictorum, qui vobis predicta exequi per eorum patentes litteras mandaverunt, requisiti nedum semel, set pluries, mandatum hujusmodi vobis directum facere et complere negligistis et obmisistis, nedum in prejudicium dicti domini Majoricarum regis, ymo etiam in contemptum mandatoris ipsius domini nostri Francorum regis, ac etiam nostrorum seu nostrorum locum tenentium predictorum; quod si sit ita, grave gerimus et molestum;

Idcirco vestram dictorum rectoris et judicis negligentiam

circa predicta redarguentes, vobis ac etiam dicto domino Stephano de Cabanis, et cuilibet vestrum in solidum, precipiendo mandamus, et insuper ad cauthelam committimus, quatenus omnia et singula, in dictis litteris regiis contenta, de puncto in punctum, juxta ipsarum continentiam et tenorem, exequtioni demandetis, sic et taliter quod nullus deffectus in vobis seu altero vestrum possit ac valeat imputari; quod si fieri (*sic*), vos et quemlibet vos (=vestrum) mediante justitia taliter de predictis puniemus, quod esset aliis exemplum;

Ab omnibus autem nostris subditis, in premissis et ea tangentibus, vobis et cuilibet vestrum in solidum parere volumus et mandamus.

Datum Nemausi, septima die mensis maii, anno Domini millesimo trescentesimo tricesimo quarto.

Reddite litteras sigillatas.

Verum, cum pro predictis, in dictis litteris contentis, exequendis, apud Montempessulanum venissemus, et dictas furchas evelli et destrui fecerimus, juxta continentiam littera rum regiarum, easque transportari fecerimus ultra Carnonem juxta mare;

Quod procurator reverendi in Christo patris domini Magalonensis episcopi, necnon et sui in predicto loco pariarii sibi asserebant esse prejudiciale, dicendo dictas furchas in eorum territorio et jurisdictione fore situatas:

Nosque, ad eorum requisitionem, locum necnon et terminos divisionis territorii Aquarum Mortuarum et Melgorii oculis subjecerimus;

Ex[h]ibitoque nobis et hostenso instrumento, dictam continenti divisionem, ordinaverimus dictas furchas fore reponendas in territorio Aquarum Mortuarum, quod est domini nostri regis, juxta furchas ibidem positas dicti domini episcopi; et ultra terminos, predictam divisionem facientes, versus Aquas Mortuas.

Idcirco vobis committendo precipimus et mandamus, qua-

tenus, in loco predicto, dictas furchas reponi et erigi, una cum cadavere ibidem posito, faciatis;

Non intendentes propter premissa juri regis nec cuilibet alieno in aliquo derogare, nec jus domino episcopo aliquod adquirere in premissis.

Datum Melgorii, duodecima die maii, anno Domini millesimo trescentesimo tricesimo quarto.

Postque, eadem die, idem Raimundus de Moleriis, volens et intendens exequi mandatum et preceptum dicti domini Stephani de Cabanis, judicis et comissarii, prout in supra scriptis litteris continetur, accessit una mecum, notario supra et infra scripto, ad predictum locum, nominatum sive vocatum *lo gra de Cauquilhosa*, prope Carnonem, ubi dictas furchas invenit plantatas, dictasque furchas evulsit seu evelli fecit, et de loco predicto [a]movere et portare.

De quibus omnibus idem Raimundus de Moleriis petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Acta fuerunt hec a paragrapho citra prope dictum locum *lo Gra*, et fuerunt testes, a dicto paragrafo citra, Bn. Fresquieyra de Frontiniano, Bernardus Puegrine, Guiraudus Ternerii, habitatores Melgorii, Poncius Brunelli de Sumidrio, Raimundus Auduberti de Palhano, et plures alii, et ego Guillelmus Melii, notarius supra scriptus, qui requisitus hec omnia scripsi et signo meo signavi.

(Reg. A, fol. 186 v°).

MDCLXXXV. — 3 juin 1334

Philippe de Valois révoque les sauvegardes royales, accordées aux sujets du roi de Majorque, s'il l'ignorait.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallis Bellicadri et Carcassone, vel eorum locum tenenti, ceterisque justiciariis nostris, ad quos presentes littere pervenerint, salutem. Cum non sit intentionis nostre nec fuerit salvas gardias aliquas personis quibuscumque, in terris nobilium vel aliorum quorumcumque, altam et bassam jurisdictionem obtinentium, nisi ipsis vocatis penitus ac cum cause cognitione concedere, mandamus vobis et vestrum cuilibet quatenus, si aliquas reperieritis concessas fuisse salvas gardias regias in terra carissimi et fidelis consanguinei nostri regis Majoricarum illustris, in qua ipse vel ejus vassalli altam et bassam obtineant justitiam, ipsis (=ipso) vel suis gentibus legitime non vocatis, et sine cause cognitione debita, etiam per verbum suscipimus (=susceperimus), eas amoveatis indilate, quas etiam in eum casum amovemus ac tenore presentium revocamus.

Datum in abbatia Malidumi prope Pontisaram, tertia die junii, anno Domini millesimo trescentesimo tricesimo quarto.

(Reg. C, fol. 31 r°).

MDCLXXXVI. — 25 juin 1334

Le procureur de l'évêque fait appel contre la défense, faite à l'évêque, de créer des notaires dans le diocèse.

Anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quarto, et vicesima quinta die junii, domino Philippo Francorum rege

regnante, noverint universi et singuli, quod, existens sive constitutus in curia regia Montispessulani, coram venerabili viro domino Johanne Ricardi jurisperito, judice regio Montispessulani, magister Guillelmus Holanie jurisperitus, ut procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Magalonensis episcopi, presentavit eidem domino judici quandam papiri cedulam scriptam, appellationem inter alia continentem;

Protestans etiam quod, si copiam nobilis viri domini Huganis de Carsano militis, rectoris regii Montispessulani haberet et presens esset, eidem dictam appellationem intimaret et ab eo appellaret;

Appellans, dicens, requirens, et petens ac protestans, ut in ea continetur.

Cujus tenor talis est:

Cum oppressis et contra justitiam aggravatis appellationis remedium sit a jure indultum, idcirco ego Guillelmus Holanie, procurator et procuratorio nomine reverendi in Christo patris et domini, domini Johannis, divina gratia Magalonensis, comitis Melgorii et Montisferrandi, sentiens dictum dominum episcopum, dominum meum, et me, quo supra nomine, quam plurimum aggravatum a vobis, nobili et potenti viro domino Hugone de Carsano milite, et a vobis, venerabili viro domino Johanne Ricardi jurisperito, judice regio Montispessulani, et vestrum quolibet, ex eo et pro eo quia vos et vestrum quilibet de novo precepistis preconisationem fieri, quod nullus notarius, qui non esset auctoritate regia creatus, auderet notas recipere, seu instrumenta publica conficere, in terra domini nostri Francorum regis, sed demum in terra immediata dominorum, quorum auctoritate essent creati, sub pena falci (= falsi), dicto domino episcopo seu ejus gentibus insciis et non vocatis, nullaque cognitione cause precedente:

Non advertentes quod dictus dominus episcopus sit et sui predecessores, episcopi Magalonenses, fuerint publice in pa-

cifica possessione, vel quasi, ab antiquo et a tanto tempore citra, quod hominum memoria in contrarium non existit, et sine contradictione cujusquam creandi notarios in tota diocesi Magalonensi et omni loco ejusdem:

Qui notarii notas recipiunt, instrumentaque publica conficiunt, confecerunt in tota dicta Magalonensi diocesi et omni loco ejusdem, de quibuscumque actibus sive contractibus de quibus requiruntur et fuerint requisiti, quibus fides adhibetur et fuit temporibus retroactis adhibita, sicut instrumentis publicis manuque publica confectis;

Vosque requisiti fueritis dictam preconisationem revocare, vel saltim ut ipsam suspenderetis, quousque de dicta possessione seu quasi, de qua, nomine quo supra, me obtuli facere promptam fidem, esset cognitum et discussum, quod et revocare et suspendere recusastis:

Quare ex hiis et pluribus aliis sentiens me, quo supra nomine, et dictum dominum meum multipliciter aggravatum et oppressum, sollempniter et in hiis scriptis, ad dominum senescallum Bellicadri et Nemausi, seu ejus locum tenentem, vel ad illum seu ad illos ad quem seu ad quos presens appellatio de jure vel de consuetudine potest et debet pertinere, provoco et appello, apostolos sepe et sepius, cum multiplicata instantia qua decet et convenit, postulando;

Protestans quod sit michi salvum jus predicta prosequi per viam appellationis, nullitatis seu simplicis querele vel eo modo quo michi visum fuerit expedire:

Requirens vos nichilominus et vestrum quemlibet, virtute presentis appellationis, quatenus, ea pendente, nil in ejus prejudicium attemptare seu a quoquam attemptare permittatis.

De quibus omnibus et singulis supradictis, peto michi, quo supra nomine, fieri publicum instrumentum.

Et dictus dominus judex volens habere super premissis deliberationem et colloquium cum dicto domino rectore, qui qui nunc est absens et facturus (= futurus ?), ac impeditus,

ut dixit, propter infirmitatem domine Dulcie, uxoris sue, assignavit dicto procuratori, nomine quo supra, diem lune proximam ad suam responsionem audiendam, et alias faciendum quod fuerit rationis super premissis.

Cui responsioni idem procurator non consentiit in quantum sibi, quo supra nomine, prejudicare posset.

Et nichilominus facta fuit.

Actum in dicta curia: testes sunt dominus Johannes de Sancto Valerio legum doctor, magister Egidius Johannis notarius regius, et ego Bernardus de Pineto, notarius publicus Montispessulani auctoritate regia, qui requisitus predicta omnia et singula in notam recepi et signo meo signavi.

Qua die lune superius assignata, intitulata vicesima septima die junii, existens in dicta curia, coram dicto domino judice, providus vir magister Poncius Berengarii jurisperitus, ut procurator et procuratorio nomine ipsius domini episcopi, obtulit se paratum audire responsionem, faciendam ad contenta in dicta appellatione, reddita per dictum magistrum Guillelmum Holanie, nomine quo supra, ut supra continetur.

Et dictus dominus judex, cum dictus dominus rector sit occupatus ut supra, propter uxoris sue gravem infirmitatem, assignavit dicto magistro Pontio Berengarii, nomine quo supra, diem veneris proximam ad id quod supra.

Cui assignationi idem magister Pontius, nomine quo supra, non consentiit.

Et nichilominus facta fuit.

Actum in dicta curia: testes dictus dominus Johannes de Sancto Valerio, legum doctor, magister Jaufridus Cavalerii jurisperitus, et plures alii, et ego idem Bernardus de Pineto,

notarius predictus, qui requisitus predicta omnia et singula in notam recepi.

Qua die veneris superius assignata, intitulata prima die julii, existens in dicta curia, coram dictis dominis rectore et judice, idem magister Pontius Berengarii, nomine quo supra, petiit et requisivit, et dicto domino rectori dictam appellationem intimavit, et appellavit et apostolos petiit, ut supra.

Et dicti domini rector et judex, ad suam responsionem audiendam, dicto procuratori diem crastinam in tertiis assignarunt.

Cui responsioni idem magister Pontius non consentiit.

Et nichilominus facta fuit.

Actum in dicta curia: testes sunt magister Petrus de Barrio, jurisperitus, Persavallus de Podio, Petrus de Ludova, et plures alii, et ego notarius predictus.

Qua die crastina superius assignata, existens in dicta curia, coram ipso domino judice, idem magister Pontius Berengarii, nomine quo supra, petiit, requisivit ac protestatus fuit in omnibus et per omnia ut supra.

Et dictus dominus judex, cum idem dominus rector non sit presens, occupatus propter gravem infirmatem uxoris sue, assignavit dicto magistro Pontio, nomine quo supra, diem lune proximam, ad suam responsionem audiendam, et alias faciendum quod fuerit rationis.

Cui assignationi idem magister Pontius, nomine quo supra, non consentiit.

Et nichilominus facta fuit.

Actum in dicta curia; testes fuerunt magister Egidius Johannis, Gibertus de Linerone notarii regii, et ego idem Bernardus de Pineto notarius predictus.

Qua die Iune superius assignata, intitulata quarta die julii, existens in presentia dicti domini judicis, idem magister Guillelmus Holanie, nomine quo supra, obtulit se fore paratum audire responsionem suam, nichilominus in sua appellatione et apostolorum petitione persistendo, ut supra.

Et dictus dominus judex, pro se et dicto domino rectore, respondit ut sequitur.

Et dicti domini rector [et] judex dixerunt et responderunt quod dominus noster rex, suo jure regali, potest, et nullus alius, facere et creare notarios in regno Francie solus et in solidum, nisi appareret quod prelati, in suis terris propriis, possent facere notarium seu notarios de consuetudine antiqua.

De qua consuetudine non constare potest, quantum est de presenti. dictis dominis rectori et judici.

Et factio et creatio notariorum fuit interdicta omnibus senescallis, baillivis. baronibus et aliis quibuscumque in regno Francie, nisi de consuetudine antiqua prelati et barones haberent de consuetudine antiqua in terris suis ut notarios facere possent.

Et si dictus dominus episcopus haberet jus creandi notarios, qui ubicumque, tam in terra regia quam etiam aliorum baronum. possent notas recipere et instrumenta conficere, hoc cederet in magnum dampnum juris et jurisdictionis domini nostri regis et emolumenti, quod ipse dominus rex habet et habere consuevit a notariis, per ipsum creatis et creandis.

Quare dixerunt et responderunt quod ipsi dictam appeltionem non admittunt, nisi si et in quantum dominus senescallus vel ille ad quem appellatur, ipsam duxerit admittendam; presentem responsionem pro apostolis, qui, in talibus

appellationibus, de jure vel de consuetudine sunt concedendi, concedendo;

Spatium unius mensis ad se representandum cum suis apostolis dicto appellanti, nomine quo supra, prefigendo.

Tenor vero statuti regii super facto creandi:

Inhibemus preterea et interdicimus omnibus senescallis, ballivis, justiciariis, fidelibus et subdictis (=subditis) nostris quibuscumque, potestatem faciendi vel statuendi notarium vel notarios publicum vel publicos, auctoritate nostra regia; quoniam intelleximus quod, retroactis temporibus, inordinata seu effrenata multitudo notariorum multa intulit dispendia et prejudicia nostris fidelibus et subjectis;

Quam quidem potestatem nobis et successoribus nostris Francorum regibus, specialiter et perpetuo reservamus: et ex tunc, pro utilitate publica, de consilio et provida deliberatione consilii nostri in eis intendimus, quod cum inordinata multitudine notarii publici sunt certi, circa eos proponentes apponere remedium oportunum.

Nolumus tamen quod prelatis, baronibus aut aliis subdictis (=subditis) nostris, qui, de antiqua consuetudine, in terris suis possunt notarios facere propter hoc prejudicium generetur.

Cui responsioni et apostolorum concessioni seu alteri faciende, dictus procurator, nomine quo supra, non consentiit, in quantum juri dicti domini episcopi prejudicare posset, nichilominus in sua appellatione persistendo.

De quibus omnibus et singulis petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Et nichilominus dictus dominus judex respondit ut supra.

Actum in dicta curia; testes sunt dominus Guiraudus Parges jurisperitus, magister Egidius Johannis notarius regius,

Petrus Boneti clericus, habitatores Montispessulani, et plures alii, et ego idem Bernardus de Pineto, notarius predictus, qui requisitus predicta omnia et singula in notam seu notas recepi, et scribi ac grossari feci per Johannem Ricardi, scriptorem, substitutum meum ydoneum et juratum; et, facta collatione et correctione diligenti, hic me subscripsi et signum meum apposui consuetum, propria manu mea, in fidem et testimonium premissorum.

(Reg. E, fol. 74 v°).

MDCLXXXVII. — 7 août 1334

Les Augustins de Montpellier promettent de respecter désormais la juridiction épiscopale.

Anno Dominice Incarnationis millesimo trescentesimo tricesimo quarto, scilicet septimo idus augusti, domino Philippo rege Francorum regnante, noverint universi quod cum Arnaudus de Furno et Franciscus Vincencii, servientes curie episcopalis Montispessulani, nisi fuissent aufferre arma quibusdam malefactoribus, qui confugerant ad immunitatem ecclesie et monasterii fratrum heremitarum Sancti Augustini de Montepessulano, et infra cepta ejusdem monasterii:

Et propterea nonnulli fratres dicti ordinis, ausu temerario, infra ecclesiam ipsorum fratrum, quodam ex ipsis fratribus, sacris vestibus inducto (=induto) pro missa celebranda, dictum Franciscum verberasse diceretur, et sibi abstulit unum ensem et unum bloquerium, que portabat pro suo officio exequendo:

Et ex hoc, quatuor ex ipsis fratribus dicti ordinis essent arrestati in curia episcopali Montispessulani.

Tandem, in presentia mei notarii et testium infrascriptorum constitutus, in aula episcopali Montispessulani, religiosus frater Johannes de *Aralach*, prior conventus dictorum

fratrum, associatus pluribus ex fratribus dicti conventus, in presentia venerabilis et religiosi viri domini Bndi de Texeriis, prioris priratus ecclesie de Frontiniano, vicarii generalis in spiritualibus et temporalibus reverendi in Christo patris domini Johannis, Dei gratia Magalonensis episcopi, petiit et cum instantia requisivit sibi reddi et restitui dictos fratres arrestatos;

Offerens se paratum fratres illos, qui predicta commiserant, juxta regulas et statuta sui ordinis, taliter corrigere et punire, quod injurie, facte dicto domino episcopo in persona dicti servientis, esset plenarie satisfactum;

Offerens se paratum permittere, et se et successores suos obligare, quod in futurum curiales seu servientes dicti domini Magalonensis episcopi non impedirent[ur], quominus, infra ecclesiam et monasterium predictum dictorum fratrum et infra cepta eorumdem, possent libere malefactores, quosque clericos qui fayditi dicuntur, perquirere et eorum arma et bona, et ipsos capere et extrahere, pro sue libito voluntatis.

Et dictus dominus vicarius, recepta promissione, obligatione et pacto a dicto priore dictorum fratrum, illam in manibus dicti domini vicarii faciente, quod illos fratres, qui predicta commiserant, corrigeret et puniret, juxta regulas et statuta sui ordinis, et taliter quod esset dicte injurie satisfactum;

Et de predictorum fratrum consilio et assensu factum fuit predictum, quod nunquam imperpetuum impedirentur curiales et servientes curie spiritualis dicti domini Magalonensis episcopi, quominus quoscumque clericos, malefactores, fayditos, et eorum arma et bona possent libere infra ecclesiam et monasterium dicti ordinis et infra cepta eorumdem, capere et extrahere pro sue libito voluntatis, absque eo quod eis fiat aliqua resistancia per fratres ipsius conventus presentes et futuros;

Predictos fratres arrestatos dicto priori restituit, pro suis demeritis puniendos.

De quibus dictus dominus vicarius petiit sibi fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Acta fuerunt hec in aula episcopali predicta presentibus testibus religioso viro domino Bertrando de Cassio Castello canonico Magalonensi, priore Sancti Ylarii prope pontem de Sestayranicis, domino Guillelmo de Tesio rectore ecclesie de Monte Arnaudo Magalonensis diocesis, magistris Guillelmo Clari, Poncio Berengarii jurisperitis et magistro Jacobo Fabri, publico auctoritate regia notario, qui requisitus hec in notam recepit.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. E, fol. 26 r°).

Cet acte est le dernier de l'épiscopat de Jean de Vissec, qui mourut le 28 août 1334.

MDCLXXXVIII. — 22 décembre 1334

Enlèvement des panonceaux royaux, apposés indûment sur le chemin allant du Salaison à Saint-Brès.

Anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo tricesimo quarto, et die vicesima secunda mensis decembris, domino Philippo Dei gratia rege Francorum superillustri regnante, noverint universi quod existens sive constitutus in presentia venerabilis et discreti viri domini Bernardi Caranta jurisperiti, judicis baronie Montispessulani domini regis Majoricaram illustris, Jacobus Gallus, serviens regius Montispessulani, et eidem domino judici exhibuit et presentavit, ac per me notarium infrascriptum legi publice petiit, quasdam patentes litteras, emanatas a venerabili viro domino Hugone de Carsano milite, rectore regio Montispessulani, sigillatasque sigillo magno curie regie impendenti, quarum tenor inferius est insertus.

Quibus quidem litteris, dicto domino judici, ut premittitur, presentatis, per dictum Jacobum Galli, idem dominus judex interrogavit dictum servientem, si ipse serviens de mandato domini senescalli seu domini rectoris Montispessulani, seu alterius jurisdictionem habentis, ipse apposuit penuncellos seu baculos regios in camino romeo, quod est a loco de Salarone usque ad pontem Sancti Bricii.

Qui dictus serviens dixit et respondit quod ipse, vigore dictarum litterarum dicti domini senescalli, ad requisitionem gentium domini episcopi, posuit in dicto camino baculos et penuncellos regios, juxta dictarum litterarum seriem et tenorem.

Et dictus dominus judex dixit quod ex tenore dictarum litterarum apparet manifeste, quod ille, qui dictas litteras concessit, non est hodie senescallus.

Et sic debuisset certificare dictus serviens dictum senescallum, qui hodie est, vel dominum rectorem Montispessulani, qui certi sunt quod salvagardie, si que concesse sunt vel fuerunt ab antiquo, sunt revocate ubi essent posite in terra domini regis Majoricarum, ipso non vocato seu ejus gentibus.

Quorum (=quare?) idem serviens, si consulisset predictos senescallum et rectorem, ad impositionem dictorum baculorum et penuncellorum non processisset, presertim cum notorium sit in Montepessulano et ipsuis territorio et in locis propinquis dicto camino, quod dictus dominus rex Majoricarum, dominus Montispessulani, habet omnimodam jurisdictionem in camino predicto, sicut in tota alia terra sua Montispessulani, est in possessione et saysina utendi jurisdictione predicta palam et publice in camino predicto.

Propter quod dictus serviens, attento tenore litterarum predictarum, dato quod non essent revocate, non debuisset procedere ad impositionem baculorum seu penuncellorum regiorum in camino predicto, cum in ipsis litteris caveatur, quod deffendantur in suis jurisdictionibus in quibus sunt pacifice er quiete.

Quare, non consentiens positioni baculorum seu penuncellorum regiorum, protestatur contra dictum servientem de gravamine et de enervatione juris et jurisdictiouis dicti domini regis Majoricarum, et etiam de damnis factis et faciendis per dictum dominum regem Majoricarum, occasione appositionis predicte predictorum bacul[o]rum seu penuncellorum, que intendit prosequi contra dictum servientem coram suo superiori loco et tempore opportunis.

Et ne dictus serviens possit pretendere ignorantiam predictorum, exhibet quamdam litteram regiam, tenorem qu sequitur continentem.

Philippus, Dei gratia *etc.*, *ut in hoc T. V, p. 501.*

Virtute quarum etiam requirit dictum servientem quatenus dictos penuncellos et baculos regios per eum de facto

in dicto camino appositos, de facto indilate amoveat, alias protestatur in omnibus et per omnia contra dictum servientem, ut supra.

Et de predictis petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Actum infra palatium domini regis Majoricarum illustris, in presentia et testimonio magistrorum Johannis Lauterii de Porsano, Guillelmi Rodesii notariorum, Johannis Narbone de Frontiniano, et mei Raimundi de Podio, notarii publici regii domini nostri Francorum regis, qui requisitus hec in notam recepi.

Et ibidem magister Ermengaudus Cavallerii, procurator et nomine procuratorio dicti domini regis Majoricarum illustris, ut dixit, non consentiens aliquibus requisitis, presentatis seu intimatis per dictum servientem, quatenus sibi, nomine quo supra, prejudicare possent, dixit quod tam ex tenore litterarum per dictum servientem presentatarum, quam ex tenore litterarum regiarum, eidem dicto domino regi Majoricarum superius concessarum, dicto servienti exhibitarum, quam ex hiis que dictus dominus Bernardus de Caranta superius respondit, evidenter apparet dictum servientem nullam potestatem habuisse, nec habere, dictam intimationem seu alia, facta per eundem seu inhibita faciendi, inhibendi seu quamlibet attemptandi;

Ymo in predictis privata persona omnia (*mot illisible*) debet potissime, cum salva gard[i]a, si qua concessa fuisset, ut pretenditur, dicto domino Magalonensi episcopo in locis in quibus dictus dominus rex Majoricarum est et fuit in possessione et vaysina (= saysina) utendi jurisdictione, prout est et fuit, in camino predicto, et esse etiam consuevit, apponi non debent seu apposita sustinere, et (= ut) per alia suis locis et temporibus latius exprimenda.

Quare cum dictus serviens sua propria voluntate, ut dixit, et absque cognitione legitima, predicta fecit contra tenorem litterarum predictarum, in quibus eidem evidenter inhibetur, ne de hiis que cause cognitionem exigunt, se nullathenus

intromittat, requirit eundem quatenus predicta omnia et singula. per eum, ut premittitur, de facto facta et attemptata, amoveat et revocet indilate, alioquin de dampnis, interesse et expensis, factis et faciendum (=faciendis), protestatur contra dictum servientem.

Petens nichilominus sibi fieri copiam potestatis, quam asserit se habere serviens supradictus.

Et dictus serviens concessit copiam dictis dominis judici et procuratori, non intendens in terra nec juridictione dicti domini regis Majoricarum apposuisse baculos seu penuncellos regios, sed tantum modo in juridictione dicti domini Magalonensis episcopi;

Et cum in litteris regiis ac etiam domini senescalli et rectoris regii fiat mentio, quod de hiis que judicialem indaginem requirunt se nullathenus intromittat:

Et cum ad requisitionem vicarii Melgorii vel ejus locum tenentis, qui asserebat dicta loca, ubi penuncellos et baculos apposuit, est alta et bassa jurisdictio domini Magalonensis episcopi, et hec semper jure salvo in omnibus alieno.

Cui respontioni dictus procurator in quantum pro jure dicti domini Majoricarum regis facit, se consentire, in quantum vero contra ipsum seu jurisdictionem suam facit, dixit se non consentire: quia dictus serviens in respontione sua asserit dictos baculos seu penuncellos apposuisse, ut dicitur, in terra dicti domini Magalonensis episcopi ad requisitionem suorum curialium, ut dixit, et non aliena terra seu jurisdictione, et salvo semper jure in omnibus alieno.

Dictus procurator dictum servientem certiffical de presenti, quod dicti baculi et penuncelli sunt appositi in terra et jurisdictione dicti domini Majoricarum regis, in cujus possessione et saysina est et fuit ab antiquo, et a tanto tempore citra quod de contrario memoria hominum in contrariis non existit.

Quare requisivit dictum servientem ut dictos baculos et

penuncellos de facto amoveat indilate; alias protestatur in omnibus et per omnia ut supra.

Et dictus serviens respondit quod, facta sibi fide per testes vel instrumenta quod dicti penuncelli seu baculi appositi fuerunt in terra et jurisdictione dicti domini Majoricarum regis, quod tamen non credit, paratus est et paratus (=paratum) se offerit (=offert) incontinenti, prout de facto factum est, de facto revocare.

Et dictus procurator, habita copia potestatis dicti servientis, et per ipsum revocato quod de facto fecit, ac nulla informatione precedente, ut dixit, offert se paratum dictum servientem, in quantum de jure tenebitur, de predictis informare de die in diem et sine mora.

De quibus dictus procurator et serviens petiit sibi fieri publicum seu publica instrumenta.

Tenor vero predictarum litterarum sequitur sub hiis verbis:

Universis et singulis presens vidimus seu transcriptum inspecturis, notum existat quod nos Hugo de Carnone miles, rector regius Montispessulani. vidimus. tenuimus ac diligenter inspeximus quasdam patentes litteras domini senescalli Bellicadri et Nemausi, [sigillo] dicti domini senescalli sigillatas.

Quarum tenor talis est:

Hugo Quereti, miles domini nostri regis, senescallus Bellicadri et Nemausi, Jacobo Galli, Guillelmo Raimundi et Johanni Castanherii, servientibus regiis, et eorum cuilibet, salutem.

Litteras patentes recepimus sub hiis verbis:

Karolus, Dei gratia *ut supra, T. IV, p. 602.*

Karolus, Dei gratia *etc.*, *ut supra, T. IV, p. 600.*

Quarum auctoritate vobis et vestrum cuilibet precipimus et mandamus, quatenus quotiens expedire et per gentes dicti domini episcopi seu alias quorum intersit fueritis requisiti, contenta in predictis litteris faciatis et exequamini viriliter juxta ipsarum litterarum seriem et tenorem.

De hiis vero que cause cognitionem exigerent, vos nullathenus intromittatis.

Datum in Montepessulano, sub sigillo nostro, in absentia sigilli nostre senescallie, die vicesima nona decembris, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo.

In cujus visionis et inspexionis testimonium, nos, dictus rector, sigillum curie regie Montispessulani huic presenti vidimus seu transcripto apponi fecimus seu appendi, die quinta mensis januarii, anno Domini millesimo trescentesimo tricesimo.

Acta fuerunt hec, a paragrapho citra, infra predictum palatium predicti domini regis Majoricarum illustris, in presentia et testimonio Firmini Rippe, Arnaldi de Turre clericorum, et Guillelmi Rodesii notarii, et mei Raimundi de Podio, publici dicti domini nostri Francorum regis notarii, qui requisitus predicta in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. C, fol. 31 r°).

MDCLXXXIX. — 13 mars 1334 (n. s. 1335)

Le sénéchal fait rendre à l'évêque les cens qu'il percevait à Montpellier, et qui avaient été pris par le roi.

Anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quarto, et tertia decima die marcii, domino Philippo rege Francorum regnante, noverint universi et singuli quod, existens sive constitutus in curia regia Montispessulani, coram nobili viro domino Hugone de Carsano milite, rectore regio Montispessulani, providus vir magister Pontius Berengarii jurisperitus, procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini episcopi Magalonensis, presentavit sibi quasdam litteras patentes nobilis et potentis viri domini Philippi de Pria militis, senescalli Bellicadri et Nemausi, sigillo autentico regio senescallie Bellicadri, ut prima facie apparebat, petens et requirens ut in eis continetur.

Quarum tenor talis est:

Philippus de Pria, miles domini nostri Francorum regis, ejusque senescallus Bellicadri et Nemausi, rectori regio Montispessulani, vel ejus locum tenenti, salutem.

Cum olim per nostras litteras, vobis directas, mandaverimus, ut medietatem censuum seu usaticorum, quos et que dominus episcopus Magalonensis percipiebat seu percipere consueverat in Montepessulano et in Montepessulaneto, ad manum regiam caperetis et capta teneretis; et alia faceretis exequendo que in nostris litteris plenius continentur, et ex causa expressa in litteris nostris memoratis;

Procuratorque dicti domini episcopi Magalonensis nos pluries cum instantia requisiverit, ut dictam manum regiam de dictis censibus seu usaticis, per vos de mandato nostro appositam, amoveremus, seu amoveri faceremus, et alia quecumque impedimenta facta, apposita seu processa super

predictis per vos, tolleremus ac etiam revocaremus, plures rationes super hiis allegando:

Nosque habita super hiis deliberatione pleniore cum nostro consilio, vobis mandamus quatenus dictam manum regiam et alia quecumque impedimenta, per vos seu de mandato vestro appositam seu apposita super predictis censibus seu usaticis, amoveatis.

Et nos enim, tenore presentium, amovemus, donec per nos super predictis aliud fuerit ordinatum.

Datum Nemausi, die octava mensis marcii, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quarto.

Reddite litteras sigillatas.

Per consilium: Aurelhe.

Et dictus dominus rector, cum consilio venerabilis viri domini Johannis Ricardi, judicis regii Montispessulani, ibidem presentis, visis et auditis dictis litteris et earum tenore, obtulit se paratum contenta in ipsis litteris, juxta earum continentiam et tenorem, adimplere.

Et exequendo contenta in ipsis litteris, fecit coram se venire dominum Petrum Verdelli qui fuerat positus per dictum dominum rectorem, vigore aliarum litterarum ipsius domini senescalli, ad recipiendum dictos census seu usatica et levandum, nomine dicti domini nostri regis, pro parte ipsum contingente.

Et juramento per ipsum dominum Petrum prestito, absolvit et ab omnibus per eum gestis, nomine domini nostri regis, sed reddat computum gentibus ipsius domini episcopi, juxta dictarum continentiam litterarum.

De quibus omnibus et singulis idem magister Poncius, nomine quo supra, petiit sibi fieri publicum instrumentum seu publica instrumenta.

Actum in curia regia Montispessulani, testes sunt Johannes Abronresti, Andreas Ladelli, et Stephanus de Sancto Martino campsor, Johannes de Quinquinhino diaconus, Guillelmus Bonaventura, et ego Bernardus de Pineto, notarius

Montispessulani publicus auctoritate regia, qui requisitus predicta omnia et singula in notam recepi, et scribi ac grossari feci per Petrum Boneti clericum, scriptorem substitutum meum, idoneum et juratum; et, facta collatione et correctione diligenti, hic me subscripsi et signo meo signavi propria manu mea in fidem et testimonium omnium premissorum.

(Reg. E, fol. 87 v°).

MDCXC. — 22 mars 1334 (n. s. 1335)

Pictavin de Montesquiou confirme aux habitants de la Vallée de Montferrand toutes leurs anciennes libertés.

In nomine Domini. Anno salutifere Incarnationis ejusdem millesimo trecentesimo tricesimo quarto, scilicet vicesima secunda die marcii, domino Philippo rege Francorum regnante, et reverendo in Christo patre domino Pictavino, Dei gratia Magalonensi episcopo presidente, noverint universi hoc instrumentum publicum inspecturi, quod constituti, anno et die quibus supra, in Montepessulano, in camera domini prioris de Montcarbedone, Fulco de Matis Sancti Egidii de Fisco, et Johannes Benedicti castri de Matellis, Vallis et jurisdictionis Montisferrandi, pro se et aliis hominibus et habitatoribus dicte Vallis, coram reverendo in Christo patre domino Pictavino, divina providentia episcopo Magalonensi, comite Melgorii et Montisferrandi exibuerunt et ostenderunt eidem domino episcopo et comiti libertates, franquesias et immunitates, dudum concessas hominibus et habitatoribus dicte Vallis per predecessores dicti domini episcopi et comitis, contentas in quodam prima facie publico instrumento, scripto et signato, ut in eo legebatur, manu Duranti *del Thyure*, notarii publici dicti domini episcopi;

Cujus tenor talis est:

Anno dominice Incarnationis *etc., ut supra T. IV p. 125.*

Quo instrumento exhibito et ostenso per dictos homines et per dictum dominum episcopum et comitem viso et inspecto tenore ejusdem, dicti homines, pro se et aliis hominibus dicte Vallis, petierunt et requisiverunt predictas libertates, franquesias, immunitates, prout per predecessores suos juste concesse fuerunt, supra in dicto instrumento contentas, per dictum dominum episcopum et comitem laudari, confirmari et etiam approbari.

Et dictus dominus episcopus et comes, certificatus, ut dicebat, de omnibus et singulis contentis supra in predicto instrumento, dictas libertates, franquesias et immunitates, prout per predecessores suos juste concesse fuerunt, laudavit, approbavit et etiam confirmavit.

Et confessus fuit ac recognovit se habuisse et recepisse, pro dicta confirmatione, a dictis Fulcone et Johanne, solventibus pro se et aliis hominibus et habitatoribus dicte Vallis, quinquaginta libras turonensium parvorum, in quibus renunciavit exceptioni non numerate peccunie et dictarum quinquaginta librarum non habitarum et non receptarum.

Acta fuerunt hec anno, die et loco predictis, testibus presentialiter vocatis venerabilibus et religiosis viris dominis Bernardo de Texeriis de Frontiniano, Hugone de Combreto de Piniano, canonicorum Magalonensium, ecclesiarum prioribus, magistro Guillelmo Clari jurisperito de Montepessulano, Bertrando de Villanova castellano Montisferrandi, et pluribus aliis, et me Stephano de Pratis, notario publico in tota terra et diocesi dicti domini episcopi et comitis, qui, mandatus et requisitus per dictum dominum episcopum *etc.*

(Reg. E, fol. 242 v°; édité par Germain
dans *Étude hist. sur les comtes de Maguelone*, p. 114).

MDCXCI. — 22 mars 1334 (n. s. 1335)

Accord entre l'evêque et les consuls de Montpellier au sujet du bois de Valène et de ses dépendances.

Anno Dominice Incarnationis millesimo trescentesimo tricesimo quarto, scilicet vicesima secunda die marcii, domino Philippo rege Francorum regnante, noverint universi, quod orta materia questionis inter reverendum in Christo patrem dominum Pictavinum, Dei gratia Magalonensem episcopum, comitem Melgorii et Montisferrandi, occasione juris et jurisdictionis castri sui Montisferrandi, ex parte una; et dominos consules ville Montispessulani, nomine consulario ejusdem ville, ex parte altera:

Ex eo et pro eo videlicet quod prefatus dominus episcopus, seu gentes sue, dicebant et asserebant ipsos debere habere jus levandi et habendi, de singulis centenariis animalium minutorum, depascentium in nemoribus de Valena, de Caravetis, de Verseriis et de Taurerio, et in aliis terris et possessionibus, pertinentibus ad dictos dominos consules in Valle et jurisdictione Montisferrandi, singulis annis, unum mutonem pro polveragerio seu herbatgio, juxta usum et consuetudinem dicte Vallis et jurisdictionis Montisferrandi dicti domini episcopi.

Dictis dominis consulibus predicta negantibus, et dicentibus, et dicentibus dictum dominum episcopum, seu gentes suas, non debere habere, percipere seu levare, occasione predicta, de singulis centenariis animalium predictorum, in dictis locis depascentium, nisi quatuor turonensium argenti, singulis annis, dumtaxat.

Item ex eo et pro eo quia prefatus dominus episcopus et comes, seu gentes sue, dicebant et asserebant mansum de Verseriis, cum pertinentiis suis, esse commissum, et, jure

ac causa comissi, pertinere dicto domino episcopo, et Ecclesie ac comitatui supradicto, quia dicti domini consules non solverant usaticum sive censum dicto domino episcopo, debitum pro dicto manso, cum ab eo teneretur in emphiteozim sub annuo certo censu;

Predictis dominis consulibus dictam comissionem negantibus, et dicentibus se, singulis annis, solvisse dictum censum, seu illum presentasse, consignasse et deposuisse, et per eos non stetisse (*sic*).

Item ex eo et pro eo quia dictus dominus episcopus, seu gentes sue, dicebant et asserebant ipsos posse plantare, edificare seu erigere furcas patibulares in nemore et tenemento de Valena, et ipsas removere seu deponere pro libito voluntatis;

Prefatis dominis consulibus predicta negantibus, et dicentibus de contrario apparere per compositiones antiquas super hoc inter dictas partes seu earum predecessores inhitas.

Item ex eo et pro eo quia dictus dominus episcopus, seu gentes sue dicebant et asserebant dictum dominum episcopum et comitem habere et habere debere omnem altam et bassam jurisdictionem, et banna et jus bannejandi in toto podio seu territorio vocato de Taurerio et ejus pertinentiis, et ibidem posse erigere furcas patibulares, pilaria et alia signa jurisdictionalia prohibito (= pro libito) voluntatis, cum territorium esset a nemore de Valena, ut dicebant, penitus distinctum et separatum;

Dictis dominis consulibus predicta negantibus, et dicentibus dictum territorium seu tenementum de Taurerio contineri sub nemore de Valena, et ipsos dominos consules ibidem habere jus et jurisdictionem, quam habent in nemore de Valena.

Tandem dicte partes, volentes a litium predictarum an-

fractibus discedere, et ad pacis concordiam declinare, predictus dominus episcopus, nomine suo et Ecclesie sue ac comitatus predicti, et successorum suorum, ex parte una; et discreti viri domini Frausciscus Imberti, Poncius Calvelli, Raymundus Grossi, Bernardus Grossi, Bernardus Roardi. Stephanus Fornerii, Guillelmus de Lodova, Raymundus Caslaris, Johannes Faverii, Johannes de Audemaresio et Johannes Camboni, consules actu administrantes rem publicam Montispessulani: et Guiraudus Quintalerii, Bremundus Fabri, Dalphinus de Sancto Johanne, Poncius Boniamici, Johannes de Calvinhaco, Guillelmus de Agrifolio, Johannes Faraudi, Matheus de Nonays et Jacobus de Montillis, consules de novo electi ad consulendam communitatem Montispessulani pro anno proxime venturo, pro se et aliis concousulibus suis, ut consules ac consulario nomine universitatis hominum dicte ville Montispessulani, pro se et successoribus suis ex altera:

Super predictis questionibus et dependentibus ex eisdem, mediantibus et tractantibus discretis viris dominis Petro Calvelli, legum doctore, et Johanne de Affriano jurisperito, amicis communibus, per dictas partes electis, transhegerunt, pepigerunt et convenerunt amicabiliter et concorditer in hunc modum:

In primis transhegerunt, pepigerunt et convenerunt quod dictus dominus episcopus et ejus successores habeant jus levandi, habendi et percipiendi de singulis centenariis animalium minutorum, depascentium in predictis tenementis de Valena, de Caravetis, de Vesseriis et de Taurerio et aliis terris quas habent et possident dicti domini consules in Valle et jurisdictione Montisferrandi de presenti, et quas adquirent in futurum ab emphiteozis suis, qui hodie sunt, jure prelationis aut alias, singulis annis, quatuor turonenses argenti dumtaxat.

Si vero alias terras seu possessiones dicti domini consules n futurum adquirerent, quod de animalibus minutis, ibidem

depascentibus, prefatus dominus episcopus et successores sui habeant et habere debeant, de singulis centenariis, unum mutonem.

Si vero esset minor animalium numerus, stetur usui et consuetudini Vallis Montisferrandi.

Item... convenerunt quod dicti domini consules solvant et solvere teneantur usaticum sive censum, debitum dicto domino episcopo, pro dicto manso seu tenemento de Vesseriis pro preterito tempore quo cessatum extitit, et futuro;

Et quod dictus dominus episcopus illud recipere teneatur, cessante, quantum est pro tempore preterito, comissione quacumque.

Et quod domini consules, ab inde in antea, dictum usaticum sive censum apportare et solvere, singulis annis, in festo sancti Michaslis, dicto domino episcopo seu ejus gentibus teneantur, bajulo aule episcopalis Montispessulani.

Item.. convenerunt quod predictus dominus episcopus, seu gentes sue, in perpetuum, possint plantare et erigere unas furcas fusteas duarum brancarum tantum, seu duorum pilarium ligneorum, cum uno *transversan* duntaxat, in loco dicto *Monborras*, tenementi de Valena, in loco ubi nunc sunt, vel circa;

Et illas ponere et deponere, erigere et amovere possint et valeant idem dominus episcopus, et successores sui et gentes sue in perpetuum, pro libito voluntatis, modo tamen et forma premissis.

Et etiam si casus occurreret, quod tanta multitudo exequtionis esset facienda in dictis furcis, quod ipse furce non essent capaces suspendendorum ibidem, qui tamen deliquissent in dictis tenementis seu aliquo eorumdem, pro quibus delictis, ibidem commissis, fuissent ad suspendium condempnati, quod, dicto casu, gentes predicti domini episcopi possint addere tot pilaria, seu brancas et traversarias ligneas, donec sufficeret ad exequtionem hujusmodi faciendam.

Item... convenerunt quod predicti domini consules et eorum imperpetuum successores habeant banna et jurisdictionem bannejandi in toto tenemento seu territorio de Taurerio usque ad viam publicam, appellatam de Sancto Martino exclusive.

Et, si verteretur in dubium de aliquibus, an ibi comisissent bannum vel non, stetur, super hoc, juramento foresteriorum dictorum dominorum consulum, quos tenent in Valena, ut inferius exprimetur, prestando in manibus castellani Montisferrandi vel ejus locum tenentis, cognitione et punitione false depositionis prefatis dominis episcopo et ejus curie, et dominis consulibus comuniter semper salva de prestantibus hujusmodi juramentum.

Verum cum, subtus dictam carreriam, dictum tenementum seu territorium de Taurerio protendatur ex parte Montisferrandi, quod tenetur in emphiteozim a dominis consulibus supradictis, transhegerunt... quod dictus dominus episcopus, solus et in solidum. habeat in dicta carreria, et in eo quod protenditur ultra dictam carregiam ex parte Montisferrandi, omnem altam et bassam jurisdictionem, et jurisdictionem bannejandi;

Er quod tantumdem de terra, sicut est subtus dictam viam, de dicto tenemento de Taurerio mensuretur, limitetur et terminetur de eodem podio de Taurerio, juxta podium de Taurayrolo;

Que terra sic mensurata, limitata et terminata sit et esse debeat ejusdem conditionis et juris, sicut nemus de Valena; et quod dicti domini consules ibidem habeant illud jus et jurisdictionem quam in dicto nemore de Valena.

Transhegerunt... quod dictus dominus episcopus et ejus imperpetuum successores, in aliis omnibus locis et pertinentiis dicti podii seu territorii de Taurerio, habeant omnem altam et bassam jurisdictionem, preterquam in foresteriis juratis dictorum dominorum consulum, uxoribus et liberis suis, usque ad numerum de quinque inter omnes:

Quorum prima cognitio et punitio, si in dicto tenemento de Taurerio, vel ejus pertinentiis, qualitercumque alios offendant, vel etiam ipsi ab aliis offendantur in persona vel in rebus ibidem commorantes, sit communis domino episcopo et consulibus Montispessulani.

Si vero plures foresterii apponerentur in dictis tenementis de Valena et de Taurerio, seu altero eorumdem, per dominos consules vel eorum successores, illorum sit cognitio et punitio dicti domini episcopi et gentium suarum, et ad ipsum solum et in solidum, et gentes suas et comitatum predictum, ut de extraneis, pertineat pleno jure;

Salvo tamen quod dictus dominus episcopus seu gentes sue non possint nec debeant in dicto territorio de Taurerio seu aliqua ejus parte, erigere furcas patibulares, neque aliquod aliud signum jurisdictionale et patibulare, nisi tantum unum pilare jurisdictionale fusteum vel lapideum, cum croquis, cathenis et anulis, sine tamen aliquo transversam, prout duxerint eligendum, sine aliquo alio additamento quod possint ibidem erigere et rectum tenere, et, si corrueret, etiam reerigere pro libito voluntatis, salvis etiam predictis dominis consulibus et eorum successoribus in dicto tenemento et territorio de Taurerio et ejus pertinentiis, etiam in illa parte que est subtus dictam viam Sancti Martini, suis emphiteozis et directis dominiis, consiliis et laudimiis, censibus et usaticis certis, et aliis juribus suis que habent ibi, et habebunt etiam in futurum;

Hoc tamen salvo quod prefati domini consules et eorum in perpetuum successores terras, quas habent et habebunt, et etiam directa dominia, consilia et laudimia, et alia jura que habent in dicto territorio seu tenemento de Taurerio, et ejus omnibus pertinentiis, teneant et tenere debeant a dicto domino episcopo et ejus successoribus in emphiteozim: et illa se sic tenere ab eodem recognoscant et recognoscere teneantur;

Et salvo etiam quod, per presentem transhactionem conventionem et pacta, non fiat aliqua innovatio aliis contentis

in compositionibus olim juratis inter predecessores partium predictarum.

Item... pepigerunt quod prefatus dominus episcopus per Capitulum Ecclesie Magalonensis, et dicti domini consules per populum ville Montispessulani, ad hoc ad campane sonitum, ut moris est, convocatum, presentem conventionem, transhactionem, et pacta laudari faciant, approbari, ratifficari et confirmari sollempniter ad securitatem perpetuam cujuslibet partium predictarum.

Quam quidem transhactionem, conventionem et pacta predicte partes et earum quelibet laudaverunt, approbaverunt, ratificaverunt et confirmaverunt per se et successores suos; et ea tenere, servare, complere et contra non venire per se vel per alium seu alios, de jure vel de facto, verbo, nutu vel opere promiserunt.

Et convenerunt sibi ad invicem, interveniente stipulatione mutua et sollempni, sub obligatione omnium bonorum suorum presentium et futurorum, pro restituendis damnis et interesse per partem in contrarium facientem, et per fidem sibi ad invicem plevitam et requisitam, ac sub omni renuntiatione juris ad hoc necessaria pariter et cauthela.

Acta fuerunt hec in aula episcopali Montispessulani, presentibus testibus venerabilibus et religiosis viris dominis Raimundo de Canilhaco preposito Magalonensi, Hugone de Combreto de Piniano, Aymone de Ruppefixa Sancti Dyonisii de Montepessulano, Berengario de Fabricis de Fabricis, Bernardo de Texeriis de Frontiniano ecclesiarum prioribus, canonicis Ecclesie Magalonensis, dominis Petro de Verneda officiali Magalonensi, Raymundo Petro milite domino de Agantico, Johanne Amalrici, et Francisco Bedocii jurisperitis, Guidone de Montelauro de Brugueriis, et Guillelmo de Thesio de Montearnaudo ecclesiarum prioribus, magistro Johanne Laurentii notario Montispessulani, et me Guillelmo Clari notario publico regio et totius terre et jurisdictionis spiritualis et temporalis dicti domini episcopi, qui requisitus de predictis notam recepi.

Postque anno salutifere Incarnationis Domini millesimo trescentesimo tricesimo quinto, scilicet tertia die novembris, domino Philippo rege Francorum regnante, et reverendo in Christo patre domino Pictavino, Dei gratia Magalonensi episcopo presidente, noverint universi quod convocato et ad campane sonitum, ut moris est, congregato venerabili Capitulo generali Ecclesie Magalonensis, in Capitulo ipsius Ecclesie, in qua congregatione interfuerunt reverendus in Christo pater dominus Pictavinus, divina providentia Magalonensis episcopus, residens et presidens in ipso Capitulo generali, ac venerabiles et religiosi viri domini Raymundus de Canilhaco prepositus, Guillelmus de Janioza prior claustralis, Bertrandus de Villanova Sancti Firmini de Montepessulano, Raymundus de Montadino de Lunello novo, Hugo de Combreto de Piniano, Raymundus de Melgorio de Cornone Terralli, Poncius de Olargio de Balhanicis, Raymundus de Piniano Sancti Georgii, Hugo de Brodeto Beate Marie de Lundris, Robbertus de Leracio de Molinis. Guillelmus de Liaboti de Sancto Vincenciano, Bernardus Capitis probi hominis de Claperiis, Johannes de Salvio de Adavo, Rostagnus de Lexis cellerarius, Augerius Matfredi elemosinarius, Jacobus Fulci coquinarius, Gaufredus de Felgueriis Sancti Andree de Bodia, Berengarius de Fabricis de Fabricis, Bernardus de Texeriis de Frontiniano, Stephanus Christiani de Venranicis, Jacobus Imberti operarius, Petrus Audini Sancte Eulalie de Valle, Bernardus de Gabriaco de Ozorio, Bernardus de Texeriis de Castriis, Bertrandus de Cassis Castello Sancti Ylarii de Sentrayranicis, Petrus de Coliaco Sancti Briccii, Stephanus Saporis de Soregio, Bertrandus de Mandagoto Sancti Joannis de Bodia, Arnaudus Bernardi de Marcafaba infirmarius, ecclesiarum priores;

Rostagnus de Margaritis, Arnaudus de Montadino, Stephanus de Colomis, Raymundus de Alba Ruppe, Guillelmus Petri de Agantico. Guillelmus Veziani, Petrus de Tezano, Bernardus de Galazanicis, Johannes Barriani, Johannes de Viridissico, Berengarius de Conchis, Bertrandus Alacris, Rostagnus de Faberzano, Gibbertus de Bretis, Thomas de Vag,

Andreas de Brachioforti, Johannes de Montelauro, Berengarius de Salvio, Petrus de Sobeyracio, Petrus de Vicenobrio, Rostagnus Azunaudi, Guillelmus de Vicenobrio, Hugo de Montelauro, Johannes de Leucis, Guillelmus de Quaranta, Petrus de Alba Ruppe, Imbertus de Monterodato et Poncius Vassalli, canonici Ecclesie Magalonensis, capitulantes et generale Capitulum facientes;

Certificati de quadam transhactione, facta inter reverendum in Christo patrem dominum Pictavinum, Dei gratia Magalonensem episcopum, comitem Melgorii et Montisferrandi ex una parte; et dominos consules ville Montispessulani consulario nomine universitatis hominum dicte ville Montispessulani ex parte altera.

Super diversis articulis in ipsa transhactione contentis, prout de dicta transhactione constabat per publica instrumenta, inde in notam recepta manu magistrorum Guillelmi Clari et Johannis Laurentii notariorum publicorum, sub anno Dominice Incarnationis millesimo trescentesimo trissesimo quarto, et vicesima secunda die marcii;

Ipsi, inquam, domini episcopus, prepositus et Capitulum, cognoscentes dictam transhactionem, de verbo ad verbum in eorum presentia lectam per me notarium infrascriptum, expedire Magalonensi Ecclesie, presertim propter bonum pacis et concordie, quam, ut dicebant, desiderant et semper desideraverunt habere cum hominibus universitatis predicte, et quia litium finis dubius est:

Dictam transhactionem et omnia et singula contenta in ea, tractatu pacis inter ipsos habito diligenti, cum conditione tamen et salva conditione infrascripta, ex certa scientia laudaverunt, approbaverunt, ratifficaverunt ac confirmaverunt pro se et suis imperpetuum successoribus, ac toto Capitulo Magalonensi:

Ipsamque transhactionem et omnia et singula in ea contenta valere voluerunt et obtinere perpetuam firmitatem, et a nemine rescindi posse in solidum vel in parte;

Dictamque transhactionem se et suos successores, et dic-

tum Capitulum servare, tenere, complere et contra non venire, de jure vel de facto, per se vel per alium seu alios, promiserunt et convenerunt dictis dominis consulibus et universitati predicte, licet absentibus, ac michi notario infrascripto, tanquam publice persone stipulanti et recipienti pro dictis consulibus et universitate predicta, sub restitutione dampnorum, expensarum et interesse, si in contrarium facerent vel venirent, et sub obligatione omnium bonorum suorum et dicti Capituli presentium et futurorum, per suam fidem plevitam et requisitam;

Renunciantes actioni et exceptioni de dolo et in factum, beneficio restitutionis in integrum, et omni alii juri, rationi et usui, quibus contra predicta venire possent vel etiam se juvare.

Predicta vero omnia et singula et dictam transhactionem, ac contenta in ea tunc demum valere voluerunt et obtinere efficassiam et virtutem voluerunt et intellexerunt, si et quando dicta transhactio et contenta in ea laudata, approbata et ratificata fuerint, secundum quod conventum extitit in dicta transhactione, per populum ville Montispessulani, ad campane sonitum, ut moris est, convocatum, et aliter nec ante: noluerunt nec intellexerunt predicta seu aliqua de premissis, nec etiam dictam transhactionem, quantum in eis est, obtinere aliquam efficaciam seu virtutem, ymo perinde haberi ac si nichil omnino per eos, in premissis et circa premissa facta fuissent.

Acta fuerunt hec in dicto Capitulo, testibus vocatis domino Guillelmo de Ferrussaco presbitero, magistro Petro Helie jurisperito, Stephano de Pratis notario Magalonensis diocesis, et me Guillelmo Clari, notario publico regio et dicti domini episcopi, ac speciali dicti Capituli, qui requisitus hec scripsi.

Post hec, anno Dominice Incarnationis millesimo trescentesimo tricesimo quinto, scilicet decimo septimo kalendas

decembris, domino Philippo rege Francorum regnante, noverint universi quod convocata universitate hominum Montispessulani ad sonitum duarum campanarum ecclesie Beate Marie de Tabulis, ut moris est ipsam universitatem congregandam convocari;

Et ipsa universitate seu pluribus de eadem, post dictam convocationem et propterea existentibus in domo consulatus Montispessulani in presentia venerabilium et discretorum virorum dominorum Guiraudi Quintalerii, Bermundi Fabri, Dalphini de Sancto Johanne, Poncii Boniamici, Johannis de Calvinhaco, Petri Ladelli, Guillelmi de Agrifolio, Johannis Faraudi, Mathei de *Nonay*, Jacobi de Montillis, Johannis Masselhani et Johannis Ruffi, consulum ville Montispessulani;

Ipsisque omnibus ibidem existentibus, representantibus totam universitatem ville predicte Montispessulani vel majorem seu saniorem partem ejusdem:

Et etiam certioratis de quadam transhactione, dudum facta inter reverendum in Christo patrem dominum Pictavinum, Dei gratia Magalonensem episcopum, comitem Melgorii et Montisferrandi, ex una parte; et dominos consules Montispessulani supra nominatos seu eorum predecessores, consulario nomine universitatis predicte, ex altera;

Super diversis articulis, in ipsa transhactione contentis, prout de dicta transhactione constat per publica instrumenta, inde recepta in notas per magistros Guillelmum Clari et Johannem Laurentii notarios publicos, sub anno Dominice Incarnationis millesimo trescentesimo tricesimo quarto, et vicesima secunda die mensis marcii, cujus quidem transhactionis tenor superius est insertus;

Ipsi domini consules supra nominati et universitas, cognoscentes dictam transhactionem, de verbo ad verbum in eorum presentia lectam et vulgarizatam, esse utilem et necessariam universitati Montispessulani predicte, propter bonum pacis et concordie, quam, ut dixerunt, desiderant et semper desideraverunt habere cum Ecclesia Magalonensi, cum qua seu cum gentibus domini episcopi antedicti et pre-

decessorum suorum, seu contra quos super predictis articulis per longa tempora, quasi continue, usque ad diem compositionis seu transhactionis predicte, discordiam maximam seu questiones habuerunt, quam seu quas, prout facti experientia docuit, parum aut nichil utiles fore, set dampnosas potius universitati Montispessulani predicte didiscerunt, et quia litium finis dubius est, dictam transhactionem et omnia et singula in eadem contenta, tractatu super hiis prius inter ipsos dominos consules et universitatem, ut asseruerunt, habito diligenti pluries et frequenter, prout de jure fieri debet;

Utilitate dicte universitatis quam plurimum suadente, et consideratione predicta prehabita, ex certa scientia laudaverunt, approbaverunt, ratifficaverunt, et confirmaverunt, et expressum concessum (= consensum) prebuerunt universaliter, nemine discrepante, prout moris est in talibus fieri consuetum, pro se et tota universitate predicta et suis in perpetuum successoribus;

Ipsamque transhactionem et omnia et singula in ea contenta valere voluerunt et obtinere perpetuam roboris firmitatem, ita quod a nemine infringi possint in solidum vel pro parte, seu aliquathenus retractari;

Necnon et ipsam transhactionem se et suos successores, et dictam universitatem servare, complere et contra non venire de jure vel de facto, per se vel alium seu alios, promiserunt et convenerunt michi notario infrascripto, ut publice persone, nomine et vice memoratorum dominorum episcopi et Capituli stipulanti et recipienti, et per me et meum ministerium eisdem dominis episcopo et Capitulo absentibus sub restitutione plenaria dampnorum, expensarum et interesse, si in contrarium facerent vel venirent, et sub obligatione omnium bonorum dicti consulatus et universitatis predicte presentium et futurorum, per fidem suam plevitam et requisitam;

Renunciantes, nominibus quibus supra, in hiis, ex certa scientia, juris et facti ignorantie, actioni in factum, exceptioni doli et fraudis, beneficio restitutionis in integrum, cui-

cumque etiam generali clausule restitutionis: *si qua justa causa michi esse videbitur*, conditioni indebiti et sine causa et ex injusta causa, et generaliter omni omnino alii juri et rationi, usui, statuto et consuetudini, quibus contra prescripta vel aliquid prescriptorum venire possent vel in aliquo se juvare.

Acta fuerunt hec in domo consulatus Montispessulani in presentia et testimonio dominorum Petri Calvelli legum doctoris, Johannis de Affriano, Bernardi de Bordalaurano, Francisci Audeguerii et Petri Garrussii jurisperitorum, Johannis Laurentii et Petri Cardinalis notariorum publicorum et Stephani de Pratis clerici, et mei Guillelmi Clari, notarii publici regii et dicti domini episcopi, qui requisitus predicta in notam recepi.

Postque, anno Dominice Incarnationis millesimo trescentesimo tricesimo septimo, scilicet pridie idus novembris, predicto domino Philippo Francorum rege regnante, cum illud spacium, quod est de terra seu territorio dicti podii de Taurerio, subtus dictam viam appellatam de Sancto Martino ex parte Montisferrandi, de voluntate dictarum partium, sequendo dictam transhactionem, mensuratum fuisset:

Et per mensuram repertum per agrimessorem, ad hoc de voluntate dictarum partium specialiter deputatum, quod erat ibi de spatio terre seu territorii dicti podii de Taurerio quatuor milia sexenti et quinque *destres*;

Et deinde esset facta mensura pro facienda reconpensatione supradicta, tantumdem de terra seu spatio territorii de Taurerio, juxta dictum podium de Taurayrolo, in longum, videlicet ab introitu vie que vadit versus Matellas, in viam que communiter dicitur de Rocayra, vel circa, usque ad terminos territorii de Calatge:

Et reppertum fuisset per dictam mensura[tione]m, quod mensurando continue a dicta via de Rocoyra exclusive versus podium de Taurerio quindecim *destres* et dimidium, ab

uno capite combe de Rocoyra usque ad aliud, videlicet de dicta via que vadit versus Matellas usque ad dictum terminium territorii de Calatgio, erat plena recompensatio dictorum quatuor milia sexentorum et quinque destrorum vel circa;

Tandem, in mei notarii et testium infrascriptorum presentia, venerabilis et religiosus vir dominus Guillelmus Fulci, prior prioratus ecclesie Sancti Petri de Montearbedone, vicarius generalis reverendi in Christo patris domini Pictavini, Dei gratia Magalonensis episcopi, comitis Melgorii et Montisferrandi, nomine ejusdem domini episcopi et comitis, et successorum suorum, ex parte una: et discreti viri domini Guillelmus de Putheo miles, Johannes Garnerii, Guillelmus Bartholomei, Guillelmus Sabrani et Bernardus de Montanhaco consules et consulario nomine universitatis hominum ville Montispessulani, pro se et ut habentes vocem et potestatem ad hoc a discretis viris dominis Johanne de Calvinhaco, Petro Noguerii, Francisco Blanqueti, Johanne de Portubus et Thoma Hugueti, conconsulibus suis, cum instrumento publico, inde, ut dicitur, sumpto manu magistri Johannis Laurentii notarii publici Montispessulani, cujus tenor inferius est insertus, et etiam nomine aliorum conconsulum suorum et successorum suorum ex parte altera;

Ad finem et pacem perpetuam partium predictarum convenerunt, ordinaverunt, ordinaverunt et voluerunt, sequendo dictam transhactionem, plantari et erigi finales terminos juxta dictam mensurationem, a dicta via de Rocoyra exclusive versus podium de Taurerio, distante pro quindecim *destres* et medium, pro reconpensatione dicti spatii terre, que est subtus dictam viam Sancti Martini de Lundris dictis dominis consulibus facienda.

Et primo, ad discernendum a quo loco incepti fuerint mensurari dicti quindecim *destres* et medium, a parte inferiori juxta viam de Rocoyra, infra parietem, et in angulari terre que est vel fuit liberorum condam Guillelmi Roca, finave-

runt, convenerunt et ordinaverunt figi et erigi unum terminum:

Et deinde sequendo dictam viam, qua itur versus Matellas. de via Combe de Rocoyra, juxta ipsam viam de Matellis, infra parietem terre que est vel fuit liberorum dicti condam Guillelmi Roca, fecerunt figi et erigi unum terminum, a loco primi termini, figendi in dicto angulari, juxta dictam viam de Rocoyra, per quindecim *destres* et medium;

Et deinde, eundo ab isto ultimo termino versus dictum podium de Taurerio, fecerunt figi et erigi alium terminum, distantem a dicta via de Rocoyra, per alios quindecim *destres* et medium;

Et consequenter, euntes ad partidas seu limitationes dictorum territori[or]um de Taurerio et de Tayrayrolo, a parte superiori, juxta territorium de Calagio, ibidem juxta quemdam asservum lapidum, qui dicebatur esse terminus dictorum territoriorum de Taurerio, et [de] Tayrayrolo et de Calagio. Et ad sciendum et discernendum quod ab illo loco incepti fuerunt per dictum agrimensorem mensurari versus podium de Taurerio quindecim *destres* et dimidium, fecerunt figi et erigi unum terminum: et in capite dictorum quindecim destrorum et dimidii fecerunt plantari et erigi alium terminum:

Finantes, convenientes et ordinantes dicte partes, nominibus quibus supra, quod, ab isto ultimo fixo termino partis superioris, usque ad tertium terminum partis inferioris, figerentur et erigerentur termini finales lapidei, ad invicem se respicientes, distantes a dicta carreria de Rocoyra per quindecim *destres* et dimidium;

Et quod a dictis terminis, ex parte territorii de Taurayrolo ultra, sit et perpetuo remaneat dictis dominis consulibus et universitati Montispessulani, et sit ejusdem conditionis et juris sicut nemus de Valena, pro recompensatione dicti territorii, quod est de dicto tenemento de Taurerio, subtus dictam viam appellatam de Sancto Martino, juxta transhactionem predictam, inter dictum dominum episcopum et dominos consules ville predicte initam et factam, ut superius continetur.

Acta fuerunt hec in dicto loco de Taurerio, testibus presentibus vocatis dominis Petro Calvelli legum doctore, Armando de Petrono canonico Bizie, Petro Portalerii regente castellaniam Montisferrandi, Hugone de Valleta, Johanne Benedicti de Matellis, magistris Johanne Laurentii et Johanne Vaquerii notariis, et me Guillelmo Clari, notario publico regio et dicti domini episcopi Magalonensis in tota sua jurisdictione spirituali et temporali, qui, requisitus per dictas partes, predicta omnia in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. A, fol. 169 v°).

MDCXCII. — 15 avril 1335

Accord entre Jean de Lodève et la commune de Melgueil au sujet du droit d'encan sur les ventes et autres droits.

Anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo triscesimo quinto, et quinta decima die mensis aprilis, domino Philippo Francorum rege regnante, et reverendo in Christo patre domino Pictavino, permissione divina episcopo Magalonensi, comite Melgorii et Montisferrandi domino, presidente, suborta materia questionis seu questionum inter Raimundum Catalani de Melgorio, curatorem Johannis Lodove dicti loci, cujus est incantum et corretoria Melgorii, et ejus jurisdictionis, nomine curatoris ejusdem, et ipsum eundem Johannem Adultum auctoritate dicti ipsius curatoris, quod idem curator asseruit fore verum, ex una parte agentem.

Et nobilem Augerium Augerii domicellum, Stephanum Veziani et Laurentium Arimbaudi consules et consiliarios universitatis Melgorii, nomine suo et dicte universitatis ac etiam singularium de eadem ex parte altera deffendentes.

Super eo videlicet quod dictus curator, nomine quo suprà,

et Adultus, nomine proprio. asserunt et pretendunt se debere habere, et corraterios ac incantatores Melgorii, pro dicto Adulto, de singulis prediis rustici[s], sive campi, vinee. prata, orti, nemora, et alia quecumque sint extra castrum Melgorii, que venduntur per manus corrateriorum aut per incantatorem, videlicet sex denarios pro qualibet libra, scilicet tres denarios a venditore et tres denarios ab emptore: et ita pro modo libre de precio, pro qualibet re que venditur extra castrum Melgorii existente.

De prediis vero urbanis et aliis immobilibus. que infra castrum Melgorii venduntur per manus corrateriorum aut incantatorum, tres denarios pro qualibet libra de pretio cujuslibet rei immobilis, infra dictum castrum existentis: de quibus tribus denariis pro libra solvit emptor tres obolos: et venditor, alios tres obolos pro qualibet libra.

Item super eo quod dicti curator et Adultus asserunt et pretendunt quod de qualibet re mobili aut per se movente, debet habere dictus Adultus, aut incantator pro eo, si minus vendatur quam minus viginti solidos, obolum pro quolibet solido; et, si vendatur viginti solidos, tres denarios pro libra.

Verum, si plus quam viginti solidos vendatur, de singulis solidis quam plus venderetur usque ad libram, dum tamen non veniat ad libram completam, obolum pro quolibet solido.

Item asserunt et pretendunt quod de vinis, [que] per manus corrateriorum venduntur, debet habere dictus Adultus, aut corretarius pro eo, tres denarios pro quolibet modio;

Et de animalibus equinis, mulinis. azinis, vaqueriis et etiam bovinis, quando venduntur per manus corrateriorum, pro quolibet animali, sex denarios ab emptore et alios sex denarios a venditore.

Item dicunt et pretendunt dictus curator, nomine quo supra, et Adultus, nomine proprio, quod predictas quantitates, superius expressatas per modos supradictos, consueverunt

et visi sunt percipere et habere de singulis rebus immobilibus et se moventibus, infra dictum castrum existentibus, tanto longissimis temporibus supra.

Item dictis consulibus et consiliariis, nomine suo et dicte universitatis et singulorum de eadem, predicta, asserta et dicta per dictos curatorem et Adultum, negantibus et dicentibus se et singulos de dicta universitate non debere dare et solvere, de et pro superius expressatis rebus, mobilibus, immobilibus et se moventibus, cum venduntur, ut supradictum est, extra castrum sive infra castrum, nisi solidos quod placet venditori aut venditoribus, et emptori seu emptoribus earumdem rerum, et quod in dispositione eorum est et arbitrio liberali, scilicet emptoris et venditoris, quod et quantum dabunt corretariis aut incantatori.

Super quibus questionibus et aliis dependenribus et emergentibus ex eisdem, ambe partes predicte, quibus supra nominibus, compromiserunt se communiter, et concorditer ac etiam unanimiter in discretos viros magistrum Berengarium Gaucelmi domicellum, Guillelmum Bona monetarium, tanquam arbitros, arbitratores seu amicabiles compositores, a dictis partibus communiter electos:

Dantes et concedentes dicte partes, nominibus quibus supra, predictis arbitris... plenam et liberam potestatem declarandi, diffiniendi dictas questiones, dependentia et emergentia ex eisdem, quod (= et) omnes et singulas questiones audiendi, examinandi, diffiniendi et determinandi, die feriata vel non feriata, partibus presentibus vel absentibus, una presente vel alia absente, et quod possint pronunciare per se vel alium, sedendo vel stando, vulgariter vel latine.

Promittentes dicte partes sibi ad invicem, nominibus quibus supra, venire ad diem et ad dies, locum vel loca eisdem assignandum et assignanda per dictos arbitros..., et eorum

pronuntiationi et diffinitioni hoc templare (=obtemperare), et eas laudare, ratificare, et confirmare et emologare sub pena centum librarum bonorum turonensium parvorum comittenda, danda, solvenda a parte non parente, non obtemperante et ratificante diffinitionem et pronuntiationem faciendas, cum facte fuerint per dictos arbitros..., quam penam committi exhigi et levari voluerunt pro quolibet capitulo, quod in dicta pronuntiatione continebitur, non servato et non ratificato.

Item voluerunt quod hoc compromissum habeat vim duorum compromissorum, unius cum p na, alterius sine pena; et quod duret hodie per totam diem duntaxat, cum alias super eisdem extitit compromissum per partes predictas; et dicti arbitri arbitri.. potuerunt super premissis plene deliberasse.

Item promiserunt tunc partes predicte sibi ad invicem, nominibus quibus supra, per pactum expressum valida stipulatione firmatum, quod non recurrerent ad arbitrium boni viri, de et super hiis que per dictos arbitros... dicta, pronunciata erunt, ymo eisdem qui essent, ymo eadem tenebunt et observabunt, et teneri et servari volebunt, sicut si esset sententia diffinitiva, a competenti judice rite lata, a quo non esset licitum appellare; ymo volunt quod ex pacto expresso quod diffinienda et pronuntianda viribus sigilli regii Montispessulani et domini Francorum regis secundum vires dicti sigilli [subjiciantur] pro omnibus et singulis rationibus:

Exceptionibus, appellationibus, juris et facti [ignorantie], auxiliis et beneficiis cessantibus et remediis, in hac parte renunciaverunt ambe partes, quibus supra nominibus, contra predicta venire seu aliquod venire possent seu in posterum se tueri.

Premissa autem vera esse asseruerunt et ea servare, complere et in nullo contra venire promiserunt et juraverunt dictus curator, nomine quo supra, et dictus Adultus, nomine proprio, et dicti consules, nomine suo et singulorum de dicta universitate, ad sancta Dei evangelia ab ipsis corporaliter tacta.

Acta sunt hec Melgorii; testes horum sunt Raimundus de Villa, Jacobus Barnerii, Petrus Bidocii, et magister Bernardus Michaelis, condam notarius publicus infrascriptus, qui predicta in notam recepit.

Post hec, anno et die quibus supra, et hora post prandium ante vesperas, comparuerunt dicte partes, quibus supra nominibus, coram dictis arbitris..., petentes, instantes et requirentes, nominibus quibus supra, pronunciari et diffiniri per eosdem arbitros... super premissis, de quibus supra compromissum fuit per dictas partes, et etiam dependentibus et emergentibus ex eisdem, juxta assignationem per eos superius eisdem partibus factam:

Renunciantes partes predicte ibidem presentes, quibus supra nominibus, et concludentes communiter et concorditer ubicumque scienter in causa.

Et dicti arbitri..., auditis et intellectis petitis et instanter requisitis per utramque partium predictarum;

Ne partes ulterius vexarentur laboribus et expensis:

Habitis super premissis deliberatione diligenti, consilio et tractatu cum pluribus hominibus [de] locis circum vicinis de Melgoric, presentataque utriusque partis voluntate, nominibus quibus supra, dixerunt, pronunciaverunt et diffinierunt in modum qui sequitur infrascriptum:

Quod de qualibet re seu predio rustico, scilicet campo, vinea, prato, orto, nemore, censibus aut redditibus aut alia quacumque [re], extra castrum Melgorii existentibus, quandocumque et quotienscumque per manum seu manus, aut ministerium corrateriorum juratorum Melgorii, aut per incantatorem ejusdem loci vendentur, solvant et solvere teneantur venditor hujusmodi rei mobilis et emptor ejusdem, scilicet tres denarios pro qualibet libra, de quibus teneantur solvere venditor tres obolos pro unaquaque libra et pro modo libre precii rei vendite: et tres obolos alios emptor, eisdem modo et forma, dicto corraterio aut incantatori qui causam duxerit.

Verum si contingeret quod corraterius quicumque esset

juratus de dicto castro, contingeret venditorem et emptorem rei venalis exposite et eis convictis non posset eos concordare ad plenum in mercato, eo modo et casu venditor si per fraudem aut alias per venditorem remaneret, tunc venditor teneatur dicto Adulto et ejus successoribus, aut corraterio predicto, qui pro eo erit, tres obolos dare pro qualibet libra totius precii, quod pretium dictus corretarius inveniebat ab hujusmodi emptore, dum eos convixerit, emptore hujusmodi impune remanente:

Aut si incantator desinet incantantare de voluntate ejus ad quem pertinet res hujusmodi venalis, etiam habeat tunc dictus incantator, ab eo qui rem sibi tradidit ad incantandum, eodem casu quo supra, tres obolos pro qualibet libra tantum, de quibus solvat tres pictas venditor.

Item... diffiniverunt quod de qualibet re mobili, que ad incantum vendentur, si ascendat pretium ad viginti solidos, habeat incantator, nomine dicti Adulti, tres denarios pro qualibet libra.

Si autem res hujusmodi minus viginti solidos vendentur, habeat et habere debeat obolum pro quolibet solido.

Si autem plus viginti solidos vendentur res hujusmodi, eo casu habeat et habere debeat obolum pro solido usque ad libram.

Et, postquam ad libram deveniret, quod non possit habere dictum obolum pro solido, sed tantum tres denarios pro libra.

Et ita quantumcumque res venalis ascenderet.

Tamen, si res mobiles hujusmodi, que venderentur ad incantum, esse[n]t mobiles pupilli, que per tutorem venderentur: aut essent alicujus debitoris, contra quem fieret executio; aut alicujus criminosi, contra quem curia executionem fieri faciet; aut essent bona alicujus deffuncti, que ejus gadiatores aut heres vendi facerent pro dictis deffunctis (= dictorum deffunctorum) testamento solvendo, istis casibus dictus incantator, ut supra, non habeat, habere non possit nec debeat pro quolibet solido obolum, si non veniret ad libram.

Sed cum omnia que, sibi tradentur, vendita fuerunt, sive a tutore, sive a curatore sive a gadiatoribus, sive ab herede, sive ab heredibus, sive a curia habeat et habere debeat tres denarios pro qualibet libra tantum.

Item... diffiniverunt quod de vinis, que per dictos corraterios aut per incantantorem vendentur modo et forma quibus supra, habeant et habere debeant corraterii aut incantator hujusmodi, pro dicto Adulto, [ab eis] que vina vendent seu vendi facient, tres obolos ab emptore et alios tres obolos a venditore.

Item... pronunciaverunt quod de quolibet animali grosso, sive sint animalia equina, mulia, azinia, vaquina aut bovina, quod aut que venditur, ut supra, per manus aut ministerium corrateriorum aut incantatoris, habeat aut habere debeat corraterius aut incantator hujusmodi, pro dicto Adulto, ut supra, sex denarios a venditore et sex denarios ab emptore.

Item... et diffiniverunt quod, quandocumque dicto Adulto debeantur pro tempore preterito, aut incantatori, aut corraterio seu corrateriis predictis pro dicto Adulto, et pro jure suo, quod solvatur eis per modum et formam superius expressatas et declaratas, ab illis qui eis debent, aut premissorum occasione qui eis tenentur.

Et, quia dicti arbitri... facta diligenti ac sollicita ac attenta informatione, et ad informandum se cum pluribus et diversis probis hominibus vite laudabilis et conversationis honeste, antiquis de Melgorio et aliis locis circumvicinis, ad finem [ut] unicuique reddere possent quod suum est, et ne conscientie eorum in aliis lederentur, jure alieno in omnibus semper salvo, voluerunt, pronunciaverunt et diffiniverunt, sub pena et sacramento supra in compromisso contentis, quod incontinenti ambe partes predicte, quibus supra nominibus, omnia et singula premissa laudent, approbent, rati-

ficent et confirment, et nunquam contra venire per se, aut per interpositas personas veniant, aut venire presumant et permittant sibi ad invicem, ut supra, et jurent.

Item retinemus potestatem, quem habemus in supradicto compromisso, ad declarandum, pronunciandum et diffiniendum [per] quindecim dies proximos, si in predictis aliqua apparerent declarari, pronunciari, corrigere, emendari et interpretari partibus presentibus vel absentibus.

Actum Melgorii; horum sunt testes Johannes Arruffaci, Petrus Garini, dominus Bernardus Pictavini presbiter, dominus Bartholomeus Carbonelli presbiter, magister Bernardus Michaelis, condam notarius infrascriptus, qui predicta in notam recepit.

Postque, anno quo supra, et die vicesima septima aprilis, principe quo supra regnante et episcopo presidente, noverint universi quod nos dicti arbitri..., volentes corrigere quartum predictum articulum, dictum nostrum, auctoritate ac potestate nobis in dicto compromisso datis et per nos supra retentis corrigendi dictum nostrum, pronunciamus quod quandocumque et quotienscumque vina vendentur per corretarios aut incantatorem, quod venditor teneatur dare pro quolibet modio tres denarios corraterio aut incantatori.

Acta fuerunt hec Melgorii: testes horum sunt Egidius *Albinhac* monetarius, Petrus Rocoroia et Johannes Massani, cultores, habitatores Melgorii, et magister Bernardus Michaelis, notarius supradictus, qui predicta in notam recepit.

De qua nota non cancellata *etc.*

(Reg. A, fol. 115 r°).

MDCXCIII. — 26 avril 1335

Protestation de l'évêque contre le sénéchal de Beaucaire, qui a ordonné de lever des soldats sur ses terres.

Anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quinto, et die vicesima sexta aprilis, domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, noverint universi quod, apud Nemausum, in thesauraria Nemausi, ubi consilium curie nobilis et potentis viri domini Philippi de Pria militis, senescalli Bellicadri et Nemausi tenebatur, existens sive constitutus discretus vir magister Petrus Helie jurisperitus, procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris et domini, domini Pictavini, Dei gratia episcopi Magalonensis, prout de dicta procuratione sua constat per quoddam publicum instrumentum, subscriptum et signatum, ut in eo legitur, per magistrum Bremundum Auris, notarium publicum, sumptum sub anno Domini millesimo trescentesimo tricesimo quarto, et die duodecima mensis marcii, quod incipit in tertia linea *Durofortі*, et finit in eadem *certos*, coram nobili viro domino Rotberto de Pomayo milite, vicario et castellano Bellicadri, comissarioque, ut dicebatur, ad recipiendum monstram equorum et servientium armorum, quos nobili et innobili (*sic*) facere tenentur dicto domino nostro regi in dicta senescallia, presentavit eidem et exhibuit papiri scriptam cedulam, quamdam appellationem continentem, quam legi petiit per me Poncium Sabaterii, notarium publicum regium, in presentia dicti domini castellani, et, de contentis in ea, sibi fieri publicum instrumentum.

Cujus quidem cedule tenor talis est:

Constitutus coram nobilibus viris dominis Rotberto de Pomayo, vicario et castellano Bellicadri, locum tenente domini senescalli Bellicadri et Nemausi, comissarioque ad infras-

cripta, ac Baudeto Macarelli, advocato [regio] senescallie Bellicadri et Nemausi, domini nostri Francorum regis, legum doctore, locum tenente domini senescalli, magister Petrus Helie jurisperitus, procurator et procuratorio nomine reverendi in Christo patris domini Pictavini, Dei gratia episcopi Magalonensis, comitis Melgorii et Montisferrandi, significat et exponit quod pridie fuit factum quoddam mandatum litteratorie gentibus dicti domini episcopi, seu officialibus sue temporalitatis, de faciendo monstram armorum et de eundo cum armis apud Tornonem:

Quod [mandatum] dicti domini senescalli fuit generale et sine exceptione quacumque, videlicet in loco Salvii et in Porsano, que loca dictus dominus episcopus habuit ex permutatione Montispessulani cum domino nostro rege, in quibus locis dictus dominus rex retinuit cavalcadas, carentenas et alia servicia armorum;

Necnon et mandatum predictum fuit factum in aliis castris temporalis jurisdictionis dicti domini episcopi, que ad carentenam nec ad servicia armorum aliqua tenentur dicto domino nostro regi;

Quod mandatum, quantum ad loca Salvii et Porsani, et ad omnes dictorum locorum homines, que ad hec tenentur, predicta facta fuerunt, prout ad hec tenentur; et quantum ad predicta de quibus tenentur et que facere acthenus consueverunt, non poterunt reperiri in aliqua negligentia seu deffectu;

Et si essent in aliquo deffectu gentes sue seu officiales, quantum ad ea que tenentur facere et consueverunt, ipse in quantum posset, predicta suppleret ad honorem et commodum dicti domini nostri regis Francorum et suorum officialium.

Verum, quia quantum ad alia loca sue terre et temporalitatis, duntaxat locis Salvii et Porsani, que alia loca terre sue, predictis exemptis, ad premissa non tenentur nec acthenus facere consueverunt, dictum mandatum dicti domini senescalli factum fuit, et est iu magnum prejudicium et gra-

vamen dicti domini episcopi et dicte terre sue, que ad predicta non tenentur, dictis locis Salvii et Porciani exemptis: tum quia predicta alias minime facere cousueverunt, et dictus dominus senescallus non debet eos compellere nec astringere ad talia servicia, que nunquam alias facere consueverunt, sicut est ad carentenam vel ad alia servicia, indebite et de novo.

Quare quantum ad illa loca alia terre sue, loci[s] Salvii et Portiani exemptis, sentiens idem procurator se, quo supra nomine, contra justitiam agravatum, multipliciter oppressum a predicto domino senescallo, et ejus litteris et mandato, et etiam a ministris suis, et (=a) gravaminibus, comunitatis (=commissis) a predictis omnibus et singulis et a quolibet eorumdem, ac etiam a pendentibus ex eisdem, in hiis scriptis presentibus provocat et appellat idem procurator ad dominum nostrum Francorum regem, et apostolos petiit iterum et iterum, cum repetita instantia, sibi concedi et tradi.

Protestans quod per eum non stat, quominus eos recipiat si sibi tradantur.

Protestans idem procurator, quod per presentem appellationem non intendit renunciare tacite vel expresse, quominus possit predicta gravamina vel aliqua ex eisdem prosequi per viam simplicis querele vel nullitatis, vel aliis juris remediis oportunis.

Protestans idem procurator quod, si presentiam haberet dicti domini senescalli, presentem appellationem faceret in ejus presentia.

Et, quia ejus presentiam non habet, eam facit in presentia dicti domini castellani, locum tenentis ejusdem, et in presentia dicti domini Baudeti, ejus locum tenentis in curia dicti domini senescalli.

Requirens vos, quantum de jure potest, quod, pendente presenti appellatione, non innovetis aliquid contra dictum dominum episcopum, et ejus bona et ejus homines, quousque de meritis ejusdem cognitum fuerit per regiam majestatem.

Acta fuerunt hec Nemausi, ubi supra, in presentia et testimonio venerabilis viri domini Stephani de Cabanis legum doctoris, judicis generalis criminum senescallie Bellicadri et Nemausi, domini Hugonis Beti alias Chongo jurisperiti, Raimundi Saynerii procuratoris regii, et mei Poncii Sabaterii, notarii publici regis supra et infra scripti.

Deinde vero et ibidem, dicta die et eodem instanti, veniens una mecum dicto notario ad presentiam venerabilis viri domini Baudeti Macarelli legum doctoris, advocati regii in dicta senescallia ac locum tenente dicti domini senescalli dicte senescallie, dictus magister Petrus Helie, ut procurator et nomine procuratorio dicti domini episcopi Magalonensis, et presentavit et exhibuit eidem suprascriptam papiri cedulam, quam legi petiit per me notarium infrascriptum, in presentia dicti domini locum tenentis, provocans, appellans, protestans et requirens ut in ea continetur: Petens de contentis in ea sibi fieri publicum instrumentum.

Et dictus dominus locum tenens, habens dictam cedulam pro lecta, assignavit dicto reddenti cedulam, ad audiendam responsionem suam super dicta appellatione, die crastina mane.

Acta fuerunt hec Nemausi in dicta thesauraria, presentibus testibus dicto domino Stephano de Cabanis legum doctore, judice criminum in dicta senescallia, Raimundo Saynerii procuratore regio, magistro Stephano Gauterii notario regio, et me dicto Poncio Sabaterii, notario regio supra et infra scripto.

Qua die crastina, supra per dictum dominum locum tenentem domini senescalli assignata ad audiendum responsionem unum (=suam), que dies fuit vicesima septima dicti mensis aprilis, apud Nemausum in consistorio parvo curie

dicti domini senescalli, coram dicto domino Baudeto Macarelli legum doctore, advocato et locum tenente predicto, comparuit dictus magister Poncius Helie jurisperitus, procurator et nomine procuratorio dicti domini Magalonensis episcopi, paratus audire responsionem super dicta appellatione, si quam idem dictus locum tenens duxerit faciendam:

Protestans quod, per presentem comparitionem, non intendit renunciare dicte sue appellationi, ymo in eadem persistere vult et intendit.

Et dictus dominus locum tenens respondit super contentis in dicta cedula, ut sequitur:

Et dictus dominus locum tenens dicti domini senescalli dixit et respondit quod dictus dominus senescallus, super predictis exequendis et faciendis, certos et speciales comissarios deputavit, videlicet dominos Rotbertum de Pomayo, vicarium et castellanum Bellicadri, Hugonem de Carsano, rectorem regium Montispessulani, militem, et Raimundum Viguerii, vicarium et castellanum Alesti, et quemlibet ipsorum in solidum,

Propter quod adheat dictos comissarios, si ei expediens videatur.

Cui responsioni dictus procurator non consentiit, set in sua appellatione persistens, provocavit, appellavit et apostolos petiit, ut supra.

De quibus sibi fieri petiit publicum instrumentum.

Et dictus dominus locum tenens nichilominus respondit ut supra.

Acta fuerunt hec Nemausi, in parvo consistorio curie dicti domini senescalli, presentibus testibus dominis Raymundo Saynerii procuratore regio, Gaufrido de Sancto Paulo, Poncio de Barriate, Berengario de Rayssaco jurisperitis, magistro Stephano Gauterii notario, et me dicto Pontio Sabaterii, publico supradicti domini nostri Francorum regis notario,

qui premissis omnibus et singulis, una cum prenominatis testibus, personaliter interfui, eaque assumpsi, scripsi, et in hanc formam publicam reddegi, signoque meo signavi sequenti *etc*.

(Reg. A, fol. 208 r°).

MDCXCIV. — 29 avril 1335

Protestation, pareille à la précédente, faite devant le recteur royal de Montpellier.

Anno Dominice Incarnationis millesimo trescentesimo tricesimo quinto, et penultima die mensis aprilis, superillussimo principe domino Philippo, Dei gratia Francorum rege regnante, cunctis presentibus et futuris manifestum existat, quod existens in presentia nobilis et discreti viri domini Hugonis de Carsano militis, rectoris regii Montispessulani, ac comissarii, ut dicebatur, ad infrascripta deputati per dominum senescallum Bellicadri et Nemausi, magister Poncius Helie jurisperitus, ut procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Pictavini, episcopi Magalonensis, presente me Raimundo Celararii, notario regio, et testibus infrascriptis, reddidit quandam papiri cedulam scriptam, petens, et requirens et protestans, ut in ea continetur. Cujus cedule tenor dinoscitur esse talis:

Existens in presentia nobilis et potentis viri domini Hugonis de Carssano, militis et rectoris regii Montispessulani, comissarii super clamationibus et edictis armorum in senescallia Bellicadri et Nemausi, per nobilem et potentem virum dominum Philippum de Pria, militem et senescallum Bellicadri et Nemausi, deputati per dictum dominum senescallum, una cum domino Rotberto de Pomayo, vica-

rio et castellano Bellicadri, et Raimundo Viguerii, vicario Alesti. cum illa clausula *et quemlibet eorum in solidum* magister Petrus Helie jurisperitus, procuratorio nomine reverendi in Christo patris domini Pictavini episcopi Magalonensis, de qua procuratione constat per quoddam publicum instrumentum, subscriptum et signatum manu magistri Bremundi Auris, publici autoritate regia et dicti domini episcopi notarii, receptum sub anno Dominice Incarnationis millesimo trescentesimo tricesimo quarto, scilicet duodecima die aprilis, quod incipit in tertia linea *Duroforti*, et finit in eadem *certos*:

Qua fide facta, dixit et proposuit quod ipse, ut comissarius, fecit proclamare et proclamare mandavit per loca temporalitatis comitatus Melgorii et Montisferrandi, quod omnes, tam nobiles quam ignobiles, essent parati sequi dominum nostrum regem cum armis apud Tornonem:

A qua quidem proclamatione, tanquam a prejudiciali, injusta et iniqua dicto domino episcopo Magalonensi et Ecclesie Magalonensi, dictus procurator a dicto domino senescallo comittenti appellavit et provocavit ad regiam majestatem, et apostolos petiit.

Et protestatus fuit, inhibuit et requisi[vi]t, ut in instrumento appellationis continetur.

Verum dominus Baudetus Macarelli, legum doctor, advocatus domini regis, locum tenensque dicti domini senescalli; qui dictus dominus Baudetus, locum tenens predictus, intimata eidem appellatione et gravaminibus in dicta appellatione eidem expressis, dieque eidem procuratori assignata ad audiendum responsionem, dixit et respondit dictum procuratorem et causam gravaminum remittendo vobis, dicto domino rectori, comissario predicto.

De qua remissione constare dixit, et fidem fecit ibidem, per quoddam publicum instrumentum, receptum et signatum, ut in eo legebatur, manu magistri Poncii Sabaterii, notarii regii Nemausi, sub anno Domini millesimo trescentesimo tricesimo quinto, et die vicesima sexta mensis aprilis.

Quare dictus magister Petrus, nomine quo supra, requirit

vos, dictum rectorem predictum, comissariumque predictum, cui expresse causa et cognitio gravaminum est commissa, quatenus dictam proclamationem, factam in terra dicti domini episcopi, comitis Melgorii et Montisferrandi, de facto indebite et injuste, cum comitatus Melgorii et comitatus Montisferrandi, in tota terra dictorum comitatuum, sit immunis a carentenis et a portatione armorum, et ab aliis servitiis, dictam proclamationem seu edictum, per vos factum, de facto relaxetis;

Offerens se paratum vos, dictum dominum comissarium, super immunitate, tam per testes quam per instrumenta, et privilegia et alia documenta legitima informare:

Requirens vos, dictum dominum comissarium predictum, ne, cognitione pendente et remissione vobis per dictum dominum Baudetum facta, nullatenus procedatis contra dictum dominum episcopum seu ejus homines.

De quibus petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Qua cedula reddita, dictus dominus rector habuit eam per lectam, petens copiam dicte cedule.

Et, ea habita, obtulit se paratum respondere contentis in dicta cedula.

Ad quam responsionem suam audiendam, hodiernam diem in vesperis dicto magistro Petro, nomine quo supra, assignavit.

Acta fuerunt hec in curia regia Montispessulani, testibus presentibus domino Martino Forasserii jurisperito, Petro de Lagantru mercatore Montispessulani, et me Raimundo Cellararii, notario infrascripto.

Vice cujus et mandato *etc.*

Qua die et hora vesperarum, comparuit dictus magister Petrus Helie, nomine quo supra, offerens se paratum audire responsionem dicti domini rectoris, juxta presentis diei et hore assignationem.

Et dictus dominus rector dixit et respondit ut sequitur:

Et dictus dominus rector, de consilio judicis sui, dixit et respondit se in nullo gravasse dictum dominum episcopum nec ejus temporalitatem, set quod adimplevit mandata sibi facta per dictum dominum senescallum seu ejus locum tenentem, in quantum in eo fuit; et adhuc faciet sine injuria dicti domini nostri regis et subditorum ejusdem.

Quare dixit quod petita et requisita per dictum procuratorem facere non potest.

Super aliis remittit eum ad dictum dominum senescallum, cum potestas sua ad hoc se non extendat.

Cui responsioni facte vel faciende, dictus magister Petrus Helie non consentiit, quatenus juri dicti Magalonensis episcopi et subditorum suorum prejudicare posset.

Et dictus dominus rector, ut supra, dixit et respondit.

Acta fuerunt hec in curia regia Montispessulani, presentibus testibus magistris Guillelmo Saligani, Andrea Foresii jurisperitis, Giberto de Lusernone notario regio, et me Raimundo Cellararii, publico auctoritate regia notario, qui requisitus predicta in notam recepi.

(Reg. A, fol. 209 r°).

MDCXCV. — 6 mai 1335

Appel au roi pour l'affaire précédente.

Anno Dominice Incarnationis millesimo trescentesimo tricesimo quinto, et sexta die mensis maii, superillustrissimo principe domino Philippo, Dei gratia Francorum rege regnante, cunctis presentibus et futuris manifestum existat, quod existens in presentia nobilis et discreti viri domini Hugonis de Carssano militis, rectoris Montispessulani, magister Pe-

trus Helie, jurisperitus et procurator et procuratorio nomine reverendi in Christo patris domini Pictavini, Dei gratia Magalonensis episcopi, reddidit seu tradidit quemdam papiri rotulum, appellationem continentem, appellans, petens, requirens et protestans ut in eo continetur.

De quibus petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Et dictus dominus rector petiit copiam dicti rotuli seu appellationis.

Qua copia habita, obtulit se paratum responsionem facere ad contenta in dicto rotulo sive appellatione predicta.

Tenor vero dicti rotuli et appellationis predicte sequitur in hec verba:

Cum oppressis et contra jus et justitiam agravatis, appellationis remedium sit indultum, idcirco ego Petrus Helie, jurisperitus, procurator et procuratorio nomine reverendi in Christo patris domini Pictavini, Dei gratia Magalonensis episcopi, comitis Melgorii et Montisferrandi, sentiens dictum dominum meum in personas vassallorum et hominum, juridictioni sue subjectorum, exceptis locis de Salvio, de Duroforti, de Portiano, de Sancta Cruce de Quintilhanicis, et de Fontanesio, multipliciter agravatum a vobis, nobili et potenti viro domino Philippo de Pria, senescallo Bellicadri et Nemausi, ac dominis Roberto de Pomayo et Hugone de Carsano milite, castellano Bellicadri et rectore regio Montispessulani, et Raimundo Viguerii, dicentibus vos comissarios dicti domini senescalli, necnon et a vobis Paulo Falconis, qui vos dicitis locum tenentem vicarii Aquarum Mortuarum et comissarium, a dictis dominis comissariis seu eorum altero deputatum:

Ex eo et pro eo quia mandastis et precepistis, mandari seu precipi fecistis et publice preconizare, per terram et jurisdictionem domini episcopi et vassallorum suorum, quod

quicumque homines castrorum et villarum dicti domini episcopi et vassallorum suorum, nobiles et ignobiles cujuscumque conditionis existerent, essent prompti et parati in equis et armis equitis et peditis: et quod essent in modum exercitus, die martis proxime preterita, apud Tornonem, et ibidem monstram facerent, et exinde ulterius irent vobiscum, domino senescallo, sub pena corporis et averi:

Mandando nichilominus ipsos ad hoc compelli per captionem persone et bonorum suorum, prout de dicto mandato et precepto apparet per vestras litteras, quarum tenor inferius est insertus.

Non advertentes vos, dicti domini, faciendo, exequendo dicta mandata et precepta, quod homines dictorum castrorum et villarum dicti domini episcopi et vassallorum suorum sunt immediate subjecti dicto domino episcopo et comiti, et per eum et ejus mandatum tenentur servare in armis dictis dominis episcopo et comiti;

Non advertentes etiam quod dicti homines et universitates [non] tenentur nec consueverunt facere quarentenam in armis, nec alias sequi dictum dominum nostrum regem cum armis:

Non advertentes etiam ad impossibilitatem dicti mandati, videlicet quod omnes et singuli irent ad dictum exercitum.

Item aliud impossibile videlicet quod, hinc ad diem intra usque ad quam diem, non sunt nisi quatuor dies intermedie essent (*sic*) apud Tornonem, ubi sunt ultra quinque diete;

Non advertentes etiam quod [si] omnes de dicta universitate irent factum monstram ad dictum locum de Tornone, sicque si pareretur vestro mandato, nullus remaneret in dictis locis et per consequens bona hominum dictorum locorum possent per quemlibet depredari libere.

Non advertentes etiam quod continetur in vestro mandato et executione, quod quicumque illuc accederent, teneantur vel non teneantur.

Non advertentes etiam quod, citra scientiam et speciale mandatum domini nostri regis, in regno suo nullus ejus officialium potest nec debet exercitum demandare.

Quare tam eminentibus gravaminibus et utroque eorum, et ab omnibus et singulis mandatis et preceptis, factis super dictis armis, salvo jure nullitatis per vos dictos dominos senescallum et rectorem, a vestra et utriusque vestrum audientia, in hiis et cum hiis scriptis, sollempniter provoco et appello ad dominum nostrum regem, scilicet apostolos sepe et sepius et cum multiplicata instantia postulando;

Protestans qui (= quod), si copiam dicti domini senescalli haberem seu habere possem, presentem appellationem in ejus presentia redderem: set, quia ejus presentiam de presenti habere non possem (= possum), presentem appellationem reddo et facio coram vobis, dicto domino rectore, et curia vestra;

Protestans quod appellationem hujusmodi intimabo dicto domino senescallo seu ejus locum tenenti, si et prout de jure teneor, infra tempus a jure statutum;

Protestans etiam quod, propter predicta, nolo esse rebellis nec inobediens domino nostro regi seu ejus officialibus, set jus et libertatem dicti domini episcopi et ejus subditorum servare indemnem;

Protestans etiam quod sit michi, nomine quo supra, licitum presentem appellationem prosequi per viam appellationis, simplicis querele, vel nullitatis, aut aliis juris remediis opportunis.

De quibus peto michi, nomine quo supra, fieri publicum instrumentum.

Tenor vero dictarum litterarum, pretextu quarum vos, dicte rector, exequtionem facitis, talis est:

Philippus de Pria, dominus de Molinis in Bituricis, miles domini nostri Francorum regis, ejusque senescallus Bellicadri et Nemausi, universis justiciariis regiis nostre senescallie, ad quos presentes littere pervenerint, salutem.

Monstram armorum, ab illis qui quarantenam facere do-

mino nostro regi, et etiam equos armatos ac homines armorum [tenentur], mandamus fieri.

De aliis autem omnibus adhuc non mandamus fieri.

Et quia necessario nos, die martis post quindenam instantem proxime venturi festi Pasche, apud Tornonem adesse oporteat, ulterius in modum exercitus pro domino nostro rege, ad certas partes seu loca, cum Dei dispositione et adjutorio, accessuri, ut dicebat:

Vobis igitur et vestrum cuilibet preci[pi]mus et mandamus, quatenus, visis presentibus, preconizare publice faciatis per loca vobis subdita, ut tam illi qui quarentenam ac equos armatos et homines armorum dicto domino nostro regi facere tenentur, quam quicumque alii universi, subditi domini nostri regis, nobiles et innobiles cujuscumque conditionis existant, sint prompti et parati in equis et armis equitis et pedes (= peditis), juxta suam condecentiam;

Et quod dictis die et loco sint et veniant coram nobis, monstram predictam facturi et exinde ulterius nobiscum ituri, ut premittitur.

Concedentes sub pena corporis et averi ad hoc ipsos et quemlibet ipsorum per captionem persone et bonorum specialiter compellendo[s].

Nam illis quibus prestare solida seu stipendia, pro premissis consueta, tenetur, eisdem realiter prestabuntur in promptu.

Nec intendimus quod illi, qui equos armatos, et homines armatos, et roncinos facere tenentur dicto domino nostro regi, monstram, quam facere debere[n]t coram nobis ac nostro locum tenente die lune post octabas dicti festi Pasche, secundum quod per nos mandatum extitit et etiam ordinatum, facere non obmittant.

Quare eis et eorum cuilibet, qui debebant facere forsitan, injungetur (*sic*) et intimetur eisdem palam et publice, voce preconia et aliis modis omnibus quibus poterit, quod si in predictis erant defecturi, quod de negligentia et inhobedientia punirentur, et ad ipsos et eorum bona, tanquam rebelles

et inhobedientes, incontinenti haberetur recursus, et etiam ad vos, nisi feceritis que mandamus.

Datum Ruppemaura, die XIIII aprilis, anno Domini millesimo CCC° XXX quinto.

Et vos, rector Montispessulani, requiratis bajulum Montispessulani, et, in ejus defectum, locum tenentem domini Majoricarum regis in Montepessulano, ut premissa in parte sua dicti regis Majoricarum faciat; alioquin vobis committimus et mandamus ut premissa omnia, in eorum defectu, faciatis.

Reddere litteras sigillatas.

Acta fuerunt hec in parte regia Montispessulani, presentibus testibus magistro Bernardo Prunelli notario regio, Rai mundo de Foraminis, et me Raimundo Cellararii, notario infrascripto.

Postque, anno quo supra, et octava die dicti mensis maii, existens dictus procurator in presentia dicti domini rectoris, obtulit se paratum audire responsionem et apostolos recipere, si quos sibi concedere voluerit, appellans, petens et protestans ut supra.

Et dictus dominus rector, et de consilio judicis, respondit ut sequitur,

Et dictus dominus rector dixit et respondit quod ipse, in premissis, nullam habet cognitionem; sed ea que facit, et fecit de mandato domini senescalli Bellicadri seu ejus locum tenentis; quare requisita adimplere non posset.

Et ideo dictam appellationem non admisit, nisi si et in quantum dominus noster rex, seu dictus dominus senescallus, eam duxerit admittendam;

Presentem responsionem pro apostolis, qui in talibus concedendi sunt, conçedendo.

Cui responsioni dictus procurator non concensiit, set appellavit, provocavit, et requisivit, et apostolos petiit, ac protestatus fuit ut supra.

Et dictus dominus rector, ut supra, dixit et respondit.

Acta fuerunt hec in parte regia Montispessulani, presentibus testibus, a paragrafo citra, Guillelmo Roqui notario, Arnaldo Agulhonis clerico, habitatore Montispessulani, et me Raimundo Cellararii publico auctoritate regia notario, qui requisitus predicta in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. A, fol. 206 v°).

MDCXCVI. — 12 mai 1335

Protestation de l'évêque contre les officiers royaux, qui veulent lever des gens d'armes dans le comté de Melgueil.

Anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo tricesimo quinto, scilicet quarto idus madii, domino Philippo rege Francorum regnante, constitutus magister Guillelmus Clari jurisperitus, procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Pictavini, Dei gratia Magalonensis episcopi et comitis Melgorii, in presentia nobilium virorum dominorum Roberti de Pomayo militis, castellani et vicarii Bellicadri, et Bremundi de Mari domicelli, castellani et vicarii Aquarum Mortuarum, dicentium se comissarios a domino senescallo Bellicadri et Nemausi super hoc deputatos, reddidit duas papiri cedulas, simul sutas, scriptas;

Quarum tenor noscitur esse talis:

Existens magister Guillelmus Clari jurisperitus, procura-

tor et nomine procuratorio domini Pictavini, divina providentia Magalonensis episcopi et comitis Melgorii, in presentia nobilium virorum dominorum Roberti de Pomayo militis, castellani Bellicadri, et Bremundi de Mari domicelli, vicarii Aquarum Mortuarum, dicentium se comissarios a domino senescallo Bellicadri et Nemausi super hoc deputatos:

Cum ipsi domini, ut comissarii dicti domini senescalli, requisiverunt venerabilem virum dominum Johannem Amalrici, socium et familiarem domini Magalonensis episcopi, ut in comitatu Melgorii dicti domini episcopi, faceret fieri preconizatiónes et mandata, et alia contenta in quibusdam litteris dicti domini senescalli, quarum tenor inferius est insertus;

Dixit et proposuit dictus procurator, ad excusationem dicti domini episcopi et curialium suorum, quod dictus dominus episcopus seu sui curiales non possunt nec debent requisita per dictos dominos castellanum et vicarium, salva tamen in omnibus reverentia et honore dicti domini [senescalli] et dictorum dominorum castellani et vicarii, adimplere absque enormi lesione juris et jurisdictionis dicti domini episcopi et comitis supradicti et sue Ecclesie Magalonensis, et absque transgretione juramenti, per eumdem dominum episcopum prestiti, de bonis et juribus sue Ecclesie observandis, rationibus inter cetera infrascriptis:

Primo, quia gentes dicti domini episcopi et comitatus Melgorii sunt immediate subjecti dicto domino episcopo, tanquam comiti, et ad mandatum suum tenentur et sunt astricti ire cum armis, specialiter ad custodiam dicti comitatus et Ecclesie et insule Magalone; qua loca cum aquis maritimis limitantur, et quia illa loca possent faciliter, nisi adesse[t] prompta custodia, debellare, sicut alias accidit, tam per inimicos fidei quam etiam per alios.

Item ex eo quia dictus comitatus Melgorii non est de feudo seu retrofeudo dicti domini nostri Francorum regis.

Item quia gentes dicti comitatus ad talia seu similia facienda non sunt astricte ex aliqua conventione sive pacto, nec etiam talia facere consueverunt temporibus retro lapsis.

Item ex eo quia mandata seu ordinationes regie extant, quod gentes dicti comitatus ad talia seu similia faciena, nullathenus compellantur.

Item ex eo quod, si reperiatur quod gentes dicti comitatus, seu alique ex eis, aliquod servicium seu subsidium fecerunt, quod tamen dictus procurator ignorat, illud factum reperiatur de speciali gratia, et etiam receptum et absque omnium prejudicio, talibus vel similibus in posterum, dictis gentibus generando.

Item ex eo quia dictus dominus senescallus, salva sui reverentia, tam de jure communi quo regitur hec patria, quam etiam etiam secundum mandata regia, alias sepe facta, non potest sine expresso mandato et certa conscientia dicti domini nostri regis, de quibus apparet per legitima documenta exercitum demandare; de quibus mandato et conscientia non apparet nec fit mentio in dictis litteris dicti domini senescalli.

Item ex eo quia de alio simili, seu quasi, mandato dicti domini senescalli extitit per partem dicti domini episcopi sollempniter et legitime ad dominum nostrum regem Francorum appellatum, et corti nuncii jam destinati pro adeundo dicto domino nostro rege, et introducenda et procequenda appellatione hujusmodi coram eo.

Quia (=qua) appellatione pendente dictus dominus senescallus, salva sui reverentia, non potuit nec debuit dictam comissionem facere, nec aliquid innovare seu etiam atemptare, cum non ad eum, set solum et insolidum ad dictum dominum nostrum regem spectet cognitio appellationis predictė, et receptio seu admissio ejusdem.

Et si predicte cause fuisset (*sic*) expresse dicto domino senescallo, non credit dominus procurator ipsum dictam comissionem et mandatum fecisse.

Quare persistens in appellationibus, alias factis super hoc per procuratorem dicti domini episcopi et comitis, petiit et cum instantia requisivit penitus supercedi ab exequtione comissionis predicte; alioquin protestatur de gravamine et contemptu dicti domini nostri regis ad quem extitit appellatum.

De quibus petiit sibi fieri publicum instrumentum, et inseri in requisitione facta per dominos castellanum et vicarium supradictos.

Tenor vero dictarum litterarum talis est:

Philippus de Pria, dominus de Molinis in Bituria, miles domini nostri Francorum regis ejusque senescallus Bellicadri et Nemausi, nobili viro castellano Bellicadri, thesaurario nostre senescallie et vicario Aquarum Mortuarum, et eorum alteri, salutem.

Cum per rectorem Montispessulani comitendo mandavissemus, ut monstram gentium armorum in Montepessulano, in parte domini regis Majoricarum, sicut in terris, et locis et aliis baroniis nostre senescallie est factum, preconisati (= preconisari) et fieri, et quod venirent Turnonem, die martis preterita, ad nos cum aliis gentibus armatis nostre senescallie, ipsa preconisatione facta et aliis contentis in nostris litteris, gentes dicti domini regis appellarunt.

Cui appellationi dictus rector, in dampnum domini regis et contemptum non modicum, detulit: quod sibi facere minime pertinebat nec dicebat (= decebat); ex quo dominus noster [rex?] et nos, non immerito, sumus moti et miramur.

Ideo vobis et vestrum cuilibet comitimus et mandamus, et de scientia et precepto dominorum predictorum, quatenus vos aut duo vestrum apud Montempessulanum personaliter vice nostra accedatis, et, gentibus dicti domini regis Majoricarum sufficienter requisitis, preconisari et precepi [faciatis], voce preconia, ex parte domini regis Francorum et nostra, in dicta villa Montispessulani, quod gentes omnes dicti loci, sub pena corporis et averi, et sub omni alia pena quam possent incurrere, dictam monstram faciant semel, secundo et tertio;

Et eisdem precipiatis sub eadem pena, quod veniant cum

armis suis, bene parati et muniti, sicut decet, una cum aliis nostre senescallie, apud Sanctam Columbam, ad servicium dicti domini regis, sicut decet, faciendum;

Ipsos ad hec, per captionem corporum et bonorum, compellentes celeriter, et ferventer compellentes tamquam inobedientes et rebelles.

Et illud idem in terra et comitatu Melgorii episcopi Magalonensis fieri volumus et mandamus, appellationibus, oppositionibus factis per dictas gentes [regis] Majoricarum aut alios quoscumque, et etiam faciendis, quas repellimus et concessimus esse frustratorias et inanes, nonobstantibus quibuscumque:

Taliter facientes, quod jus et honor regis illesi remaneant, et quod non possitis de negligentia reprehendi aut puniri.

Mandamus omnibus subditis regiis, ut vobis et vestrum cuilibet in premissis pareant et intendant, sicut nobis.

Datum Sancte Columbre (= Columbe), prope Viennam, sub sigillo nostro proprio, die quinta maii anno Domini M° CCC° XXX° VI° (= V°).

Et dicti domini castellanus et vicarius dixerunt, quod ipsi sunt exequtores, ut per tenorem litterarum eorumdem apparet;

Quare dixerunt quod ipsi exceptiones nec appellationes admittere possunt; set contenta in dictis litteris admittere dixerunt ad punctum et exequentur.

Et dictus procurator dicte respontioni, facte per dictos dominos castellanum et vicarium, non consenciit, set penitus contradicit.

Et ab ipsa et a mandato dicti domini senescalli, viva voce et in hiis scriptis, appellavit ad dominum nostrum Francorum regem, apostolos multiplicata instantia postulando.

Protestato quod presentem appellationem intimabit dicto domino senescallo, cum copiam ipsius non habeat.

Et dicti domini castellanus et vicarius dixerunt et responderunt ut supra.

Necnon et dicti castellanus et vicarius, et dominus Raimundus Saynerii, procurator regius, ibidem existens, de dampnis regiis, rebellitione et inobedientia mandatorum protestati fuerunt.

Et dictus procurator dixit, quod dictus dominus episcopus seu ipse procurator, ejus nomine, predicta non dixit, nec predictis contradicit, nec dicere seu contradicere intendit propter aliquam inhobedientiam seu rebellitionem dicti domini nostri regis seu ejus officialium, set tantum pro conservanda immunitate sua et gentium suarum, et pro jure suo duntaxat conservando:

Non consentiens protestationibus, factis per dictos dominos castellanum, et vicarium et procuratorem.

Actum in curia regia Montispessulani domini regis Francorum, testibus presentibus domino Guillelmo de Baransono priore Sancti Martini de Petra dyocesis Uticensis, magistro Egidio Johannis, Jacobo Sambuci notario. habitatoribus Montispessulani, magistro Bertrando Chamancii notario regio, et me Jacobo Fabri, publico auctoritate regia notario, qui hec in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. C, fol. 60 r°).

MDCXCVII. — 14 mai 1335

Autre appel au roi pour la même affaire.

Anno Dominice Incarnationis millesimo trescentesimo triscesimo quinto, scilicet quarta decima die maii, domino Philippo Francorum rege regnante, noverint universi quod magister Petrus Helie jurisperitus, procurator et nomine

procuratorio domini Magalonensis episcopi, prout de sua procuratione constat per quoddam, ut prima facie apparebat, publicum instrumentum, subscriptum et signatum manu magistri Bermundi Auris notarii, sub anno Incarnationis Domini millesimo CCC° XXX° quarto, et die duodecima mensis maii, quod incipit in tertia linea *Duroforti* et finit in eadem *certos*.

Existens in presentia nobiliorum virorum dominorum Roberti de Pomayo militis, castellani Bellicadri, et Bermundi de Mari, vicarii et castellani Aquarum Mortuarum, comissariorum, ut dicitur, deputatorum a domino Philippo de Pria milite, senescallo Bellicadri et Nemausi, presentavit et exhibuit dictis dominis castellano Bellicadri et vicarium (=vicario) Aquarum Mortuarum, et porrecxit quamdam papiri cedulam dictis dominis castellano et vicario, et michi, notario infrascripto, aliam, eidem similem, scriptam, appellationem continentem, quam pro lecta habuerunt;

Dicens, provocans, appellans et apostolos petens et protestans idem procurator, ut in ea continetur.

Cujus series dinoscitur esse talis:

Cum oppressis et contra jus et justitiam agravatis, appellationis remedium sit indultum, idcirco ego, Petrus Helie jurisperitus, procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Pictavini, Dei gratia Magalonensis episcopi et comitis Melgorii, sentiens dictum dominum meum episcopum, et ejus jus et jurisdictionem comitatus sui Melgorii et Montisferrandi oppressum multipliciter atque ledi a vobis, nobili et potenti viro domino Philippo de Pria milite, senescallo Bellicadri et Nemausi, a vestra senescallia in remotis agente;

Necnon et a vobis nobilioribus viris dominis Roberto de Pomayo milite, castellano Bellicadri, et Bermundo de Mari domicello, vicario Aquarum Mortuarum, dicentibus vos comissarios, a dicto domino senescallo super hec deputatos:

Ex eo et pro eo quod vos, dicte domine senescalle, quas-

dam litteras, precepta, comissiones et mandata continentes, in prejudicium juris et jurisdictionis dicti episcopi et comitis misistis et mandastis, quarum tenor inferius est insertus;

Et vos, dicti domini castellanus et vicarius, requisiti per procuratorem dicti domini episcopi et comitis, ab exequendis contentis in dictis litteris supercedere, noluistis, rejectis rationibus et juribus domini episcopi et comitis supradicti;

Qui[n] ymo, ipsis non obstantibus, dixistis et respondistis quod exceptiones et appellationes dicti procuratoris non admiteretis, sed contenta in dictis litteris adimpleretis de puncto ad punctum;

Quod tamen nec vos, dicte domine senescalle, nec vos, dicti domini castellanus et vicarius, adimplere aliquathenus debuistis, honore et reverentia vobis debitis semper salvis, rationibus inter cetera infrascriptis:

Primo, quia gentes dicti domini episcopi et comitatus Melgorii sunt immediate subjecte *etc.*, *ut supra a p. 559 usque ad 17am lineam p. 560.*

Item ex eo quia dictus dominus senescallus, salva sui reverentia, in suis litteris manifestum et notorium gravamen expressit, repellendo appellationes, oppositiones, exceptiones, et quecumque alia, factas et facta, faciendas et facienda, et ea reputavit et sentiit frustratoria et inania, partibus absentibus, et dicto domino episcopo seu ejus procuratore de jure suo non audito, et absque aliqua cause recognitione precedente, proponendo suum judicium seu sententiam, si judicium seu sententia dici possit; de cujus contrario protestatur causa cognitionis.

Et etiam vos, domini comissarii, idem facere in exequtione vestre comissionis dixistis, et respondistis vos velle facere de puncto ad punctum in prejudicium juris et jurisdictionis dicti domini episcopi Magalonensis, et gentium et subditorum suorum, juris ordine totaliter pretermisso;

Maxime quia future allegationes et exceptiones, oppositiones quas habet legitimas dictus dominus episcopus et comes, et ipse procurator pro eo, dictus dominus senescallus, vos, dicti domini comissarii, penitus supercedere debuistis: cum,

in omni rescripto et in omni littera, de jure intelligatur clausula si est, et si partes veritatis nitantur, et salvo jure cujuslibet alieno, et salvis deffensionibus, et exceptionibus et oppositionibus justis.

Item ex eo quia de alio simili, seu quasi, mandato dicti domini senescalli extitit per partem dicti domini episcopi sollempniter et legitime ad dominum nostrum regem Francorum appellatum, et certi nuntii jam destinati pro adeundo dicto domino nostro rege, et introducenda et prosequenda appellatione hujusmodi coram eo.

Qua appellatione pendente, dictus dominus senescallus, salva sui reverentia, non potuit nec debuit predicta facere, nec aliquid innovare seu etiam attemptare, cum non ad eum, sed solum et in solidum ad dictum dominum nostrum regem spectet comissio appellationis predicte et receptio seu admissio ejusdem.

Quare persistens in appellationibus, alias factis super hoc per procuratorem domini episcopi et comitis, a quibus recedere non intendit, a tam eminentibus gravaminibus, ego, dictus procurator, nomine quo supra, in hiis et cum hiis scriptis sollempniter provoco et appello a vobis, dicto domino senescallo, et a vobis, dictis dominis castellano et vicario, et utroque vestrum ac audientia vestra, ad dominum nostrum Francorum regem, apostolos semel, secundo et cum multiplicata instantia postulando:

Protestando quod sit michi et dicto domino meo licitum presentem appellationem prosequi per viam appellationis, simplicis querele seu nullitatis, aut aliis juris remediis opportunis

Protestans autem iterum et post omnia quod, per infra vel supra scripta, vel alias dicta, dicenda vel etiam facienda per dictum dominum episcopum seu procuratorem suum, seu per me dictum appellantem, inobedientiam vel rebellionem contra dictum dominum regem Francorum vel gentes suas aliquam facere non intendit, nec intendo de facto, nec fecit;

Sed predicta dicit, proponit et probare intendit, tempore

et loco opportunis, et coram competenti judice, de jure suo litigando legitime et debite, et prout sibi licitum est et erit de jure, ad sui et dicti domini sui episcopi et comitis debitam et licitam deffentionem et tuihitionem:

Protestans etiam quod, quia de presenti copiam dicti domini senescalli habere non possum, predictam appellationem facio in presentia vestrorum, dictorum castellani et vicarii, ac notarii et testium infrascriptorum:

Et quod ipsam appellationem sibi, infra competentem terminum, intimabo, si et prout de jure fuerit intimanda, et in quantum juris necessitas me ari[d]ebit.

Tenor vero dictarum litterarum talis est:

Philippus de Pria, dominus de Molinis in Biteria, *etc.*, *ut supra*, *p. 555.*

De quibus ego dictus procurator peto michi fieri publicum instrumentum.

Qua cedula reddita, et ipsis dominis castellano et vicario tradita copia ipsius, dicti domini castellanus et vicarius responderunt ut sequitur:

Et dicti domini castellanus et vicarius petierunt copiam sibi dari contententorum in rotulo suprascripto, in eisdem;

Et, habita copia, deliberabunt et facient quod fuerit rationis, juxta formam mandati, eisdem facti per dictum dominum senescallum Bellicadri.

Quibus non consentiit dictus procurator, sed appellavit, provocavit, petiit et protestatus fuit ut supra.

Protestans etiam quod per ipsum non stat quominus reddantur sibi apostoli.

De quibus petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Actum in Montepessulano, in carreria Saunarie, ante hos-

picium Baudoyni Baudilceti, testibus presentibus dominis Raimundo Saynerii, Johanne Ricardi, Petro Ricardi fratribus et magistro Bernardo Chamancii notario, qui una mecum, notario, infrascripto, debet facere publicum instrumentum, et ego Franciscus Baroti, publicus auctoritate regia notarius, qui requisitus predicta in notam recepi.

Postque, eadem die et hora vesperarum, vel circa, constitutus dictus procurator coram dominis castellano et vicario, protestatus primitus quod per presentem existentiam seu comparutionem non intendit appellationi aliquathenus renunciare, ymo per presentem existentiam eam roborare vult et intendit.

Qua protestatione facta, dixit se paratum recipere apos-los seu litteras dimissorias supra in presenti appellatorii (= appellatione) sepe et sepius petitos et petitas, quos seu quas dicti domini senescallus et vicarius duxerunt concedendos seu concedendas, et ad audiendum responsionem super premissis, si quam facere voluerint.

Protestans quod per ipsum non stat, nec stabit quominus eos et eas recipiat et responsionem audiat.

De quibus petiit sibi, nomine quo supra, fieri publicum instrumentum.

Et dicti domini castellanus et vicarius, attento tempore et loco in quibus fuerunt requisiti, cum nondum potuerunt deliberasse, dixerunt quod, habita deliberatione qua decet, parati sunt et paratos se offerunt facere et respondere quod justitia suadebit.

Quibus dictus procurator non consentiit, sed provocavit, appellavit, et protestatus fuit ut supra.

Et nichilominus petiit et requisivit sibi, nomine quo supra, diem certam assignari per dictos dominos castellanum et vicarium, ne super in contentis vagetur.

Et nichilominus dicti domini castellanus et vicarius dixerunt et responderunt ut supra.

De quibus omnibus et singulis, dictus procurator petiit sibi fieri publicum instrumentum, per me notarium infrascriptum.

Actum in hospicio quod inhabitat magister Petrus de Barrio jurisperitus, presentibus testibus dominis Johanne Ricardi, Johanne de Affriano jurisperitis, et magistro Bernardo Chamancii notario regio, qui etiam, una mecum notario infrascripto debet conficere publicum instrumentum.

Postque anno quo supra, et die quinta decima maii, dictus procurator, apud Melgorium, in presentia dictorum dominorum castellani Bellicadri et vicarii Aquarum Mortuarum constitutus, non intendens derogare appellationi sue nec aliquibus contentis in eadem, ymo in ea persistendo et contentis in eadem, petiit et requisivit apostolos dimissorios sibi, procuratorio nomine quo supra, tradi et concedi, alias petitum et requisitum extitit per eundem:

Offerens se paratum etiam audire responsionem si et quam dicti domini castellanus et vicarius duxerint eidem faciendam;

Protestans quod per ipsum non stat nec stabit, quominus eam recipiat.

De quibus petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Et dicti domini castellanus et vicarius dictum magistrum Petrum, nomine quo supra, remiserunt ad dominum judicem majorem Nemausi, ad audiendum respontionem super predictis.

Datum Melgorii, presentibus testibus Raimundo Catalani, Raimundo Ayle de Melgorio, Petro Delegati de Montepessulano, et magistro Francisco Baroti notario infrascripto.

Et incontinenti, dictus procurator accessit, una mecum notario infrascripto, apud Sànctum Jacobum de Melgorio, ad dominum judicem majorem Nemausi, pro responsione audienda.

Quam dictus dominus judex facere minime curavit; ymo eumdem remisit pro responsione audienda ad dictòs dominos castellanum et vicarium.

De quibus dictus procurator petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Actum in claustro dicti loci Sancti Jacobi de Mèlgorio, presentibus testibus domino Guillelmo Vedelli jurisperito, magistro Guillelmo Gauterii, et ego supradictus Franciscus Barroti, publicus auctoritate regia notarius, qui requisitus predicta in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. C, fol. 58 r°).

MDCXCVIII. — 2 juin 1335

Fustigation d'un voleur par la cour de Montferrand.

Anno Incarnationis Dominice millesimo trecentesimo tricesimo quinto, et secunda die mensis junii, domino Philippo rege Francorum regnante, noverint universi presentes pariter et futuri, quod in curia Montisferrandi reverendi in Christo patris domini Peytavini divina providentia Magalonensis episcopi videlicet venerabilis et discretus vir Bertrandus de Villanova domicellus, castellanus dicti castri Montisferrandi pro prelibato domino episcopo, fecit fieri quamdam exequutionem contra Raimundum Popini pastorem, delatum in dicta curia pluribus et diversis latrociniis, canibus, (*sic*) et aliis rebus, et aliis maleficiis, fustigando, currendo sive

escobando ipsum et verberando, prout sententialiter fuerat condempnatus, per terram et jurisdictionem dicti domini Magalonensis episcopi;

Monendo, et fustigando et verberando ipsum de loco Sancti Martini de Tribus viis usque ad locum de Cocellosio (= Cecellecio);

Et deinde ad locum sive mansum de Cayreto sive de *na* Guiraudeta, situm infra parrochiam Sancte Crucis de Quintillanicis, ubi dictus dominus Magalonensis episcopus habet merum et mixtum imperium et jurisdictionem plenariam altam et bassam;

Et consequenter dirigendo versus locum de Sancta Cruce de Quintillanicis;

Et deinde sequendo viam usque ad locum sive mansum vocatum de *la Meulla*, situatum infra dictam parrochiam Sancte Crucis, ubi etiam dictus Magalonensis episcopus habet et habere consuevit omnimodam jurisdictionem et merum imperium;

Et sic currendo, fustigando et verberando dictum malefactorem per loca predicta, ibidem in area dicti mansi de *la Meulla* fuit relaxatus et liberatus a predicta exequutione de mandato dicti domini castellani.

Que quidem exequtio facta fuit in pace et sine aliqua contradictione cujusque.

Et de predictis omnibus et singulis, predictus dominus castellanus, nomine dicti domini episcopi et dicte sue curie, ad eternam rei memoriam et futurorum cautelam necnon et exequtionis predicte, petiit sibi fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Acta fuerunt hec omnia et singula, seriatim in locis, presentibus testibus, ad hec specialiter vocatis, Raimundo Teulerii de Sancto Matheo, locum tenente dicti domini castellani, Guillelmo de Turre juniore de Matellis, Bernardo Guilaberti, Raimundo Pelherii juniore de Matellis, Petro de Cayroleto, Martino Fabri, Guillelmo *Pertrach* de Tribus viis, Jacobo Gaucelmi de Sancta Agnete, et pluribus aliis testibus, et me Raimundo de Morteriis, publico domini Magalonensis

episcopi notario, qui in predicta exequtione presens interfui, et requisitus et rogatus per dictum dominum castellanum, predicta omnia et singula publice scripsi, et in publicam formam recepi, et redegi et signo meo signavi.

(Reg. E, fol. 231 v°).

MDCXCIX. — 2 juin 1335

Apposition des penonceaux royaux à Fontanès et Sainte-Croix-de-Quintillargues, en signe de sauvegarde.

Anno Domini millesimo trecentesimo trecesimo quinto, et secunda die junii, regnante domino Philippo rege Francorum, noscant omnes et singuli quod existens venerabilis et discretus vir magister Petrus Helie, jurisperitus de Montispessulano, procurator reverendi in Christo patris domini Pictavini, Dei gratia Magalonensis episcopi, faciens fidem de sua procuratione per quoddam publicum instrumentum, inde scriptum et signatum per magistrum Bremundum Auris, notarium publicum;

Quod instrumentum sumptum fuit sub anno Domini millesimo trecentesimo trecesimo quarto, et die duo decima mensis marcii; cujus instrumenti secunda linea incipiebat *Dei gratia*, et finit in eadem *salm*, et penultima linea ejusdem instrumenti incipiebat *et quemlibet eorum* et finit in eadem *signum*, et ante signum sunt *appono*;

Idem procurator, nomini procuratorio quo supra, presentavit et exhibuit Johanni de Bitterris, servienti regio, quasdam patentes litteras, dicto servienti directas, petens idem procurator et requirens per dictum servientem fieri et compleri contenta in eisdem, juxta ipsarum litterarum continentiam et tenorem;

Quarum litterarum tenor talis est:

Johannes Ricardi jurisperitus, judex regius Sumidrii et gardiator specialis episcopi et Capituli Ecclesie Magalonensis membrorumque, bonorum ac familiarum suarum per regiam magestatem deputatus, Bernardo de Bellis ceterisque servientibus regiis Montispessulani, salutem.

Litteras patentes regias nos recepisse noveritis sub hec verba.

Philippus, Dei gratia *etc.*, *ut supra, T. IV, p. 548.*

Verum, cum dictus dominus episcopus seu ejus castellanus Montisferrandi timeat sibi nunciari et inferri indebitas novitates specialiter in jurisdictione Montisferrandi, vobis et vestrum cuilibet precipimus et mandamus, quatenus dictum dominum episcopum et etiam dictum ejus Capitulum ab injuriis, violentiis, novitatibus indebitis, oppressionibus, vi armorum et potentia quorumcumque tueamini et deffendatis, ponendo res, inter eos et suos adversarios contentiosas, ad manum regiam; quo casu assignetis partibus diem seu dies competentes super hiis coram suo judice competenti;

Baculumque seu baculos regios in signum salvegardie regie, si requisiti fueritis et expediens fuerit, apponendo.

Volumus tamen quod (*déch. 9 cent.*) in aliquo intromittatis.

Datum in Montepessulano (*déch. 7 cent.*) trecentesimo trecesimo quinto.

Dictus Joh (*déch. 7 cent.*), auditis contentis in predictis litteris, obtulit se cum de (*déch. 7 cent.*) contenta in eisdem litteris.

Et hiens et existens personaliter ipse serviens in podio vocato *del Raire*, parrochie Sancte Crucis de Quintillanicis, Magalonensis diocesis;

Et etiam in loco vocato campum seu terminum de Lupo penduto, juxta viam que venit de Sumidrio et itur versus

dictum locum Sancte Crucis, et in dicta parrochia Sancte Crucis;

Et etiam existens et hiens ad locum vocatum vallatum *Lairomb*, in oppositum ruppis vocate *Cerenc*, juxta iter publicum quod venit de Alesto et itur per id ad Montempessulanum;

Item et etiam hiens dictus Johannes de Biterris, et existens in transtollo vocato *dels Aurejadors*, in quo transtollo transit via publica que venit de Roveto et Valle Montisferrandi, et itur versus Sanctum Desiderium.

Et quod transtollium seu terminium est in capite seu summitate Combe vocate de Salarone.

Item existens in manso de Caireto, et in loco etiam vocato Podium de *Badas*, in summitate Podii vocati de Monnerio, in predictis locis, qui sunt tam infra dictam parrochiam Sancte Crucis de Quintillanicis quam infra parrochiam de Fontanesio; et in quolibet ipsorum locorum dictus serviens regius, exequendo, ut dixit, mandatum, in dictis litteris dicti domini Johannis Ricardi gardiatoris contentum, ad requisitionem dicti procuratoris dicti domini Magalonensis episcopi, qui dicebat coram dicto Johanne de Biterris. servientis regii, predicta loca et quemlibet predictorum locorum, et quicquid comprehenditur infra parrochias predictas dictorum locorum Sancte Crucis et de Fontanesio. esse, pertinere ad dictum dominum nostrum Magalonensem episcopum pleno jure et in solidum; et in dictis locis et parrochiis, et in quolibet ipsorum locorum, ipsum dominum episcopum habere et debere habere merum et mixtum imperium cum districtu; et ideo predictus serviens regius, in predictis locis et supra designatis, posuit seu apponi fecit et jussit ibidem presentialiter, ad requisitionem dicti procuratoris dicti domini episcopi, baculos seu penuncellos regios positos et infixos in virgis seu baculis fusteis, in altum supra terram apparentibus, in quolibet ipsorum locorum circa per unam cannam.

Et dictos baculos seu penuncellos, in dictis locis, dictus serviens, ut dictum est, posuit in presentia mei notarii et et testium infrascriptorum, ad conservationem et tuitionem

juris et jurisdictionis, meri et mixti imperii, que in dictis locis et quolibet eorum, ac etiam in dictis parrochiis et qualibet earum, habebat et habere debite debebat dominus episcopus Magalonensis memoratus pro castro suo Montisferrandi vel alias quoquo modo.

Acta fuerunt hec in locis superius nominatis, in presentia et testimonio Bernardi Brugerie, Andree Bruguerie mansi de Caireto dicte parrochie, Poncii Morgue, Jacobi de Viridario, Guillelmi Roca, Petri Dalphe, Amalrici de Gitiri servientis curie dicti castri Montisferrandi, et mei Berengarii Arnaudi, notarii publici in dicta Valle Montisferrandi pro dicto domino nostro Magalonensi episcopo, qui vocatus, requisitus et rogatus a dicto procuratore predicti domini nostri Magalonensis episcopi, et de mandato ipsius et prefati servientis regii, de predictis hoc presens et publicum instrumentum et aliud idem continens scripsi et confeci et signo meo signavi.

(Reg. A, fol. 295 r°).

MDCC, — 14 juillet 1335

Philippe de Valois ordonne de laisser l'évêque exercer sa juridiction sur les monnayeurs de Melgueil.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri et Nemausi, aut ejus locum tenenti, salutem.

Sua nobis spiscopus Magalonensis, comes Melgorii, conquestione monstravit quod, cum ipse solus et in solidum existens dominus Melgorii, et illic habens omnimodam justitiam, sit et ejus predecessores ab antiquo fuerint in possessione, vel quasi, exercendi civiliter et criminaliter suam justitiam in omnes et singulos tam nostros quam alios monetarios et operarios inibi comorantes, licet nostram apud Montempessulanum aut alibi interdum cudant monetam, delinquentes in jurisdictione ipsius episcopi, et compellendi

eosdem ad contribuendum talliis et collectis communibus cum aliis habitatoribus dicti castri, sicut et alios incolas ibidem habitantes, vos et alii officiales nostri vestre senescallie, quorumdam pretextu privilegiorum regiorum et confirmationis eorum, tacito de dicta possessione monetariis regni nostri generaliter concessorum, continentium quod alibi quam coram suis prepositis aut magistris non teneantur, preterquam in homicidii, raptus et incendii casibus, respondere, dictum episcopum seu ejus gentes, quominus dictos monetarios et operarios justiciare valeant et compellere ad contributionem predictam, turbare et impedire nitimini, ut dicitur, indebite et injuste;

Ipsique monetarii et operarii diversimode se nituntur eximere, pretextu dictorum privilegiorum surreptitiorum et confirmationis eorum, a jurisdictione dicti episcopi et curialium suorum temporalium, preterquam in dictis tribus casibus, et a contributione predicta, sic turbando ipsum episcopum in sua possessione predicta, ut dicitur, minus juste.

Cum igitur non sit nostre intentionis quod, propter aliqua privilegia surreptitia seu confirmationem eorum, dictus episcopus in possessione predicta turbetur, mandamus vobis si, vocatis evocandis, summarie et de plano vobis constiterit de possessione predicta, et quod, in ipsis privilegiis aut eorum confirmationibus, tacitum fuerit de eadem, dictum episcopum, amoto impedimento quolibet, manuteneatis in illo, non obstantibus dictis privilegiis et litteris aliis quibuscumque, de presentibus tacito vel alias surrepticie impetratis in contrarium vel etiam impetrandis, taliter id acturi quod idem episcopus ad nos redire super hoc alterius non cogatur.

Datum Parisius, XIIII die julii, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quinto.

(Reg. F, fol. 180 v°).

MDCCI. — 27 juillet 1335

Le sénéchal de Beaucaire place garnison sur les biens de l'évêque à Montpellier; protestation de l'official.

Anno Dominice Incarnationis M° III° tricesimo quinto, domino Philippo Dei gratia Francorum rege regnante, et vicesima septima die julii, noverint universi quod Budus Audeberti, subvicarius regius Montispessulani, et Rostagnus Thori de Nemauso, comissarii ad infrascripta deputati per litteras suas infra insertas, constituti in presentia venerabilis viri domini Petri de Verneda, officialis Magalonensis, exhibuerunt michi, notario infrascripto, in sui presentia dicti domini officialis, quasdam patentes litteras venerabilis viri domini Stephani de Cabanis, legum professoris, judicis criminum senescallie Bellicadri et Nemausi, ac comissarii ad infrascripta deputati, ac etiam legi fecit per me, notarium infrascriptum.

Quarum tenor talis est:

Stephanus de Cabanis, legum doctor, judex criminum senescallie Bellicadri et Nemausi, ac comissarius ad infrascripta deputatus, subvicario regio Montispessulani, et Rostagno Thori ac Petro de *Mayres*, servientibus regiis Montispessulani, ac eorum cuilibet seu eorum alteri, salutem.

Clamor populi et regis gentium assertio auribus nostris et curie domini senescalli insonuit, quod officialis Nemausi, sua aut cujus noscitur auctoritate suffultus, fingens quendam publicum homicidam de homicidiis pluribus vel ut alter (*sic*) assarsinis et maleficiis horribilibus irretitum, et de hiis in curia domini senescalli predicta convictum ac proprio ore, absque via et violentia tormentorum confessum, ac demum per eandem curiam executioni ultimi supplicii, exigente justitia, traditum et qui, aliis pro murtris condempnatus, a furcis evaserat.

Post quam evasione[m] plura homicidia, corruptus peccunia, et alia nephanda et [h]orribilia crimina impetravit;

Quem dicebat fore clericum, licet habitus et tonsura clericales carentia ipsum prophanum hominem negarent clericum, ymo potius laycum exhibeant patenter;

Hujus executionis pretextu, gentes regias, et curie dicti domini senescalli et vicarie regie Nemausi excommunicationum sententiis de consensu, consilio et auxilio episcoporum Magalonensis et Uticensis, et officialium, vicariorum ipsorum episcoporum, prepositorum et aliorum beneficiatorum in episcopatibus supradictis fecit palam et publice innodari;

Que redundant nedum injuriis (= in juris) injuriam, ymo potius in offensam domini nostri regis, in cujus brachio sancta mater Ecclesia militat, et dominationis et potestatis ejusdem, sueque jurisdictionis, et curialium suorum seu gentium predictarum, et totius populi notabile detrimentum, et que procedunt contra privilegia regia et statuta edita contra publicos homicidas;

Et ipso domino rege irrequisito et juris ordine [non] servato, civitatem Nemausi, domini nostri regis propriam, sub[j]ici fecit publico interdicto, unde ex hoc fidelibus audiendi divina sint prohibita, et facultas egrotantibus sacramenta, et decedentibus ecclesiastica fuit sepultura negata, ymo, quod est fortius, ex fetoribus fumerum (= funerum ?), et alias parata fuerunt scandala, et detrimentum miserabile animabus et corporibus allatura;

Et requisito dicto domino officiali Nemausi per gentes regias primitus, et demum requisito domino auditore domini nostri ipse (*sic*) per dominos majorem judicem, advocatum et procuratorem regios dicte senescallie legitime hujusmodi revocarent excommunicationes et processus, hoc facere recusarint:

Cumque premissa tam enorm[i]a et exempli perniciosa, ac domino nostro regi et ejus jurisdictioni, curie et curialibus suis prejudicialia quamplurimum et dampnosa, celeri indigeant remedio et nequeant amplius longe sub conniventia tollerari;

Eapropter virtute commissionis nostre, per dominum locum tenentem domini senescalli dicte senescallie nobis facte, cujus tenor talis est:

Robertus de Pomayo miles, castellanus et vicarius Bellicadri, ac locum tenens nobilis et potentis viri domini senescalli Bellicadri et Nemausi, venerabili viro domino Stephano de Cabanis legum doctori, judici criminum dicte senescallie, salutem et dilectionem.

Ex relatu nonnullorum officialium de Nemauso regiorum, noviter intelleximus, quod auditor Summi Pontificis per suas litteras mandavit dominis episcopis Nemausi, Ucessie et Magalone vos et quamplurimos officiales regios Nemausi excommunicationis vinculo innodari, et totam villam Nemausi poni in interdicto, quamquam interdictione hujusmodi per tempus aliquod posuerit in suspenso, ex eo videlicet quod Poncium de Valmalo, ad suspendendum in furcis Nemausi pro suis demeritis dicimini judicasse, cum ipsius Poncii punitio et correctio ad curiam regiam Nemausi seu dicti domini senescalli, prout intelleximus, solum et in solidum pertineret, non autem ad curiam spiritualem;

Et ita dicta excommunationis sententia fuit tota indebite et voluntarie, prout fertur, contra predictos regios officiales.

Que predicta cedunt in contemptum et vituperium domini nostri regis ac jurisdictionis sue maximam lesionem.

Verum, cum nostra intersit jura regia, quanto poterimus, deffensare, idcirco vobis, de cujus industria et solita diligentia plenarie confidentes; tenore presentium, in quantum de jure possumus et non ultra, committimus et mandamus, quatenus, prout hactenus in senescallia Bellicadri super talibus et similibus est fore (= fieri) consuetum, de tali remedio celeri super revocatione dictarum excommunicationis et interdictionis provideatis pro honore culminis regii ejusque juris et jurisdictionis, per vos salubriter sit provisum;

Ab omnibus enim nobis subditis de dicta senescallia, vo-

bis in premissis et ea tangentibus pareri volumus et mandamus, ac prestari consilium et favorem.

Datum Bellicadri, die XXV julii, anno Domini M° IIIc XXXV.

Vobis et vestrum cuilibet precipimus et mandamus, quatenus, apud loca necessaria accedentes, ad bona temporalia ipsius Magalonensis episcopi, necnon et prepositi, et Capituli et canonicorum Magalonensis Ecclesie manum [regiam] extendatis;

Et, adhibitis vobiscum servientibus, notariis et aliis comestoribus, quantum expedierit, in garnisione eorum permaneatis cum adhibendis predictis:

Et ipsa bona in et sub dicta manu regia capiatis et teneatis, faciendo fieri inventarium eorumdem, tamdiu et donec per vexationis oportune remedium inclinentur ad resumendum intelligentiam sui in hac parte tanti cognoscendi reatus, aut donec aliud receperitis in mandatis;

Et taliter ea bona custodiri faciatis, quod, cum locus affuerit de eisdem [reddendis], reddere valeatis rationem.

De dictis vero bonis, vobis et aliis per vos deputandis aut exhibendis satisfieri facientes de salario moderate, in predictis procedendo et providendo honori et indempnitati regiis in hac parte, ut [in] talibus et similibus est fieri consuetum, et juxta litterarum dicte nostre comissionis tenorem, et adeo et taliter quod jurisdictio regia et temporalis per curiam spiritualem ledi aut minui non valeat: et ad finem quod prenominate persone ecclesiastice predictos processus et excommunicationes revocent et revocari faciant cum effectu, prout de facto processerunt, et etiam ut talia de cetero indebite facere non prorumpant;

Mandantes omnibus dicte senescallie subditis, ut vobis et dictis adhibendis in premissis et ea tangentibus pareant efficaciter et intendant.

Datum Nemausi, die XXVI julii, anno Domini M° IIIc tricesimo quinto.

Quibus litteris perlectis, dictus subvicarius et Rostagnus Thori, comissarii predicti, vigore et virtute dictarum litterarum miserunt se et posuerunt in garnisione una cum Johanne Mirabellis et Bndo Fornerii, Ferroto de Dicho, servientibus regiis, in et super omnibus bonis temporalibus dicti domini episcopi Magalonensis, que habet in villa Montispessulani;

Et nichilominus dicta bona temporalia, quecumque sint in dicta villa, dicti domini episcopi ad manum regiam ceperunt, miserunt et posuerunt, et de predictis petierunt sibi fieri per me notarium infrascriptum publicum instrumentum.

Et dictus dominus officialis dixit quod ipse, pro se et jurisdictione sua spirituali et alia quacumque quam ipse habeat, et pro domino episcopo et suis gentibus, quathinus contra dictum dominum episcopum Magalonensem et gentes suas, et bona sua spiritualia et temporalia, et alia quecumque jura facient et facere possunt, non consentiit, sed quantum potest, nominibus quibus supra, contradixit;

Protestans contra dictum dominum Rotbertum de Pomayo, militem et vicarium Bellicadri, qui se dicit locum tenentem dicti domini senescalli Bellicadri et Nemausi, et dictum dominum Stephanum de Cabanis, et dictum subvicarium, Rostagnum Thori, et Johannem Mirabellis, Bndum Fornerii et Petrum [de] Dicho servientes regios, appositos per dictos subvicarium et Rostagnum, qui venisse se dicunt ad premissa ex parte dictorum dominorum, qui se dicit locum tenentem dicti domini senescalli, et domini Stephani de Cabanis judicis criminum supradicti, et contra eorum bona, quathinus dictus dominus episcopus, et jura sua et gentes sue invenirentur dampnificari.

De et pro quibus dictus dominus officialis pro se et suo officio, et sua officialitate, et pro dicto domino episcopo, bonis et juribus, intendit habere recursum et ad dictum dominum regem, seu ad dictum dominum papam, alium seu alios de quibus sibi magis videbitur expedire:

Protestatur etiam contra omnes premissas personas et eorum bona, de penis appositis a canone vel a lege, contra occupantes et perturbantes libertates ecclesiasticas, concessas universali Ecclesie et Ecclesie Magalonensi a jure communi et privilegio speciali a Summis Pontificibus, seu a regibus (= legibus) dominorum regum Francorum seu-aliorum quorumcumque.

Adhiciens dominum nostrum Magalonensem episcopum et gentes suas seu dictum dominum officialem non dedisse consensum et consilium, auxilium ad id quod dictus dominus Stephanus de Pinu excommunicaret dictum dominum Stephanum de Cabanis et alios regios curiales si excommunicati reperiantur.

Adhiciens se etiam nunquam excommunicasse nec excommunicare fecisse dictum dominum Stephanum de Cabanis nec alios curiales regios, occasione premissorum, in dictis litteris dicti domini Stephani de Cabanis contentorum.

Dicens insuper quod temporalitas dicti domini episcopi, juxta statuta regia, capi non potest nec debet sine expresso mandato domini nostri regis. de quibus statutis paratus est, et facit etiam promptam fidem de presenti per litteras regias, inter cetera clausulas inferius contentas continentes, et etiam ubi de mandato domini nostri regis fieret captio dicte temporalitatis in casu licito, qui tamen non iminet nec yminere potest de presenti, nec yminere poterit, dante Domino, in futurum; nec potest nec debet poni, nisi unus serviens in uno loco, ut apparet per dicta statuta, quorum etiam quoad hoc tenor inferius est insertus:

Protestans contra dictos servientes, licet se dicant executores, si remaneant in bonis seu garnisione dicti domini episcopi contra statuta regia et mandata.

De quibus petiit sibi fieri unum vel plura instrumenta publica.

Cui responsioni facte dicti subvicarius et Rostagnus Thori, comissarii et inventarii predicti non consentierunt, si et in quantum juri regio et eorum comissioni prejudicare posset;

Et nichilominus miserunt et posuerunt ut supra:

Petentes et requirentes de premissis sibi fieri publicum instrumentum seu publica instrumenta per me notarium infrascriptum.

Tenores vero dictorum statutorum et mandatorum regiorum subsequuntur.

Item volumus quod, si mandaverimus aut preceperimus bona alicujus prelati, seu alterius persone ecclesiastice, vel clerici clericaliter tamen viventis, capi seu ad manum nostram poni, quod, virtute predicti mandati seu precepti nostri, bona eorum recte mobilia non capiantur, saisiantur seu ad manum nostram ponantur; neque domus eorum discooperiantur, seu etiam destruantur: nec volumus quod, in casu isto, gentes nostre de bonis ipsorum capiant, saisiant vel arrestent ultra quantitatem emende, pro qua dicta bona mandabimus capi, saisiri vel arrestari.

Item volumus quod dicti servientes nostri moderatum salarium accipiant, videlicet serviens eques tres solidos in die, et pedes decem et octo denarios, quando exibit villam, monete currentis, et plus non accipiant in die pro salario suo.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, universis presentes litteras inspecturis, salutem.

Notum facimus quod nos archiepiscopi *etc., ut supra, T. IV, p. 225.*

Karolus, Dei gratia *etc., ut supra. T. IV, p. 697.*

Raimundus de Languysello miles, Albasii dominus, locum tenens domini senescalli Bellicadri et Nemausi, rectori regio Montispessulani vel ejus locum tenenti, ceterisque justicia-

riis dicte senescallie, ad quos presentes littere pervenerint, salutem.

Litteras patentes regias recepimus sub hiis verbis:

Philippus Dei gratia *etc.*, *ut supra. T. V*, *p. 73.*

Quarum auctoritate litterarum regiarum, vobis et vestris (= vestrum) cuilibet mandamus, quatenus omnia et singula, contenta in dictis litteris regiis, faciatis et exequamini diligenter, juxta earum continentiam et tenorem.

Datum Nemausi, undecima die marcii, anno Domini M° III^{c} vicesimo nono.

Reddite litteras sigillatas.

Actum in domo officialatus aule episcopalis Montispessulani, in presentia et testimonio Guillelmi de Arssacio domicelli, domini Raymundi Boneti presbiteri, magistrorum Gilberti de Livrenano, Budi de Malafossa notariorum, qui de premissis debent etiam facere publicum seu publica instrumenta, et mei Jacobi Fabri, publici auctoritate regia notarii, qui. requisitus una cum predictis notariis, hec in notam recepi, scripsi et signo meo signavi consueto.

In testimonium vero quod dictus magister Jacobus Fabri sit notarius publicus regius, et ad ipsum, tanquam ad notarium publicum regium, publice habeatur recursus, et instrumentis confectis in judicio et extra plena fides adhibeatur, nos, Johannes Ricardi jurisperitus, curie ordinarie regie Montispessulani judex, sigillum autenticum dicte curie huic presenti instrumento publico jussimus appendendum die prima augusti anno Domini M° III^{c} XXXV°.

(Reg. D, fol. 184 r°).

MDCCII. — 8 août 1335

Philippe de Valois informe le sénéchal de Beaucaire, que l'évêque lui a prêté hommage et fidélité.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri aut ejus locum tenenti, ceterisque justitiariis nostris, salutem.

Significamus vobis quod dilectus et fidelis noster Pictavinus, episcopus Magalonensis, recognitionem nobis fecit, et juramentum fidelitatis nobis prestitit, quod nobis prestare tenebatur, prout predecessores sui regibus Francie, predecessoribus nostris, prestare consueverunt, et sub forma in litteris contentis;

Quarum tenor talis est.

Karolus Dei gratia *etc, ut supra*, T. IV, p. 587.

Cujus modi recognitionem et juramentum recepimus ab eodem.

Quecirca mandamus vobis et vestrum cuilibet, ut ad eum pertinuerit, quatenus dictum episcopum, occasione dicti juramenti et recognitionis, nobis per ipsum non prestiti, nullatenus molestetis. et, si quid de suo captum sit propter hoc vel saysitum, id sibi reddi et liberari, visis presentibus, faciatis.

Datum Parisius, octava die augusti, anno Domini millesimo CCC^mo tricesimo quinto.

(Reg. E, fol. 65 r° et B, 73 v°).

MDCCIII. — 23 septembre 1335

Apposition des panonceaux royaux, en signe de sauvegarde du roi, sur le tènement de Puechagut.

Anno Dominice Incarnationis M° CCC° XXXV, scilicet XXIII die septembris, domino Philippo rege Francorum regnante, noverint universi quod, in mei notarii et testium infra scriptorum presentia, discretus vir magister Petrus Helie jurisperitus, procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Pictavini, Dei gratia Magalonensis episcopi, domini de Terrallo, constitutus in carreria publica qua itur de ecclesia dicta Beate Marie de *la Bela* versus pontem de Veyruna, prope dictum pontem, in quodam trivio quo progreditur a dicta carreria versus Terrallum, presentavit Johanni Castanerii, servienti regio, ibidem presenti, et qui ibidem, ad instantiam dicti procuratoris, devenisse dicebatur, quasdam patentes litteras, sigillo senescallie Bellicadri, ut apparebat, prima facie sigillatas, tenorem qui sequitur continentes:

Petrus Maurelli, domini regis clericus, judex major et locum tenens domini senescalli Bellicadri et Nemausi, Jacobo Galli, Petro *Frandres*, Johanni Castanerii, Raimundo de Sancto Ylari, Petro de Lodova, Guillelmo Raimundi, Raimundo Deodati, Raimundo de Muris, servientibus regiis, et eorum cuilibet in solidum, salutem.

Litteras, vobis seu alteri vestrum per predecessorem dicti domini senescalli directas, vidimus, tenorem qui sequitur continentes:

Hugo Quiereti, miles domini nostri regis, senescallus Bellicadri et Nemausi, Jacobo Galli, Guillelmo Raimundi et

Johanni Castanherii, servientibus regiis, et eorum cuilibet, salutem.

Litteras regias recepimus sub hiis verbis:

Karolus, Dei gratia *etc.*, *ut supra*, *T. IV*, *p. 602*.

Karolus, Dei gratia *etc.*, *ut supra*, *T. IV*, *p. 600*.

Quarum auctoritate vobis et vestrum cuilibet precipimus et mandamus, quatenus, quotiens expedierit et per gentes dicti domini episcopi et alias quarum intersit, fueritis requisiti, contenta in predictis litteris faciatis et exequamini diligenter, juxta ipsarum litterarum seriem et tenorem.

De hiis vero que cause cognitionem exigunt, vos nullathenus intromittatis.

Datum in Montepessulano, sub sigillo nostro in absentia sigilli nostre senescallie, die XXIX decembris anno Domini M° CCC° XXX°.

Quarum litterarum auctoritate, prout alias mandatum extitit per eosdem, de iterato vobis et vestrum cuilibet precipimus et mandamus, et, si opus fuerit, comittentes, quatenus omnia et singula, in dictis litteris contenta, faciatis, compleatis et exequamini diligenter juxta ipsarum litterarum seriem et tenorem.

Datum in Montepessulano, die X februarii, anno Domini M° CCC° XXXIIII^to^.

Quibus litteris presentatis, dixit quod ipse verisimile dubitabat et timebat injuriam dicto domino episcopo et juri suo, quod habet super mero et mixto imperio ac jure depascendi animalia sua in quodam territorio vocato Podium acuti, confrontatum cum carreria supradicta ex parte Terralli, per bajulum Cellenove abbatis Aniane.

Quare requisivit dictum servientem, ut ipsum, procuratorio nomine dicti domini episcopi, et alias gentes ipsius domini

episcopi ac animalia teneat et deffendat in pocessione jurium predictorum ab injuriis et violentiis quorumcumque.

Et quod dictum locum de Podio accuto, pro conservatione juris dicti domini episcopi et Ecclesie sue ponat sub salvagardia dicti domini nostri regis specialiter et expresse, quamvis generaliter positus fuerit per dominum nostrum regem, et baculos seu penuncellos regios ibidem appendat in signum salvagardie supradicte.

Presentans ad cauthelam dicto servienti, et ad ipsum informandum de jure dicti domini episcopi, in testes Petrum de Ecclesia, Petrum Duranti, Symonem Raynaudi, Johannem Bosqui, Guillelmum Raynaudi Sancti Johannis de Vedatio, quos petiit recipi et examinari ad probandum de jure dicti domini episcopi.

Et dictus serviens, visis et auditis dictis litteris, obtulit se contenta in eis cum reverentia, quantum fuerit, ad implere;

Et consequenter volens se informare de jure domini Magalonensi episcopi supradicti, recepit in testes predictos, sibi superius presentatos.

Qui, jurati ad sancta quatuor Dei euvangelia puram et meram dicere veritatem, diligenter per dictum servientem singulariter et sigillatim interrogati, dixerunt et deposuerunt suo juramento.

Videlicet dictus Petrus de Ecclesia se vidisse, a quinquaginta annis citra, animalia tam grossa quam minuta dicti domini episcopi, depascentia in dicto territorio, et gentes dicti domini episcopi ea ibidem custodientes.

Et ibidem quasdam furchas patibulares, erectas nomine dicti domini episcopi, que nuper propter vetustatem corruisse dicuntur, palam et publice, pacifice et quiete.

Item dictus Petrus Duranti idem dixit et deposuit in effectu a XL annis citra.

Item Symon Raynaudi dixit et deposuit idem in omnibus

et per omnia in effectu ut primus testis a XXXVe annis citra.

Item Johannes Bosqui et Guillelmus Raynaudi dixerunt. suo juramento, idem in omnibus et per omnia ut primus testis, a XXV annis citra.

Item dictus Johannes Raynaudi idem dixit et deposuit in omnibus et per omnia in effectu ut primus testis, a XXX annis citra.

Quibus peractis, dictus serviens, ad conservationem juris et jurisdictionis dicti domini episcopi et Ecclesie sue dumtaxat, predictum territorium de Podio acuto nominatim et expresse, in quantum potuit, juxta commissionem sibi factam posuit et positum esse voluit, ac declaravit sub protectione et salvagardia domini nostri regis; et in signum dicte salvagardie, circum circa dictum territorium et infra illud, appendit penuncellos regios, videlicet prope dictum pontem de Veyruna, in quodam heremo, unum.

Item, subtus verticem dicti Podii accuti, juxta carreriam qua itur de ecclesia Beate Marie de *la Bela* versus predictum pontem de Veyruna, in quodam campo, de subtus teuleriam que ibi est ex parte dicti pontis, alium penuncellum.

Item, prope crucem, dictam de Podio acuto, juxta quadrivium quo itur de dicto loco versus Terrallum, infra dictum territorium, alium penuncellum.

Acta fuerunt hec in dictis locis, testibus presentibus domino Raimundo Ycherii presbitero de Tesano Bitterrensis diocesis, Stephano Costaroni de Ucessia, et me notario infra scripto.

Postque, quasi incontinenti, dictus serviens, ad requisitionem dicti procuratoris, posuit alium penuncellum infra dictum territorium, in ingressu rivi Columbi ex parte dicti pontis, testibus presentibus Philippo de Magalatio, Raimundo Cambonis de Olargio domicellis.

Et deinde appendit alium penuncellum infra dictum territorium, ex altera parte, juxta dictum rivum Columbi, et juxta carreriam de Fabricis nominatam, testibus presentibus vocatis Guillelmo Christofori, Raimundo Raynaudi de Villamagna, Raimundo Alarii de Balasuco, et me notario infrascripto.

Postque, anno quo supra, scilicet XXIIII[ta] die septembris, dictus Johannes Castanherii, serviens predictus, ad requisitionem dicti magistri Petri Helie, procuratoris predicti, dictam salvamgardiam et omnia infrascripta intimavit et publicavit, infra domum Cellenove domini abbatis Aniane, domino Guillelmo de *la Gleola*, presbitero ecclesie dicte domus Cellenove, ibidem presenti, aliis gentibus dicti domini abbatis, absentibus a domo predicta, ut dicebatur.

Quibus dictus serviens dictam intimationem pro facta haberi voluit in personam dicti presbiteri.

Quibus dictus presbiter, cum diceret se non intromittere de negociis dicte domus, sed solum missas celebrare, non consentiit in quantum juri dicti domini abbatis seu ejus gentibus posset prejudicium generare, cum gentes et familia ipsius domini abbatis sunt parati, ut dixit, recolligere familiam dicti domini episcopi, et obedire eidem in hiis que tenebuntur.

Acta fuerunt hec in dicta domo Cellenove, presentibus testibus domino Raimundo Ycherii presbitero de Thesano, Stephano Costarini de Ucessia, Bndo Garrigas, Jacobo Garrigas, Johanne Saurini de Montepessulano, et me notario infrascripto.

Postque, anno quo supra, scilicet quarta die octobris, cum nobilis vir Franciscus de Castaneto, vicarius Melgorii et Marcherose pro dicto domino episcopo, diceretur fecisse reerigi quasdam furchas patibulares in vertice dicti Podii ac-

cuti. ubi furche antique, et que coruisse propter vetustatem dicebantur, dictus vicarius, juxta dictas furchas existens, requisivit dictum Johannem Castanherii, servientem predictum, ibidem presentem, ut dictum vicarium et dictum dominum episçopum tueretur et deffenderet in pocessione furcharum predictarum;

Et nichilominus, in signum dicte salvegardie, affigeret baculum regium in eisdem, juxta mandatum sibi factum per litteras suprascriptas.

Et dictus serviens obtulit se fore paratum contenta in dictis litteris adimplere:

Et, pro conservatione juris dicti domini episcopi et in signum dicte salvegardie, affixit baculum regium, signis regiis signatum, in furchis predictis.

Acta fuerunt hec a proximo paragrapho citra in dicto Podio accuto prope dictas furçhas, testibus presentibus vocatis Raimundo Serilhani, Raimundo Othoni, Johanne Luposa, Bndo Sabaterii, Bndo Canalli, Bndo Garnerii, Johanne Rotlandi, Stephano Pepini de Villanova et me notario infrascripto.

Postque eadem die, prope castrum de Terrallo dicti domini episcopi, prefatus serviens, ad requisitionem dicti magistri Petri Helie, procuratoris dicti domini episcopi, dictam salvamgardiam intimavit et publicavit Berengario Carrade, bajulo Cellenove dicti domini abbatis Aniane, ibidem presenti.

Qui quidem bajulus dixit se paratum recipere et bene tractare gentes dicti domini Magalonensis episcopi, non consentiens tamen dicte intimationi, in quantum posset prejudicare juri dicti domini abbatis:

Petens nichilominus copiam dictarum litterarum sibi dari.

Que fuit sibi concessa per dictum servientem.

Acta fuerunt hec prope dictum locum de Terrallo, testibus

presentibus Guillelmo de Sauseto domicello, magistro Pontio Lemosini notario, Bernardo Pontii et Raimundo Seralbani, et me Jacobo Fabri, publico auctoritate regia notario, qui predictis presens interfui, et requisitus hec omnia in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. B, fol. 145 r°).

MDCCIV. — 2 octobre 1335

Le sénéchal de Beaucaire fait enlever les fourches patibulaires de l'évêque, au tènement de Puechagut.

Noverint universi quod anno Dominice Incarnationis millesimo CCC° XXXV°, domino Philippo, Dei gratia Francorum rege regnante, et die II mensis octobris, nobilis vir dominus Hugo de Carsano miles, rector regius Montispessulani, vigore litterarum infrascriptarum, precepit Colradino de Gratan, Johanni Mirabelli, Petro de Fraxino, et Raymundo Guillelmi, servientibus regiis, ut furchas erectas per gentes domini Magalonensis episcopi in loco vocato *Puech agut* amoverent et amoveri et dirui facerent juxta continentiam et tenorem dictarum litterarum, quarum tenor talis est:

Philippus de Pria miles, dominus de Molinis in Bituria, et miles domini nostri Francorum regis, et pro eodem senescallus in senescallia Bellicadri et Nemausi, rectori regio Montispessulani vel ejus locum tenenti, salutem.

Sicut alias per nos ordinatum et vobis, dicto rectori, ac vestro locum tenenti litteratorie mandatum extitit, quod quasdam furcas patibulares, noviter in sevo sive loco vocato de Podio acuto, de prope locum de Terrallo erectas per gentes et curiales domini Magalonensis episcopi, non obstanti-

bus manu et salvagardia regis ibidem appositis, amoveretis et dirueretis, amoveri seu dirui faceretis, quod facere nondum curastis, iterato nichiclominus vobis districte precipiendo, mandamus et comittimus, quatenus, visis presentibus, furchas ipsas de dicto loco amoveri et dirui faciatis absque alterius expectatione mandati, sic et taliter quod non possitis de contemptu et inhobedientia aliquathenus [reprehendi].

Datum in Montepessulano, die prima mensis novembris, (*sic*), anno Domini M° CCC° XXXV°.

Reddite litteras sigillatas.

Actum in Montepessulano, ante domum habitationis dicti rectoris; et dicti mandati, per dictum dominum rectorem facti, fuerunt testes magister Raimundus Luche notarius, Penotus Jacobi valletus dicti domini rectoris, et ego Egidius Johannis, notarius publicus regius, qui, mandato dicti domini rectoris et requisitus per dictum Colradinum, hec in notam recepi.

Post hec, quasi incontinenti, dicti servientes, dictum mandatum in se suscipientes, accesserunt, una mecum dicto notario et dicto magistro Raimundo Luche notario, ad dictum locum, dictum *Puechagut*, in quo dicte furche erant erecte.

Et dicti servientes, vigore mandati predicti, ibidem dictas furchas diruerunt, detraxerunt ac etiam amoverunt.

De quibus Berengarius Carrada, bajulus Cellenove, ac Estol Adermardi, vicarius Aniane, ac etiam dominus Deodatus de Andusia presbiter, ibidem presentes, petierunt, pro jure domini abbatis, sibi fieri publicum instrumentum, necnon servientes predicti, per me notarium infrascriptum.

Actum a paragrapho citra in dicto loco Podii acuti, in presentia et testimonio Johannis Siozalli clerici, Aymerici Faralli, Petri de *la Pendeyra*, Stephani Columberii de Aniana, Johannis Riom dicti loci Aniane, magistri Raimundi

Luchoni notarii. et plurium aliorum, et mei Egidii Johannis notarii publici regii Montispessulani, qui, requisitus et rogatus, hec omnia in notam recepi et sumpsi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. B, fol. 147 r°).

MDCCV. — 24 septembre 1335

Apposition des panonceaux royaux à Celleneuve et à Puechagut en faveur du monastère d'Aniane.

Noverint universi quod anno Dominice Incarnationis M° CCC° XXXV°, et die XXIIII mensis septembris, illustrissimo principe domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, receptis per Petrum Gontardi, servientem regium Montispessulani, quibusdam patentibus litteris, in pergameno scriptis, venerabilis viri domini Johannis Ricardi jurisperiti, judicis regii Montispessulani, Aquarum Mortuarum et Sumidrii, commissarii ad infrascripta a magestate regia deputati, sigillatis impendenti sigillo ejusdem domini judicis et comissarii:

Quarum litterarum tenor talis est:

Johannes Ricardi jurisperitus, judex regius Montispessulani, Sumidrii et Aquarum Mortuarum, gardiator specialis domini abbatis et conventus Aniane membrorumque, bonorum ac familiarium suorum, Petro de Lodova, servienti regio Montispessulani, ceterisque servientibus regiis dicti loci, salutem et dilectionem.

Litteras patentes regias nos recepisse noveritis, formam que sequitur continentes:

Karolus, Dei gratia *etc.*, *ut supra. T. IV, p. 583.*

Verum, cum dictus dominus abbas et conventus Aniane timeant sibi injuriari in territorio Cellenove, et aliis locis ac membris monasterii supradicti, ut assertum extitit coram nobis, idcirco, auctoritate litterarum regiarum predictarum, vestrum cuilibet precipimus et mandamus, qualenus personaliter accedentes ad dictum locum Cellenove et ad alia loca opportuna dicti domini abbatis, et dictum dominum abbatem et conventum Aniane, necnon membra, bona et familiam deffendatis ab injuriis, violentiis, novitatibus indebitis. oppressionibus, vi armorum et potentia quorumcumque;

Ponendo res inter eos et suos adversarios contentiosas ad manum regiam;

Assignantesque partibus, eo casu, diem seu dies super hiis contentiosis coram suo judice competenti;

Baculum seu baculos, et penuncellos regios ibidem in signum salvegardie regie apponatis;

In hiis enim seu tangentibus vobis comittimus vices nostras, donec eas duxerimus revocandas, cum fu[er]imus aliis negociis regiis occupati, propter que vacare non possimus ad predicta, quoad presens;

Et de predictis certificari volumus ac etiam intimari bajulum Montepessulani, necnon et locum tenentem in Montepessulano, et omnes alios curiales [et] officiales pro domino Majoricarum rege, ac dominum episcopum Magalonensem et suos curiales, et omnes alios justiciarios seu curiales, de quibus per dictum dominum abbatem seu ejus familiares fueritis requisiti, licet de dicta salvagardia gentes dicti domini Majoricarum regis, et dominus episcopus et gentes sue fuerint certificati.

De quibus etiam volumus fieri publicum instrumentum seu publica instrumenta per aliquem notarium nostrum regium.

Datum in Montepessulano, XVI die mensis augusti, anno Domini M° CCC° XXXV°.

In quorum testimonium his presentibus litteris sigillum nostrum duximus appendendum.

Dictus serviens regius, exequendo contenta in dictis litteris, accessit, una mecum Benneto de Lingonio, notario regio et curie regie Montispessulani jurato, ad locum Terralli dicti Magalonensis episcopi: ibique existens in presentia venerabilium virorum dominorum Pontii Aliberti presbiteri et Guillelmi Maseti diaconis, clavarii Terralli, Johannis Burgundi servientis dicti Terralli; idem serviens regius intimavit et notificavit eisdem et alie (=alii) familie domus dicti domini episcopi ibidem presenti, quod reverendus in Christo pater dominus abbas Aniane et conventus suus, et bona ac jura et eorum, et specialiter locus Cellenove cum omnibus juribus, pertinentiis et juridictionibus, membris, familiis et bonis suis, et dicti monasterii erant in speciali salvagardia regia domini nostri Francorum regis;

Verum, cum bajulus dicti loci de Terrallo ibidem non esset presens, cui dictus serviens regius intimare volebat et debebat dictam salvam gardiam regiam, requisitus per Berengarium Corrade, bajulum Cellenove pro dicto domino abbate Aniane, idem serviens regius protestatus fuit quod per ipsum non stabat quominus dictam salvam gardiam eidem bajulo Terralli intimaret in persona;

Tamen dixit dictus serviens regius quod dictam salvam gardiam regiam dicto bajulo Terralli familia domus deberet intimare et notificare, quia, per intimationem predictam, familie domus de Terrallo factam, intendebat eam intimatam fore dicto bajulo Terralli.

Qua intimatione facta, dictus serviens regius dixit et prenominate familie domus dicti domini episcopi commoranti Terrallo intimavit, notificavit quod ipse ad requisitionem Berengarii Carrade, bajulo Cellenove, posuerat et affixerat penuncellos regios in territorio Cellenove, prout inferius continetur:

Videlicet unum penuncellum regium in territorio Cellenove, in loco dicto *garda Bragahonier*; et alium penuncellum regium in territorio predicto Cellenove, in loco vocato Podium Accutum.

Quibus auditis et intellectis per dictam familiam dicti domini episcopi, prefati domini Pontius Audiberti presbiter. Guillelmus Massoti dyaconus, Johannes Burgondi serviens, quibus dicta salvagardia regia predicta fuerat intimata, dixerunt et protestati fuerunt quod dicta penuncellorum appositio erat injuste et indebite facta, cum in locis. in quibus dicti penuncelli asserebantur fuisse appositi per dictum servientem, dominus abbas Aniane nullam juridictionem haberet, sed dominus episcopus solus et in solidum haberet ibi altam et bassam juridictionem;

Et erat in pocessione paciffica depascendi cum animalibus suis in dicto territorio, ubi penuncelli regii asserebantur fuisse appositi per dictum regium servientem in prejudicium juris et jurisdictionis dicti domini episcopi, ut dixerunt.

Dicto bajulo Cellenove, ibidem presente, contrarium asserente et dicente quod loca, in quibus serviens regius predictus penuncellos posuerat, erant de territorio Cellenove et de juridictione ejusdem.

Et cum partes ad invicem de juridictione locorum, in quibus penuncelli regii fuerant appositi pro conservatione juris et jurisdictionis dicti domini abbatis Aniane, altercarent ad invicem, dictus serviens regius dicta duo loca contentiosa ad manum regiam cepit et posuit juxta formam, tenorem et continentiam litterarum predictarum.

Et bajulum Cellenove ibidem presentem, et bajulum Terralli vel ejus locum tenentem adjornavit ad diem crastinam in tertiis, ad comparendum in curia regia Montispessulani coram dicto domino Johanne Ricardi, judice regio Montispessulani, vel coram domino rectore regio dicti loci;

Inhibens ex parte regia ipsis partibus, ne in dictis locis contentiosis aliquid novi faciant, donec per predictos dominos judicem et rectorem, seu alterum eorum, esset cognitum quis in dictis duobus locis contentiosis potius jus haberet:

Petens dictus serviens regius de predictis sibi fieri publicum instrumentum.

Hec acta fuerunt in Terrallo, in domo episcopali; et horum fuerunt testes Raymundus de Maymone de Villamagna, Raimundus Lauterii clericus de Villamagna, Raimundus Caychani laborator de Montanhaco, et ego Brunetus de Lengonio, notarius regius supra et infra scriptus.

Item, eadem die, paulo ante predicta, serviens regius predictus, ad requisitionem bajuli Cellenove, posuit et affixit unum penuncellum regium in territorio Cellenove, ut dicebatur, in quodam loco dicto *garda Bragahonier*, qui confrontatur a parte Terralli cum itinere quo itur de Fabricis versus Montempessulanum, ab alia parte cum itinere quo itur recte de Terrallo versus Cellamnovam, et ab alia parte cum territorio Podii accuti. dicta proxime carreria in medio.

Item, eadem die, dictus serviens regius posuit et affixit alium penuncellum regium in loco dicto Podium accutum, territorii Cellenove. qui confrontatur ab una parte cum territorio gardie *Bragahonier*, carreria qua itur recte de Terrallo versus Cellamnovam in medio: et ab alia cum itinere quo itur de Fabricis versus Montempessulanum.

Et dictam penuncellorum appositionem dixit dictus serviens se fecisse ad conservationem juris dumtaxat domini abbatis Aniane, quod habet in dictis duobus territoriis;

Petens idem serviens regius de predictis sibi fieri publicum instrumentum.

Hec fuerunt acta in dictis duobus territoriis. et fuerunt horum testes a paragrapho citra Raimundus Amici boquerius de Montepessulano, Franciscus Sabe serviens Cellenove, et ego Brunetus de Lingonio, notarius auctoritate regia Montispessulani publicus, qui requisitus predicta in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc*.

(Reg. B, fol. 154 r°).

MDCCVI. — 17 octobre 1335

Les procureurs de l'évêque font constater l'érection de fourcehes patibulaires à Puechagut.

Anno Dominice Incarnationis M° CCC° XXXV°, scilicet XVII die octobris, inter meridiem et nonam, dicto domino Philippo rege Francorum regnante, noverint universi quod cum. dicta die. circa horam tertie, Philippus de Pria miles, senescallus Bellicadri et Nemausi, fuisset prope castrum de Terrallo, in locum vocatum Podium acculi, ubi erant erecte quedam furche fustee pro domino episcopo Magalonensi, et diceretur dictum dominum senescallum ordinasse et mandasse dictas furchas dirui, et ex hoc et aliis, magister Petrus Helie jurisperitus. procurator et procuratorio nomine reverendi in Christo patris domini Pictavini, Dei gratia Magalonensis episcopi, appellasset a dicto domino senescallo, cum instrumentis inde factis manu mei notarii infrascripti, et magistri Bt. Auricule notarii, ad dominum nostrum regem;

Post predictam appellationem et recessum dicti domini senescalli, discretus vir magister Guillelmus Clari jurisperitus, judex et procurator ac nomine procuratorio dicti domini episcopi, ad finem quod, si dictus dominus senescallus aliqua innovaret seu attemptaret post seu contra dictam appellationem, quod ante omnia revocarentur ad statum pristinum, et quod de predictis constare posset, hostendit michi notario et testibus infrascriptis dictas furchas adhuc erectas et plantatas:

Quas sic erectas et plantatas dicti testes, una mecum dicto notario infrascripto. diximus et respondimus. ut verum erat, dictas furchas ibidem videre plantatas et erectas.

De quibus dictus judex et procurator petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Acta fuerunt hec prope dictum Terrallum, presentibus testibus ad hec vocatis Petro Lemosini, Petro de Veyruna, Bndo Salvatoris, Stephano Martialis, Petro Livrani de Veyruna, Johanne de Fonte de Montepessulano, Bndo Augerii de Sancto Georgio, Symone Radulphi de Sancto Johanne de Vedatio, et pluribus aliis, et me Jacobo Fabri, publico auctoritate regia notario, qui requisitus hec in notam recepi.

Post hec anno quo supra, et die XVIII octobris, prefato domino Philippo rege Francorum regnante, cum dicte furche, in presentia mei notarii et testium infrascriptorum ad hec vocatorum, adhuc starent erecte et plantate, discretus vir magister Guillelmus Holanie jurisperitus, procurator et nomine procuratorio dicti domini episcopi, ad finem predictum et fines per dictum magistrum Guillelmum Clari, comprocuratorem suum, dictos, petiit per me notarium infrascriptum fieri publicum instrumentum, qualiter dicte furche adhuc ibi erant erecte et plantate.

Acta fuerunt hec in dicto podio, prope dictas furchas, a proximo paragrapho citra, testibus presentibus ad hec vocatis Guillelmo Massoti diacono de Alinis, Amalrico Amalrici de Tessano, Bndo Augerii de Sancto Georgio, Johanne de Fonte de Montepessulano, Paulo Danielis de Piniano, Guillelmo Turpini de Veyruna, et me Jacobo Fabri publico auctoritate regia notario, qui requisitus hec in notam recepi.

Post hec anno quo supra, et XIX die octobris, dictus magister Guillelmus Holanie, procurator et nomine procuratorio dicti domini episcopi, iterato hostendit dictas furchas michi notario et testibus infrascriptis, adhuc ibidem existentes erectas et plantatas, ad fines predictos:

Petens sibi fieri publicum instrumentum per me dictum notarium.

Acta fuerunt hec a proximo paragrapho citra, prope dictas furchas, presentibus testibus ad hec vocatis domino Rai-

mundo Ycherii presbitero, Johanne Galhardi de Pereto, Stephano de Ucecia, Johanne de Fonte, Petro Massoti, et me Jacobo Fabri, publico auctoritate regia notario, qui una cum dictis testibus, presens fui, et requisitus predicta omnia in notam recepi et facere (=feci) publicum instrumentum.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. B, fol. 147 v°).

MDCCVII. — 17 octobre 1335

Accusations portées à la cour du sénéchal contre l'évêque, qui a fait ériger et garder les fourches patibulaires à Puechagut.

Anno ab Incarnatione Domini M° CCC° XXXV, et die XVII mensis octobris, domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, pervenit ad audientiam curie nobilis et potentis viri domini Philippi de Pria militis, senescalli Bellicadri et Nemausi, insinuatione clamosa et valida, quod Franciscus de Castaneto domicellus, vicarius terre et temporalitatis reverendi in Christo patris domini Peytavini, Dei gratia Magalonensis episcopi, una cum Fortio de Bizano, domicello dicti domini episcopi, et aliis pluribus, tam familiaribus dicti domini episcopi quam aliis de terra et temporalitate dicti domini episcopi, numero L et plus, turba coadunata, deliberatione prehabita inter eos, tam eques quam pedes, ensibus, cultellis, bloqueriis, targiis, scutis, gonjonibus, platis, juppis, spilleriis, spilleriis, lanceis, telis, balistis, cappellis ferreis, et aliis diversorum armorum generibus armati, more hostili, sciente, mandante, sustinente et consentiente ac ratum et gratum habente dicto domino episcopo et aliis officiariis suis, contra bonum statum et tranquillitatem patrie, ac statuta regia super hoc edita temere veniendo vi, et clam vim publicam committendo, et salvamgardiam specialem, in qua est et fuit

tanto tempore de cujus memoria hominum in contrarium non existit, abbas et conventus monasterii Aniane, dicto domino episcopo et suis gentibus legitime intimatam, seu manum regiam temere violando, juraque et jurisdictionem regiam enervando et diminuendo in spretum et dedecus regie magestatis et curialium suorum;

Deum et justitiam non verentes, die mercurii nuperrime lapsa, intitulata V^a^ dies dicti mensis octobris, de nocte et hora suspecta, auctoritate sua propria, de Terrallo dicti domini episcopi ad quendam podinm dictum *Puechagut*, ad dictum abbatem et ejus monasterium cum omni tenemento ejusdem, dominio, laudimio, annuis censibus, usaticis, decimis et juridictione pertinentem, penuncellis seu baculis regiis ibidem palam et publice in signum dicte salvegardie seu manus regie appositionis, facte ad instantiam dictorum abbatis et conventus, existentibus, iverunt seu accesserunt.

Et furchas patibulares erexerunt ibidem in quadam vinea, et quandam funem sive cordam appenderunt in eis et palam apposuerunt, licet essent ibi, seu de prope, itinera seu alia loca patuosa, in quibus erigi potuissent sine dampno.

Baculumqe, dicti domini episcopi signis munitum, quod deterius est, appenderunt in eis, juridictione utendo in loco nbi nullam habebant nec habent juridictionem vel ressortum, magistratus officium nichilominus exercendo, et etiam dictam vineam propter hoc depopulaverunt et totaliter destruxerunt.

Item pervenit ad audientiam predictam, quod dicti malefactores, mala pejoribus cumulando, sciente, mandante, consentiente, ac ratum et gratum habente et sustinente dicto domino episcopo et officiariis suis predictis, volentes dictum locum juridictioni Terralli dicti domini episcopi accrescere, et eidem domino episcopo seu juribus suis dicti loci de Terrallo vi et armorum potentia apparare, cum revera scirent eundem ibidem nullum jus habere, cum dictis armis per se et alios, tam de die quam de nocte, more hostili et insidiarum, dictas furchas sic erectas et dictum locum custodierunt et custodire fecerunt.

Quibus custodibus precepit dictus vicarius, quod caperent quemcumque malefactorem in dicto tenemento, donec premissa pervenerunt notorie ad notitiam dicti domini senescalli.

Qui, denunciatis sibi premissis, ad dictum locum ex post X dies vel circa, cum prope dictum locum transiret a casu, personaliter accessit, et eosdem custodes, seu de eisdem numero XIII vel circa, videlicet Mondonum Baudo Villenove, Guillelmum Gitberti de Porssano, Bndum Rogesines, Andream Corderii, Guiraudum Treverii, Johannem Martini, Petrum Valdayroni, Bndum Blaquerii de Melgorio, servientem dicti domini episcopi, Guillelmum de Cruce de Baladuno, et Petrum Mulbec scutiferum, custodes (= custodientes), ut premittitur, palam et publice dictum locum, ubi erant dicte furche, et circumcirca easdem, et cum dictis armaturis personaliter adinvenerit:

Qui, eosdem arrestando, de dicto loco amoveri fecit, et eosdem, apud Montempessulanum in parte regia, sub dicto arresto transmisit.

Item quod dicti custodes, dicto domino episcopo, vicario et aliis officiariis scientibus, mandantibus, consentientibus et ratum et gratum habentibus, in eodem loco et circumcirca eundem, ad modum guerre fecerunt seu fecerant cum parahandis sive *amnaus*, magnis targis sive scutis dictis *mantels*, et dictis alis armis munitas (= muniti), ac si vellent totaliter debellare.

Quorum armorum dictus dominus senescallus ibidem plurima notorie adinvenerit, et per dictos custodes adinventos apud Montempessulanum, in dicta parte regia, cum alios non haberet portatores, in promptu portari voluit et mandavit.

Item quod dictus vicarius dictos custodes de die in diem visitabat, et visitavit, solus et associatus cum armis, quantum steterunt in custodia supradicta, et in visitatione hujus modi, una cum dicto Fortio de Bizano, per dictum dominum senescallum adinventi personaliter extiterunt, et ex predictis in parte Montispessulani regia arrestati.

Item quod dictus dominus episcopus, tanquam fautor premissorum, rata et grata habens premissa omnia et singula, per gentes suas de Terrallo custodibus et malefactoribus hujusmodi in alimentis seu victualibus providere totaliter faciebat et fecit, quantum fuerunt seu steterunt in custodia supradicta, et eos receptavit et receptare fecit in suo hospicio de Terrallo.

Item quod dictus dominus episcopus, ratione jurisdictionis quam habet in Terrallo et tenemento ejusdem, habebat tunc temporis, et adhuc habet alibi, in dicto tenemento, furchas patibulares erectas; quibus, licet dictum podium ratione jurisdictionis pertineret ad eum, quod revera non faciebat nec facit, juxta ordinationes regias, super hoc editas, debebat totaliter contentari, cum nemini sit licitum, preterquam fisco, juxta dictas ordinationes seu statuta, in eadem jurisdictione binas furchas habere.

Quapropter gravius delinquerat seu delinquit dictus dominus episcopus in predictis, contra dicta statuta seu ordinationes temere veniendo in spectum et dedecus dicte regie magestatis.

Item quod predicta omnia et singula sunt notoria, et de eisdem, in dictis locis de Terrallo et de Montepessulano, et aliis locis circumvicinis est publica vox et fama.

Et de predictis excessibus dictus dominus episcopus et ejus gentes sunt publice diffamati.

Unde, cum talia et similia etc.

(Reg. B, fol. 138 v° et B, 140 r°).

MDCCVIII. — 17 octobre 1335

Appel au roi contre le sénéchal, qui refuse de lever la main du roi sur les fourches patibulaires de Puechagut.

Anno Domini M° CCC° XXXV°, et die XVII mensis octobris, domino Philippo Dei gratia illustrissimo principe rege Francorum regnante, noverint universi et singuli, presentes pariter et futuri, quod existens et constitutus coram nobili et potenti viro domino Philippo de Pria, milite dicti domini nostri Francorum regis, et pro eodem senescallo in senescallia Bellicadri et Nemausi, magister Petrus Helie jurisperitus, procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Pictavini, Dei gratia episcopi Magalonensis, de prope locum de Terrallo; in loco vocato Podium acutum, juxta seu de prope quasdam furchas ibidem nudius erectas per gentes seu curiam dicti domini episcopi, ut dicebatur, reddidit idem procurator, nomine quo supra, in presentia Astulphi Aldardi domicelli, procuratoris domini abbatis Aniane, quandam papiri cedulam scriptam, dicens, proponens et probare intendens, ut in ea continetur.

Cujus tenor talis est:

Ad finem quod dominus Philippus de Pria miles, senescallus Bellicadri et Nemausi, gardiatorque episcopi et Ecclesie Magalonensis bonorum, jurium ac familiarium suorum, tuheatur et deffendat reverendum in Christo patrem, dominum Pictavinum, divina providentia Magalonensem episcopum, in pocessione et saysina, in qua idem dominus episcopus est et erat juste et licite ante et post tempus quo dictus dominus senescallus manum regiam in furchis infrascriptis dicitur posuisse, tenendi et habendi furchas patibulares, prope castrum de Terrallo dicti domini episcopi, in loco dicto Podium acutum;

Deffendatque, manuteneat et conservet in predictis et ab omnibus injuriis, violenciis, oppressionibus et potentia quorumcumque, et manum regiam, per ipsum de facto in dictis furchis appositam, amoveat de facto ad utilitatem domini episcopi supradicti:

Et inhibeat domino abbati Aniane, et gentibus suis et quibuscumque aliis personis, sub pena quam possent incurrere erga dominum nostrum regem, aut alia certa pena, ne dictum dominum episcopum seu gentes suas super predictis inquietare seu molestare presumant:

Ponit et probare intendit Petrus Helie jurisperitus, procurator et nomine procuratorio dicti domini episcopi, ut sequitur, ad fines predictos, et alium quemcumque finem sibi utilem, et non aliter, nec alio modo:

Primo ponit et probare intendit, quod dictus dominus episcopus est et sui predecessores fuerunt in pocessione et saysina habendi et tenendi furchas patibulares, erectas in dicto territorio de Podio acuto, per longo tempore retroacto.

Item ponit et probare intendit, quod furce que ibi sunt acthenus et fuerunt erecte, sunt et fuerunt erecte nomine dicti domini episcopi et predecessorum suorum.

Item ponit et probare intendit, quod hujusmodi furce ibidem erecte et que acthenus ibidem erecte fuerunt, habentur et habite fuerunt ac nominate domini Magalonensis episcopi et predecessorum suorum.

Item quod de predictis est vox et fama in loco de Terrallo et aliis locis circumvicinis.

Item ponit et probare intendit quod dictum territorium de Podio accuto, ubi sunt dicte furce, est scituatum ex parte Terralli infra dictam carreriam, qua itur a dicto ponte Veyrune usque ad rivum Columbi.

Item quod de predictis est vox et fama.

Petens idem procurator de predictis omnibus et singulis sibi fieri publicum instrumentum et publica instrumenta.

Dicens idem procurator, nomine quo supra, se fecisse citare. ad presentem diem et locum, virtute quarumdam litterarum, emanatarum a dicto domino senescallo, sigilloque regio dicte senescallie a tergo ipsarum, ut prima facie apparebat, ac etiam sigillo bajuli de Veyruna sigillatarum, testes nominatos in quadam papiri cedula scripta, prout de dicta citatione constat in retrocsriptione, facta a tergo dictarum litterarum.

Quarum quidem litterarum retrospectionis (= retroscriptionis et cedule, in qua nominati sunt dicti testes citati. tenores tales sunt:

Philippus de Pria, miles domini nostri regis, senescallus Bellicadri et Nemausi. dilectis sibi bajulis de Veyruna [et] Sancti Johannis de Vedatio, vel eorum loca tenentibus, salutem et dilectionem.

Vobis et vestrum cuilibet precipiendo mandamus, quatenus citetis et perhemptorie, prout fueritis requisiti, omnes et singulos testes, quos lator presentium vobis duxerit nominandos, et sub certa pena, ut, die crastina, hora prime, prope Terrallum in loco dicto Podium acculum compareant personaliter coram nobis, ad instantiam procuratoris domini Magalonensis episcopi, super quadam causa, super qua vult ipsos producere, perhibituros testimonium veritatis.

Nos enim in expensis satisfieri faciemus eisdem.

Rescribentes nobis in dorso presentium nomina testium citandorum et qui per vos citati fuerunt ad predicta.

Datum in Montepessulano, XVI die octobris anno Domini M° CCC° XXXV°.

Reddite litteras sigillatas.

Ego Petrus Lemosini, bajulus de Veyruna, contenta in presentibus litteris dicti domini senescalli adimplevi;

Et citavi nominatos in quadam papiri cedula: Stephanum Magistri, Guillelmum de Launaco, Guillelmum Amantii,

Poncium Symonis, P. Livrani, Stephanum Martialis, Bndum Livrani, B. Arman[n]i, Martinum Armanni, Johannem Praderii, P. Brinhola, B. Vilari, G. Devesii, P. Dalbi, P. Lemosini, P. de Veyruna de Veyrana, B. Devesii, B. Dalbi, Johannem Mercerii, dominum Johannem Dalbi presbiterum, dominum Raimundum Turpini presbiterum, G. Boneti, Johannem Mathei, P. de Podio, Johannem Clementis, P. Martini, alias Balan, R. Briandi servientem Veyrune, Poncium Boneti, B. Salvatoris, Jacobum Boneti, P. Amantii, Jo. de Podio, Johannem Cageta, Jacobum Ortolani, G. Raynaudi, Symeonem Raynaudi, Petrum de Ecclesia, P. Duranti de Vedacio, Johannem Bosqui, P. Raynulphi, Johannem Raynulphi fratres, Jacobum Duranti, Johannem Donati, Pontium Balpi.

Quibus peractis, dictus magister Petrus, nomine procuratorio quo supra, requisivit instanter dictum dominum senescallum quod testes suos predictos, superius nominatos, et quos habet ibidem promptos de presenti super contentis in cedula seu articulis superius per ipsum redditis, et ad probandam contenta in eis pro jure dicti domini episcopi domini sui, recipiat, audiat et examinet, recipi, audiri seu examinari faciat diligenter pro justificando pocessionem et saysinam dictarum furcharum, ibidem erectarum nomine dicti domini sui;

Alias de gravamine et de defectu jurisque denegatione solempniter protestatur, presertim cum dictus dominus senescallus testes, quos citari fecit in dicto loco, (*mot illisible*) dicti domini abbatis Aniane recipiat et examinet de presenti, obmissis testibus per ipsum, ut dictum est, citatis.

Petens de predictis sibi, quo supra nomine, fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Acta fuerunt hec in loco superius nominato, presentibus testibus venerabili viro domino Baudeto Macharelli legum doctore, advocato regio dicte senescallie, Raimundo Vigerii domicello, serviente armorum domini regis, castellano et

vicario Alesti, magistro Raimundo Rubei notario regio, et me Bertrando Aurelhe, publico dicti domini regis et dicti domini senescalli notario, qui, ad requisitionem dicti magistri Petri Helie, de predictis omnibus et singuli notam recepi.

Post hec, eodem instanti, dictus magister Petrus Helie, nomine procuratorio, coram prefato domino senescallo reddidit quandam papiri cedulam scriptam, dicens, proponens offerens, protestans et requirens ut in ea continetur;

Cujus tenor talis est:

Constitutus prope castrum de Terrallo domini Magalonensis episcopi, in quodam territorio vocato Podium acutum, in presentia nobilis et potentis viri domini Philippi de Pria militis, senescalli Bellicadri et Nemausi, gardiatorisque Ecclesie et Capituli Magalonensis, tam in capite quam in membris, bonorumque, jurisdictionum ac jurium suorum, a magestate regia deputati, magister Petrus Helie jurisperitus, procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Pictavini, Dei gratia Magalonensis episcopi, comitis Melgorii et Montisferrandi, dominique dicti castri de Terrallo, dixit et proposuit coram eo quod dictus dominus episcopus est, et sui predecessores ab antiquo fuerunt, in pocessione justa et saysina, seu quasi, habendi et tenendi notorie et publice furchas patibulares in dicto loco et territorio de Podio acuto.

Item dixit et proposuit quod nuper, cum ipse, nomine quo supra, ad finem et fines ne dictus dominus episcopus in predicta pocessione et saysina, usu et exercitio impediretur a quocumque, et ut neminem latere posset, quod dictus dominus episcopus est, et esset in speciali salvagardia dicti domini regis, et specialiter quoad pocessionem predictam, Johannes Castenherii serviens regius, comissarius super hoc

a dicto domino senescallo seu ejus locum tenente auctoritate litterarum regiarum deputatus, recepta primitus informatione de predictis juribus ad dictum dominum episcopum spectantibus. predicta loca, quoad usum, pocessionem et saysinam juris tenendi ibidem dictas furchas, et quoad alia jura dicto domino episcopo in dictis locis spectantia posuit, ad requisitionem ipsius procuratoris in speciali salva gardia domini nostri regis;

Et in signum dicte salvegardie, tam in dictis furcis quam in pluribus aliis locis dicti territorii, baculos et penuncellos regios apposuit et appendit;

Et ad faciendum fidem de titulo pocessionis et juris predictorum, et ad confortandum confirmandum et justificandum pocessionem dictarum furcharum in signum alte et basse jurisdictionis et meri imperii dicti domini episcopi, exhibuit et ostendit, ad fines predictos et quoad illos, dicto domino senescallc, quoddam instrumentum pro vero et publico. scriptum et signatnm manu Michaelis de Malobuxo, quondam notarii publici Montispessulani, sigillatum inpendenti bulla plumbea domini tunc regis Aragonum et Majoricarum. et alia domini Magalonensis episcopi, ac sigillis domini Jacobi tunc infantis dicti domini regis Aragonum et Majoricarum, et prepositi ac Capituli Magalonensis sigillatum, quod incipit in secunda linea *tispessulani*, et finit in eadem *episcopus*, apperturam (*sic*) testium contentorum in dicto quaterno.

Ad que probanda vult testes producere coram dicto domino senescallo, seu dicto comissario per eum deputato aut alio deputando, ad informandum de jure predicto. et ad fines predictos quos habet dictus dominus episcopus. et sui predecessores habuerunt in locis predictis: ad quod. nomine quo supra, petit se admitti.

Verum, cum dictus procurator intellexerit quod dictus dominus senescallus ad locum predictum et loca venit hodie mane dicto domino episcopo seu ejus procuratore non vocatis, dictas furchas cepit ad manum regiam, et penuncellum regium apposuit in eisdem de facto, cum de jure non pos-

set, nulla cause cognitione legitima precedente, honore et reverentia sibi debitis semper salvis, maxime cum dictus dominus episcopus et sui predecessores soli et in solidum sunt et fuerunt in pocessione et saysina habendi et tenendi furchas ibidem, ita quod nullus alter (*sic*).

In qua pocessione dictus dominus senescallus, sufficienter informatus, reperit dominum episcopum supradictum per se et gentes suas, occasione cujus manus apposuit.

Dictus dominus senescallus dictum dominum episcopum et gentes suas in pocessione sua et saysina, usu et exercicio juris sui dictarum furcharum impedire conatur et prestare impedimentum, quominus libere uti possit pocessione et saysina, et jure et usu suo in furchis predictis.

Propter quod requisivit semel, secundo, tertio, et cum multiplicata instantia eundem dominum senescallum, ut dictam manum regiam et quodcumque aliud impedimentum ad utilitatem dicti domini episcopi amoveat de facto, sicut de facto et in prejudicium juris et jurisdictionis dicti domini episcopi et comitis fuit apposita in furchis et loco predictis.

Et quod per consequens ipsum dominum episcopum et gentes suas tuheatur et deffendat in pocessione furcharum predictarum et ceteris juribus a violentiis, in juriis, oppressionibus, novitatibus ac potentia quorumcumque auctoritate sua ordinaria ac etiam juxta mandata regia super salvagardia dicti domini episcopi et Ecclesie Magalonensis a magestate regia sibi facta, de quibus constat in informatione predicta.

Offerens se fore paratum, in promptu et de die in diem, dictum dominum senescallum informare amplius, si et quando voluerit, de juribus predictis spectantibus domino episcopo et comiti supradicto.

Que quidem jura non possunt aliqua tergiversatione celari, cum sint notoria et manifesta, nominans ad cauthelam in testes omnes homines circumvicinorum locorum, qui memoriam habent a XV annis supra, et qui situm dicti territorii noverint, videlicet castrorum de Veyruna, de Piniano et Sancti Johannis de Vedatio et aliorum circumvicinorum.

Offerens insuper, nomine quo supra, se fore paratum juri parere coram dicto domino senescallo cuilibet conquerenti, si quis fuerit, super juribus supradictis.

Et si dictus dominus senescallus contra seu aliter de facto vellet procedere in prejudicium juris et jurisdictionis dicti domini episcopi et comitis, idem procurator non consentiit, nec consentire intendit, sed potius contradixit; protestando de gravamine juris et rationis denegatione, dampnis expensis et interesse contra dictum dominum senescallum et ejus bona, cum omni reverentia cum qua decet, et de recursu ad superiorem habendo;

Petens de predictis sibi fieri unum vel plura publica instrumenta.

Et dictus dominus senescallus, presente cedula et aliis superius insertis habitis pro lectis, respondit dicto magistro Petro Helie, nomine quo supra, quod ipse, die externa, recepit, per modum informationis, circa XII testes pro parte dicti domini episcopi, et quod modo recipit quosdam alios testes pro parte dicti abbatis Aniane super informatione predicta;

Et quod ipse, juxta statuta regia et ex suo officio, se informavit, et adhuc se informat, super erectione dictarnm furcharum, noviter in dicto loco erectarum, et super quibusdam exensibus (= excessibus) et armorum portationibus, ibidem comissis et factis, ad finem quod, predicta informatione precedente, ipse possit ulterius super predictis, juxta statutum beati Ludovici et alia statuta regia, et alias prout suo incumbit officio, providere de remedio competenti, et partibus predictis facere, ipsis vocatis et auditis super predictis, bonum et breve justitie complementum.

Et dictus procurator dicti domini episcopi, non consentiens responsioni dicti domini senescalli, quatenus sibi et juri dicti domini sui prejudicari possit, dixit dicta statuta, et specialiter statutum beati Ludovici non habere locum in causa

presenti, salva reverentia dicti domini senescalli, ex eo inter cetera quia dictus dóminus abbas Aniane nunquam fuit sayzitus aliquibus furchis in dicto loco, et ideo non potest dici dissaysitus.

Et, si forsan reperiatur quod furche que ibi sunt nunc erecte, fuerunt plantate a pauco tempore citra, non potest dici ex hoc dissaysina, cum tanta sit et fuerit continuatio pocessionis furcharum antiquarum, quas ibi habuerunt et tenuerunt ab antiquissimo tempore citra predecessores dicti domini episcopi.

De quibus incontinenti, per testes suos ibidem presentes et citatos per litteras dicti domini senescalli, paratus est facere promptam fidem; ut hodie constat (== constet), hodie agatur.

Requirens dictum dominum senescallum semel, secundo et tertio, et cum multiplicata instantia, ut ad alia non procedat, donec testes, quos producere vult ibidem presentes et citatos, ut dictum est, et alios quos habet producendos et citandos, receperit et examinaverit super intentionibus supradictis;

Alioquin de gravamine, juris denegatione, et defectu justitie, et de expensis, interesse, dampnis, injuriis protestatur contra dictum dominum senescallum et ejus bona cum debita reverentia.

Et nichilominus, quia dictus dominus senescallus, per suam responsionem et alias, verbo denegavit et denegat admittere probationes dicti procuratoris dicti domini episcopi, et ab aliis gravaminibus illatis et etiam inferendis, de quibus verisimiliter [timet], cum processerit ad examinationem testium alterius partis, et noluerit recipere nec examinare testes pro parte sua citatos et presentes; et aliis justis causis sentiens se multipliciter agravatum, provocat et appellat in hiis scriptis ad dominum nostrum regem, apostolos cum multiplicata instantia postulando, non di[s]cedendo propter premissa ab appellationibus aliis, per ipsum super predictis factis, et potissime a quadam, statim post responsionem domini senescalli, facta;

Protestans quod sit sibi licitum predicta prosequi per viam appellationis, simplicis querele vel nullitatis.

De quibus omnibus et singulis supradictis, dictus magister Petrus. nomine procuratorio quo supra, petiit sibi fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Acta fuerunt hec de prope locum de Terrallo, in territorio de Podio acuto, prope dictas furchas, presentibus testibus dominis Bernardo Saporis, Baudeto Macarelli advocato regio, legum doctoribus, Johanne de Affriano in legibus licentiato, Raimundo Vigerii domicello, serviente armorum dicti domini regis. castellano et vicario Alesti, magistris Raimundo Rubei et Jacobo Fabri notariis, domino Guillelmo Clari jurisperito. et me Raimundo Aurelhe, publico dicti domini nostri Francorum regis et dicti domini senescalli notario, qui de omnibus et singulis predictis notam recepi.

Post hec, anno quo supra, et XVIII mensis octobris, dicto domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, noverint universi et singuli presentes pariter et futuri, quod cum. die externa. coram nobili et potenti viro domino Philippo de Pria, milite dicti domini nostri Francorum regis, senescallo Bellicadri et Nemausi, reddita fuisset et interposita quedam appellatio per discretum virum magistrum Petrum Helie jurisperitum, procuratorem et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Pictavini, Dei gratia Magalonensis episcopi;

Cujus quidem appellationis tenor talis est:

Cum oppressis et contra jus et justitiam agravatis appellationis remedium sit indultum, idcirco ego Petrus Helie jurisperitus, procurator et procuratorio nomine reverendi in Christo patris domini Pictavini. Dei gratia Magalonensis episcopi, sensiens me agravatum timensque amplius agravari a vobis, nobili et potenti viro domino Philippo de Pria,

senescallo Bellicadri et Nemausi, ex eo et pro eo quod cum dictus dominus episcopus et predecessores sui fuerunt in pocessione pacifica et saysina habendi et tenendi furchas patibulares prope castrum de Terrallo domini Magalonensis episcopi, palam et publice. ab antiquissimo tempore citra, in loco dicto Podium accutum:

Et super hoc ego dictus procurator nominassem et produxissem coram vobis XLVI testes, per vestras litteras citatos, ibidem presentes;

Et etiam ad justificandum pocessionem predictam, produxissem etiam quoddam publicum instrumentum:

Vos, dicte domine senescalle, testes predictos, per me productos super intentionibus per me redditis, recipere noluistis, nec probationes meas audire, nec manum vestram ibidem in dictis furchis de facto appositam, requisitus legitime, amovere ad utilitatem domini episcopi supradicti.

Que fecistis et denegastis ad requisitionem et instantiam procuratoris et gentium domini abbatis Aniane, pretendentis se fore noviter dissaysitum, cum in veritate ipse nunquam saysitus fuerit, nec de hoc constat nec constare poterit, cum non sit notorium neque verum.

Et quosdam testes, vobis oblatos per partem dicti domini abbatis, favorabiliter recepistis.

Et, ipsis receptis, ex arrupto comminatus fuistis et precepistis evellere et amovere dictas furchas.

A quibus comminatis et preceptis et a predictis omnibus et singulis gravaminibus, illatis et inferendis, timens verisimiliter de eisdem, in hiis et cum hiis scriptis provoco et appello ad dominum nostrum Francorum regem, apostolos cum multiplicata instantia postulando.

Protestans quod sit michi licitum predicta persequi per viam appellationis, simplicis querele vel nullitatis;

Petens de predictis michi fieri publicum instrumentum.

Predictus dominus senescallus, tam predicte appellationi quam cuidam alteri appellationi, die externa etiam interpo-

site per dictum procuratorem, superius iSserte et per me notarium infrascriptum recepte, in presentia dicti magistri Petri, procuratoris predicti, dictis appellationibus respondit ut sequitur:

Et dictus dominus senescallus, visis dictis appellationibus, interpositis per procuratorem dicti domini Magalonensis episcopi, et contenta (= contentis) in eis, deliberatione consilii prehabita, dixit et respondit, quod, nudius, insinuatione clamosa eidem denunciatum extitit, quod gentes dicti domini episcopi Magalonensis, in quodam podio vulgariter vocato *Puech agut*, quod est prope Terrallum, cujus podii territorium esse dicitur in jurisdictione abbatis Anhiane et ejus monasterii, in et sub salvagardia regia existentis, a paucis diebus citra turba coadhunata cum armis prohibitis et vetitis, clamdestine, hora tarda et suspecta, furchas patibulares noviter erexerunt, et eas cum dictis armis, tam de die quam de nocte, faciebant et fecerunt custodire contra statuta et ordinationes regias, super furchis noviter erigendis et alias super congregationibus illicitis, armorum portationibus editas, et contra bonum statum et tranquillitatem patrie temere veniendo in spretum et dedecus regium et magestatis regie;

Cum prope dictum locum, die externa, transitum faceret, videns supra dictum locum furchas predictas erectas et gentes in magna multitudine cum armis, ut prima facie apparebat, circum circa astantes, ad dictum locum personaliter acccessit.

Et ibidem Mondonum Bardo Villenove, Guillelmum Gilberti de Porsano, Bndum Rogesines, Andream Corderii, Guiraudum Treverii de Melgorio, Guillelmum de Cruce de Baladuno, Johannem Martini de Melgorio, Petrum Valdayroni et Bndum Blaquerii de Melgorio servientem dicti domini episcopi, una cum Petro Malbec, ejusdem domini episcopi garcifero seu familiari, qui eisdem, de Terrallo dicti domini episcopi, portabat victualia, ensibus, gladiis, lanceis, balistis, cervelleriis, targiis, gonjonibus et aliorum armorum generibus prohibitis et vetitis invenit inimicos (= armatos).

A quibus juramento accepto ex debito sui officii, per modum informationis habuit quod nonnulli ex eis, nondum erant XII dies vel circa elapsi, mandato vicarii dicti domini episcopi, circa crepusculum, cum aliis pluribus numero XX vel circa, dictis armis et similibus armati, dictoque vicario presente, in dicto loco erexerunt dictas furchas, et eas omnes ex tunc cum ipsis armis, tam die quam nocte, custodierunt mandato vicarii supradicti.

Que omnia etiam dictus vicarius, in dicto loco existens, per juramentum proprium, in ipsius domini senescalli presentia, asseruit esse vera, prout hec et alia in informatione, nedum cum predictis, sed cum quibusdam aliis testibus per ipsum inde facta, latius continetur.

Quodque ex tunc procurator dicti abbatis Aniane asserens dictum abbatem per novam furcharum hujusmodi appositionem fore in dicto territorio turbatum, impeditum et sibi mutlum prejudicium et juri suo, et causis predictis fore factum et sue abbatie noviter, ut est dictum: et quod ob hoc dicta salva gardia et manus regia ibidem apposita enormiter extiterat violata.

Et statim dictum dominum senescallum cum instantia idem procurator requirendo, ut dictum locum iterato vellet occulis sub[j]icere, et se cum testibus super premissis clarius informare, dictumque abbatem seu locum juxta statuta regia, super novis dissaysinis et super furchis non erigendis edita, facta informatione summarie, ressaysire, et dictas furchas in dicto loco noviter plantatas evelli facere;

Ad cujus procuratoris dicti abbatis instantiam et ex debito sui officii, licet ex superhabundanti, die externa, ad dictum locum accessit, et pro pleniori informatione nonnullos testes recepit, et super premissis examinavit diligenter.

Et quod per dictam informationem eidem liquide constat et apparet dictas furchas in dicto loco noviter erectas fuisse dictumque locum in jurisdictione et dominio directo dicti abbatis Aniane existere:

Constat etiam eidem dictum abbatem fore noviter perturbatum et impeditum in dicto loco, premissorum occasione;

et circa hoc gentes domini episcopi graviter deliquisse, contra statuta regia predicta temere veniendo et faciendo, et dictam salvam gardiam regiam, in qua est dictus abbas cum omnibus ejus bonis, violando.

Quia, presupposito quod dictus locus, in quo sunt noviter erecte dicte furche, esset de jurisdictione dicti domini episcopi notorium, dominus episcopus alias furcas patibulares et (= in) dicto loco suo de Terrallo propinquiore habet et obtinet in eodem territorio, que sibi sufficere debebant, attento quod in dicto loco casus talis non acciderat quod haberet locum erectio dictarum furcharum, prout de hiis et aliis clare constat, tam per dictam informationem quam alias, eidem domino senescallo.

Et, ob hoc, idem dominus senescallus, visis statutis regiis et deliberatione consilii prehabita, juxta tenorem statutorum predictorum, providere volens ut statuta predicta et jus regium servetur illesum;

Necnon et ad requisitionem advocati regii predicte senescallie, ibidem vices procuratoris regii gerentis, petentis et requirentis pro jure regio dictas furchas, ibidem noviter plantatas, evelli ac etiam totaliter amoveri, et alias fieri que secundum jura et statuta regia super predictis incumbunt facienda;

Voluit et ordinavit per suas litteras, certis commissariis super hoc directas, quod, sine et absque prejudicio juris partium predictarum, juxta dictorum statutorum continentiam et tenorem, dicte furche de dicto loco, in quo fuerunt noviter plantate, amoveantur et diruantur, et ad statum pristinum reducantur, quoscumque (= quodcumque) impedimentum, super hoc appositum, amovendo ab inde.

Et quod dictus locus sub manu regia, in qua alias per ipsum positus extitit, teneatur, donec et quousque super predictis, per ipsum, auditis partibus, aliud fuerit ordinatum.

Et nichilominus inhibere mandavit partibus predictis, ne una pars parti alteri aliquam molestiam, prejudicium seu impedimentum indebita in dicto loco faciat sub omni illa pena, quam erga dominum nostrum regem incurrere possent.

Paratum tamen se obtulit, et adhuc se offert idem domiminus senescallus ulterius, hiis peractis, partibus super predictis ipsis auditis, facere bonum ac breve justitie complementum, totiens quotiens per viam debitam super hoc fuerit requisitus,

Quare cum, predictis omnibus attentis et consideratis, et aliis considerandis in hac parte: attento etiam quod, secundum dicta statuta regia, quilibet debet contentari inhibendo seu obtinendo unicas furcas in territorio et districtu cujuslibet castri seu loci, quas idem dominus episcopus habebat et adhuc habet, ut predictum est superius, in territorio dicti loci de Terrallo, nullum gravamen idem dominus senescallus intulit seu infert dicto episcopo.

Et eapropter, cum frivolis appellationibus, quibus jura non defferunt, non sit a jure deffendendum (=deferendum), dictam appellationem tanquam frivolam et inanem, et ex veris non procedentem, et in casu non a jure permisso (*renvoi indiqué et oublié*) et dampnato interpositum non admisit;

Pro apostolis refutatoriis presentem responsionem, una cum copia informationis predicte, per eum facte super predictis, eidem procuratori concedendo, cum dimissoriis non sit locus.

Et dictus procurator dicti domini episcopi, non consentiens predictis, responsis et ordinatis, ac dictis per dictum dominum senescallum, in quantum juri et jurisdictioni dicti domini episcopi Magalonensis, domini sui, prejudicare possent, persistens in appellationibus per ipsum factis, dixit quod dictus dominus episcopus alias furchas non habet pro loco seu castro de Terrallo, nisi illas quas dictus dominus senescallus dicit noviter erectas fuisse, que tamen ab antiquo ibidem fuerunt;

Ymo alie que sunt erecte ultra Terrallum, juxta iter quo itur de Montepessulano versus Bitterris (=Biterras), sunt ibi erecte pro villa seu loco suo de Veranis.

Et ab hujusmodi responsis per dictum dominum senescallum, dictis, ordinatis et ab omnibus aliis gravaminibus per ipsum per suam responsionem, ordinationem et alia sibi facta, nomine quo supra, iterum et iterum appellavit ad dominum nostrum regem, apostolos cum multiplicata instantia postulando.

De quibus petiit sibi fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Et dictus dominus senescallus respondit nichilominus et concessit ut supra.

Acta fuerunt hec in Montepessulano in ecclesia Sancti Dyonisii dicti loci, presentibus testibus venerabilibus et discretis viris dominis Guillelmo de Chaulayo clerico et consiliario domini nostri regis, Baudeto Macarelli advocato regio, legum doctoribus, Alberto de Ruppe domicello, baillivo curie communis Gaballitane, Raimundo Vigerii domicello, serviente armorum domini regis, castellano et vicario Alesti, magistro Raimundo Rubei notario regio, et pluribus aliis, et me Bertrando Aurelhe, publico dicti domini nostri regis et dicti domini senescalli notario, qui predicta omnia et singula, rogatus et requisitus, in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. B, fol. 131 r°).

MDCCIX. — 19 octobre 1335

Le procureur de l'évêque, maintenant ses appels antérieurs, interjette encore appel au sujet de la juridiction de l'évêque sur le territoire de Puechagut.

Anno Domini M° CCC° XXXV°, et die XIX octobris, domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, noverint universi presentes pariter et futuri, quod apud Montempessulanum, coram nobili et potenti viro domino Philippo de Pria, milite dicti domini nostri regis, senescallo Bellicadri et Nemausi, existens et constitutus discretus vir magister Petrus Helie jurisperitus, procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Pictavini, Dei gratia Magalonensis episcopi, reddidit quandam papiri cedulam scriptam, quandam appellationem in se continentem, provocans, nomine procuratorio quo supra, et appellans, et apostolos petens, et requirens, prout in dicta cedula continetur.

Quam cedulam sive appellationem ego notarius infrascriptus legi et recitavi in presentia dicti domini senescalli et testium infrascriptorum.

Cujus tenor talis est.

Existens in presentia vestri, nobilis et potentis viri domini Philippi de Pria militis, senescalli Bellicadri et Nemausi, ego Petrus Helie jurisperitus, procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Pictavini, Dei gratia Magalonensis episcopi, comitis Melgorii et Montisferrandi, dominique castri de Terrallo alias *Terralhet*, prope Montempessulanum, citra tamen omnem consensum et jurisdictionis porrogationem, dico et propono coram vobis, persistendo tam in appellationibus per me, nomine quo supra, factis super infrascriptis et ab ipsis nullathenus discedendo, etiam actu contrario interveniente, quod vos, dicte domine

senescalle, multipliciter gravastis dictum dominum meum et ejus Magalonensem Ecclesiam, per potentiam vestri officii et injuriam manifestam, honore et reverentia vobis debitis semper salvis, ut inferius continetur:

Primo quia, die lune proxime preterita mane, accessistis apud Terrallum, alias *Terralhet*, dicti domini episcopi et comitis, seu ejus territorio, in loco vocato Podium accutum, et quasdam furchas patibulares dicti domini episcopi et comitis, et ipsum locum furtim, contra Deum et justitiam, et ipso domino episcopo seu procuratore suo non vocatis nec citatis cepistis ad manum regiam, et penuncellum domini nostri regis apposuistis in ipsis furchis, seu fecistis apponi, contra statuta regia, bonas consuetudines, usus laudabiles et presertim contra jura communia, quibus regitur ista patria.

Secundo quia, die sequenti martis mane, ad instantiam procuratoris et gentium domini abbatis Aniane, fecistis in dicto loco citare et vocare plures testes, partiares et familiares ipsius;

Et, ipsis coram vobis constitutis, dixistis quod volebatis probari quod dicte furche erant plantate noviter in terra dicti domini abbatis Aniane;

Et ipsos testes incontinenti, ad requisitionem ipsarum gentium, recepistis et examinastis, dicto domino episcopo seu procuratore suo non vocatis, nec citatis ad videndum jurare dictos testes.

Tertio quia, cum ego dictus procurator, nomine quo supra, vobis fidem fecissem per publica instrumenta, quod dictus dominus episcopus habebat ibidem, solus et in solidum, jurisdictionem altam et bassam, merum et mixtum imperium, et paratum me offerentem incontinenti per testes ibi presentes de pocessione et saysina paciffica [vos] docere, et vos requisivissem quod dictam manum admoveatis (= amoveatis) ad utilitatem dicti domini episcopi et comitis, illud contra justitiam facere denegastis.

Quarto quia, cum ego, de vestro mandato et per vestras litteras, citare fecissem, in dicto loco et ad dictam diem et horam prime, post quam horam ibi venistis, XLVI testes ad probandum quod dictus dominus episcopus erat, et sui prepecessores fuerunt, ab antiquissimo tempore citra, solus et in solidum, in pocessione et saysina juris habendi et tenendi ibidem furchas patibulares, et prout jam erant tunc in vestro conspectu et adhuc sunt erecte;

Et petiissem per vos illos, ibidem presentes et comparentes, recipi et examinari super intentionibus, per me vobis super predictis redditis, et per consequens dictam manum regiam, per vos inciviliter super predictis appositam, admoveri (=amoveri), vos illud facere contra justitiam et rationem omnimodam denegastis, licet etiam pars dicti abbatis consentiret ut testes per vos, ad mei instantiam citatos, reciperetis et examinaretis super intentis, per me datis et redditis coram vobis.

Quinto quia, cum ego a predictis et aliis gravaminibus, per vos dicto domino meo illatis et comminatis, et de quibus verisimiliter dubitabam, et a vestra audientia appellassem ad dominum nostrum Francorum regem, et vos inter alia respondissetis quod reciperetis et audiretis testes partis mee post sompnum ejusdem diei, illud facere noluistis, nec ad vos potui habere adhitum usque ad accensum hominum post diei occasum ad habendum responsionem et apostolos sub appellatione a vobis interposita per me, nomine quo supra.

Sed tunc respondistis quod in crastinum, quod fuit festum sancti Luce, mane meos testes reciperetis: et quamvis adversa pars ibi presens ad hoc quod testes partis mee reciperetis consentiret, illud facere recusastis; sicque fecistis stare dictos testes tam in dicto loco dictarum furcharum quam in Montepessulano per duos dies.

Sexto quia, dicta die sancti Luce, me dictum procuratorem, petentem et requirentem responsionem et apostolos super dicta appellatione et appellationibus per me factis,

prefatisque testibus adhuc in Montepessulano existentibus, ipsos testes recipere non curastis; sed voluistis precepistis et ordinastis inter cetera, ad solius partis dicti abbatis non fundatum nec coloratum juris seu vere rationis colorem, et ad requisitionem, ut dixistis, magistri Baudeti Macarelli ad vocati regii, quem receperatis vestrum consiliarium in predictis, sic vicem partis et consilii in hac parte gerentis, quod dicte furche diruerentur et evellerentur; et adhuc, prout respondistis, certos commissarios deputastis, pendentibus appellationibus per me factis, quibus defferre noluistis, in contemptum non modicum regie magestatis.

Septimo quia, cum ego iterum et iterum a novissime ordinatis et preceptis a vobis appellassem et apostolos petiissem, ipsam appellationem adhuc noluistis admittere, nec apostolos concedere, ymo iterum ordinatis, voluistis et precepistis ut supra, et alias diversimode, et pluries dictum dominum meum episcopum agravastis in et super predictis salva vestri reverentia, indebite et injuste.

Que omnia et singula vos, dicte domine senescalle, fecistis, voluistis, mandastis et ordinastis, honore et reverentia vobis debitis semper salvis, in hodium notabile, dampnum et injuriam, per potentiam vestri officii, predicti domini mei episcopi et Ecclesie Magalonensis, et jurium, ac pocessorum suorum predictorum;

Anelantes ad enervationem juris ipsorum, in favorem partis adverse, notorie et notabiliter, verbis et factis, per processus vestros, et alias injustos, indebitos, injuriosos, seu alias nullos et inheptos, secundum (= contra) statuta regia, consuetudines bonas et laudabiles usus, et presertim contra jura scripta, quibus regitur patria ista.

Quare non discedendo a premissis appellationibus per me factis per appellationem presentem, set illas per istam, et istam per illas potius corroborando et confirmando, dico et assero omnia et singula, per vos processa, facta, precepta et ordinata fuisse [et] esse nulla; et si qua sunt, quod non credo, fuisse et esse iniqua, et ab ipsis tanquam ab iniquis,

sentiens dictum dominum meum, multipliciter agravatum ab omnibus et singulis dictis gravaminibus et oppressionibus illatis ac factis, et aliis faciendis et inferendis, de quibus verisimiliter dubito, a vestra audientia, in hiis et cum hiis scriptis, solemniter provoco et appello ad dominum nostrum Francorum regem, apostolos semel, secundo et tertio, et cum multiplicata instantia postulando;

Requirens vos ne, presente appellatione pendente. aliquid innovetis seu patiamini innovari.

Protestans quod sit michi et dicto domino meo licitum predicta prosequi per viam appellationis, simplicis querele, nullitatis aut aliis juris remediis opportunis.

Petens de predictis michi fieri publicum et publica instrumenta.

Et dictus dominus senescallus, lecta et audita dicta cedula et appellatione per me dictum notarium. assignavit dicto procuratori ad audiendum responsionem suam super predictis diem martis proximam apud Bellicadrum, si comode fieri possit.

Cui assignationi dictus procurator non consentiit, in sua appellatione et apostolorum petitione persistendo.

Et dictus dominus senescallus nichilominus assignavit ut supra.

Petens de predictis idem dominus senescallus sibi fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum, ad finem quod suam responsionem inseri possit et valeat in eadem.

Actum fuit hoc in Montepessulano, in domo quam inhabitat dominus Petrus de Barrio jurisperitus, presentibus testibus venerabilibus viris dominis Guillelmo de Chaulayo domini regis consiliario, Baudelo Macarelli advocato regio, legum doctore, magistro Bndo de Bitteris notario, Stephano

de *Bagans*. et me Bertrando Aurelhe, publico dicti domini nostri Francorum regis et dicti domini senescalli notario, qui requisitus de predictis notam recepi.

Post hec anno quo supra, et die penultima mensis octobris, dicto domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, noverint universi et singuli, presenter pariter et futuri, quod apud Montempessulanum, in domo Percivallis de Podio domicelli, de subtus monetam, coram nobili et potenti viro domino Philippo de Pria, milite dicti domini nostri Francorum regis, et pro eodem senescallo in senescallia Bellicadri et Nemausi, existens et constitutus magister Petrus Helie jurisperitus, procurator et nomine procuratorio prefati domini episcopi Magalonensis, dixit se fore paratum audire responsionem dicti domini senescalli super contentis in appellatione superius inserta, et per ipsum, nomine quo supra, interposita ad dominum nostrum Francorum regem, necnon et apostolos super dicta appellatione recipere, si qua sibi tradantur seu concedantur per dictum dominum senescallum, in dicta appellatione persistendo;

Protestans quod per ipsum non stat, nec stetit, nec stabit, quominus predicta fiant;

Adhiciens quod apud Bellicadrum et apud Aquas Mortuas, in quibus locis eidem, nomine quo supra, assignatis pro predictis extitit. et continuatum per dictum dominum senescallum venit coram eo, prout constare asseruit per instrumenta inde recepta per magistrum Bndum de Bitteris notarium.

Et dictus dominus senescallus dicto magistro Petro, nomine quo supra, ad audiendum responsionem suam super dicta appellatione, juris terminum assignavit.

Cui assignationi dictus magister Petrus, nomine quo supra, non consentiit, sed in supradicta appellatione persistens, provocavit, appellavit et apostolos petiit, ut supra.

Et dictus dominus senescallus nichilominus assignavit ut supra.

De quibus dictus magister Petrus, nomine quo supra, petiit sibi fieri publicum instrumentum per me notarium infrascrptum.

Acta fuerunt hec in Montepessulano in domo predicta dicti nobilis Percivallis de Podio, presentibus testibus venerabili viro domino Guillelmo de Chaulayo legum doctore, clerico et consiliario dicti domini nostri regis, Bndo Arnaudi mercatore Montispessulani, et pluribus aliis. et me Bertrando Aurelhe publico dicti domini nostri Francorum regis et dicti domini senescalli notario, qui, ad requisitionem dicti magistri Petri, de predictis omnibus notam recepi.

Post predicta, anno quo supra, et die secunda mensis novembris, dicto domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, noverint universi et singuli, presentes pariter et futuri, quod, apud Montempessulanum, coram nobili et potenti viro domino Philippo de Pria, milite dicti domini nostri regis ejusque senescallo Bellicadri et Nemausi, existens et constitutus magister Petrus Helie jurisperitus, procurator prefati domini Magalonensis episcopi dixit quod nuper ab audientia dicti domini senescalli, a quibusdam gravaminibus, per eundem dominum senescallum dicto domino suo, ut dixit, illatis, appellavit in scriptis ad dominum nostrum Francorum regem;

Et tunc et post, petiit apostolos sibi dari et concedi, et responsionem dicti domini senescalli fieri super dicta appeltione, cum instantia qua predicta convenit postulare, prout hec et alia constant per notam seu notas inde receptas manu mei notarii infrascripti;

Necnon unde in dicta sua appellatione et apostolorum petitione persistendo, absque eo quod non intendit aliis appellationibus, per ipsum a dicto domino senescallo, nomine procuratorio quo supra, interpositis, renunciare, set in ipsis

etiam persistendo, et istam per illas, et illas per istam confirmando, corroborando, obtulit se fore paratum responsionem dicti domini senescalli super dicta appellatione audire et apostolos recipere, si eidem concedantur.

Protestans, nomine quo supra, quod per ipsum non stat, non stetit, nec stabit, quominus dictam responsionem audiat et dictos apostolos recipiat, si eidem concedantur.

Et dictus dominus senescallus respondit ut in quadam cedula continetur.

Cujus tenor sequitur et est talis:

Et dictus dominus senescallus, deliberatione consilii prehabita, dixit et respondit quod ipse in aliquo, faciendo et ordinando ea que fecit et ordinavit, dictum dominum episcopum Magalonensem seu ejus Ecclesiam non gravavit;

Presertim, inter cetera, quia cum sibi constaret per informationem debitam, super hec per ipsum factam, quod gentes sive curiales dicti domini episcopi, cetu coadunato, cum armis prohibitis et vetitis, ad modum guerre, hora suspecta, circa crepusculum, quasdam furcas patibulares erexerant in quodam loco, contentioso inter ipsum dominum episcopum et abbatem Aniane, vocato Podium accutum, prope locum de Terrallo, non obstante quod manus et salvagardia regis in dicto loco contentioso essent apposite ad instantiam prefati domini abbatis Aniane, et dicto domino episcopo seu ejus gentibus intimata;

Pluresque alios excessus cum dictis armis gentes dicti domini episcopi ibidem fecerant et comiserant;

Et jam aliqui ex ipsis, usque ad numerum X vel XII, cum dictis armis fuerunt per eumdem dominum senescallum reperti et deprehensi in dicto loco contentioso, superius designato, dictas furcas ibidem custodientes;

Et Franciscus de Castaneto, terre dicti domini episcopi vicarius, ibidem existens et superveniens, in presentia dicti domini senescalli factum seu negotium avoyaverit, confitens

predictas furchas, de suo mandato in dicto loco, et ad manum regiam et sub salvagardia regia existente, nomine ac vice dicti domini episcopi erectas et plantatas fuisse;

Attentis etiam statutis et ordinationibus regiis, de non erigendis novis furchis editis;

Et quod dictus dominus episcopus alias furchas patibulares habet et habebit, tunc temporis, in territorio castri sui de Terrallo, prout communiter dicitur; de cujus territorio et districtu proponitur pro parte dicti domini episcopi dictum locum de Podio acuto esse et fuisse;

Attentis etiam excessibus predictis, cum dictis armis comissis per dictum dominum episcopum seu ejus gentes in dicto loco contentioso, sub manu et salvagardia regiis, ut predictum est, ad instantiam dicti abbatis Aniane existente;

Et quod dicta manus et salvagardia regis in et super predictis fuerant per dictum dominum episcopum seu ejus gentes violate;

Dictumque locum contentiosum per dictam informationem eidem domino senescallo constet esse et acthenus fuisse in territorio et districtu, et directo dominio sive domario (= domanio) dicti abbatis Aniane;

Eapropter alias voluit et precepit juste, debite et ex debito sui officii, predictas [furchas], sicut predictum est, illicite et noviter erectas et plantatas in dicto loco per gentes dicti domini episcopi, de facto, et in spretum et contemptum domini nostri regis et ejus curie, ac manus curie (= regie) ipsius et salvagardie ibidem appositas, existentes in loco supradicto, sine prejudicio juris dicti domini episcopi seu alterius cujuscumque partium dirui ac etiam amoveri;

Paratum se offerens ulterius idem dominus senescallus dictum dominum episcopum, et quemcumque alium, jus habere pretendentem in predictis amotis dictis (*sic*) furchis et reducto (= in) dicto loco contentioso, in statu in quo erat tempore appositionis manus et salvegardie regie predictis (= predictarum), super predictis in suis justis rationibus et deffentionibus audire, et eisdem facere et ministrare bonum et breve justitie complementum.

Quare cum, attentis et consideratis predictis, idem dominus senescallus in aliquo dictum dominum episcopum non gravaverit;

Predictaque appellatio, ex causis predictis, interposita fuerit per dictum magistrum Petrum, nomine quo supra, in casu non a jure permisso, sed prohibito et vetito, et absque aliquo gravamine;

Considerato facto de quo agitur;

Dictam appellationem, tanquam frivolam et inanem non admisit, nec eidem detulit, neque deffert, cum appellationibus frivolis, quibus jura non defferunt, non sit a judice defferendum, presentem responsionem pro apostolis refutatoriis eidem, quo supra nomine, concedendo, cum dimissoriis non sit locus.

Et dictus magister Petrus, nomine quo supra, dicte responsioni non consentiens, quatenus juri dicti domini sui prejudicare posset, ymo de contrario in dicta responsione contentis protestando, in dicta sua appellatione persistendo, provocavit, et appellavit, et apostolos petiit et requisivit ut supra.

Et dictus dominus senescallus nichilominus respondit et non admisit ut supra.

De quibus omnibus et singulis supradictis, dictus magister Petrus, nomine quo supra, petiit sibi fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Acta fuerunt hec in Montepessulano, in domo in qua tenetur curia regia dicti loci, presentibus testibus venerabilibus viris dominis Petro Maurelli clerico regio, judice majore, Baudeto Macarelli legum doctore, advocato regio, Guillelmo Bonerii, Raimundo Saynerii procuratore regio dicte senescallie, domino Stephano de Molceone legum doctore, judice Nemausi, dominis Petro Ricardi, Johanne de Affriano jurisperitis, et me sepe dicto Bertrando Aurelhe, publico dicti domini nostri Francorum regis et dicti domini senescalli no-

tario, qui predicta omnia et singula, rogatus et requisitus, in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. B, fol. 141 r°).

MDCCX. — 23 octobre 1335

Accord au sujet du grau de Carnon.

In nomine Domini Nostri Jesu Christi. Anno ejusdem Incarnationis millesimo trecentesimo trecesimo quinto, et vicesima tertia die mensis octobris, illustrissimo principe domino Philippo, Dei gratia Francorum rege regnante, cunctis presentibus et futuris manifestum existat, quod, cum lis, questio seu controversia esset, seu esse speraretur, et diu agitata fuisset inter reverendum in Christo patrem dominum episcopum Magalonensem ac compariarios stagni de Carnone, ex parte una;

Et universitatem ville Aquarum Mortuarum, seu consules ejusdem loci, ex parte altera;

Super questione, controversia seu debato pedagii sive stagni, et passus dicti stagni de Carnone, passagii seu transitus dicti stagni;

In quo stagno de Carnone, sive passu vie, seu transitu ipsius stagni, dicti consules dicebant et asserebant homines et habitatores Aquarum Mortuarum non debere solvere ibidem pedagium sive staquam;

Econtra vero dictis domino episcopo et compariariis suis dicentibus et asserentibus ipsos homines Aquarum Mortuarum teneri ad dictum pedagium sive staquam, sicut et ceteros homines aliorum locorum;

Tandem super tota dicta questione seu questionibus, debato, lite sive controversia supradictis, et omnibus et singulis dependentibus ex eisdem, partes predicte, videlicet

discretus vir dominus Guillelmus Clari jurisperitus, ut procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Pictavini, divina gratia episcopi Magalonensis, a quo domino episcopo et Capitulo Magalonensi idem procurator promisit habere ratum et facere ratificari presens compromissum et omnia infrascripta; et Guillelmus de Melgorio domicellus, pro se et nomine suo proprio, ac vice et nomine Johannis de Porta, filii quondam et heredis domini Hugonis de Porta jurisperiti, Poncii Alamandini burgensis Montispessulani, et liberorum quondam Guillelmi Alamandini dicti loci de Montepessulano, a quibus dictus Guillelmus de Melgorio promisit, sub obligatione bonorum suorum, habere ratum et facere ratificari etiam infrascripta, ex parte una;

Et Guito Prioris et magister Thomas Fulcherii, consules ville Aquarum Mortuarum, pro se et Enrico Gualacii et Jacobo Ferrandi, conconsulibus suis, a quibus et tota universitate dicti loci Aquarum Mortuarum, promiserunt habere ratum et facere ratificari presens compromissum et omnia infrascripta, ex alia parte;

Supradicte partes, quibus supra nominibus, se compromiserunt in venerabilem et religiosum virum dominum Bernardum de Texeriis canonicum Magalonensem, priorem Frontiniani, et discretum virum Stephanum *Judol*, mercatorem dicti loci Aquarum Mortuarum, ibidem presentes, et ipsum compromissum in se suscipientes, et ipsos arbitratores et amicabiles compositores, ac communes amicos liberaliter, gratis, unanimiter et concorditer sibi elegerunt.

Dantes et concedentes partes predicte, quibus supra nominibus, dictis arbitratoribus et amicabilibus compositoribus, plenam, generalem et liberam potestatem, ac mandatum speciale ad premissa et infrascripta;

Volentes et concedentes insuper partes predicte, et quibus supra nominibus, quod domini arbitratores... possint et valeant dictas questiones, lites et controversias, vel unam aut plures earum, reliquis omissis, jure vel amore, seu alias

prout voluerint, audire et examinare, terminare et diffinire conjunctim vel separatim, simpliciter et de plano, die vel diebus feriatis vel non feriatis, partibus presentibus vel absentibus, aut una parte presente et altera absente, citatis vel non citatis;

Et etiam quod possint de jure unius partis alteri, et e converso pro bene (*sic*) placito sue voluntatis, et partem unam alteri in peccunia vel ad alias res quascumque condempnare et obligare, prout eis videbitur faciendum vel alteram ab alterius petitione absolvere, jure vel ratione, vel ordine in toto vel in parte, vel in nichilo, observato.

Et promiserunt dicte partes, quibus supra nominibus, stare parere et obedire dicte pene. arbitrio, pronuntiationi, precepto seu preceptis, per dictos dominos arbitratores seu amicabiles compositores, seu eorum mandato facto seu factis, vel faciendis, in nullo contra facere seu venire per se nec per aliquam interpositam personam, aliqua ratione vel causa, forma seu modo, de jure nec de facto.

Quod si facerent, aut in aliquo contra premissa vel infrascripta, aut eorum aliquid venirent, tunc sibi ad invicem partes predicte alteram alteri, pacto interveniente sollempni et valida stipulatione vallato, promiserunt dare et solvere centum libras turonensium parvorum, nomine pene hinc inde solemniter stipulatas, et promissas, dandas et solvendas per partem inobedientem parti parenti et obedienti pro quolibet capitulo non servato, rato manente pacto.

Et voluerunt dicte partes, quibus supra nominibus, quod hoc presens compromissum duret et durare habeat hinc ad instans festum Omnium Sanctorum inclusive.

Hoc acto inter partes predictas, quibus supra nominibus, quod pena predicta semel et pluries, et totiens in solidum comittatur et comissa exhiguatur, rato manente pacto quostiens (=quotiens) contra premissa et infrascripta, vel eorum aliquid, in aliquo fieret seu veniret per aliquam partium predictarum.

Fuit etiam actum inter dictas partes, quibus supra nominibus, et in pactum deductum, solemni stipulatione valla-

tum, quod non recurrent seu proclamabunt ad arbitrium boni viri; quod si facerent aut in aliquo contravenirent pars recurrens teneatur parti parenti et obedienti in pena predicta, ut supra promissa et stipulata: ac etiam per partem parentem et obedientem a parte non obediente dicta pena possit peti, exhigi et levari totiens quotiens contra fieret seu veniret per aliquam partium predictarum. dictis compromissis, arbitrio et pronuntiatione semper in suo robore duraturis.

Quo casu quo recurre[re]tur seu provocaretur ad arbitrium boni viri, ex nunc ut ex tunc, et ex tunc ut ex nunc, scienter et ex pacto, partes predicte, altera alteri ad invicem, totum id quod obtineretur ratione dicti recursus, donaverunt, nominibus predictis. donatione pura et simplici inter vivos, nulla causa ingratitudinis vel alia qualibet in posterum revocanda.

Hoc acto nichilominus et convento inter ipsas partes, quibus supra nominibus. interveniente pacto solemni et valida stipulatione vallato, quod dicta pronunciata, ordinata vel diffinita per dictos dominos arbitratores et amicabiles compositores obtineant vim sententie judicis ordinarii, a quo non fuisset appellatum et que transivisset in rem judicatam.

Acto etiam hoc et convento inter partes, quod hoc presens compromissum habeat vim duorum compromissorum, unius de se et ratione compromissi, et alterius ratione pene.

Predicta omnia universa et singula vera esse et ea tenere, complere ac etiam inviolabiter observare, et contra in aliquo non facere nec venire, de jure nec de facto, per se nec per aliam interpositam personam in judicio nec extra, promiserunt partes predicte, quibus supra nominibus, altera pars alteri ad invicem, solemni et valida stipulatione interveniente, sub pena predicta, et sub efficaci ypotheca et obligatione bonorum suorum, nominibus quibus supra, mobilinm et immobilium, presentium et futurorum, ac etiam sub omni restitutione dampnorum, et expensarum ac interesse, si que fierent in judicio vel extra, ratione seu occasione premissorum.

Et juraverunt, nominibus quibus supra, ad sancta Dei evangelia, ab ipsis partibus et ipsarum qualibet corporaliter sponte tacta.

Et renunciaverunt partes predicte et sub virtute dicti juramenti, scienter et expresse, juris et facti ignorantie, doli et fraudis exceptioni, ob causam et sine causa autentice *Decrevimus*, ac juri prohibenti compromissum fieri cum religione juramenti. necnon beneficio et auxilio cujuslibet juris et privilegii, rescripti, usus, consuetudinis, appellationis, emendationis et exceptionis, per quod seu per que possent dicte partes, seu altera earumdem, in totum vel in partem, a pena liberari seu ab observatione dicti compromissi vel arbitrii, precepti, sententie aut pronunciationis dominorum arbitratorum seu amicabilium compositorum predictorum.

Hoc acto inter partes predictas, quod presens compromissum possit dictari, corrigi et emendari, semel et pluries, grossato instrumento vel non grossato, producto in judicio vel non producto, ad securitatem et omnimodam firmitatem premissorum, dictamine cujuslibet sapientis, substantia facti non mutata.

De quibus partes predicte et quelibet ipsarum petierunt sibi fieri publicum instrumentum seu publica instrumenta per me Raimundum Celararii, notarium infrascriptum.

Acta fuerunt in Montepessulano et in aula episcopali, presentibus testibus ad hec vocatis, dominis Petro Vernede, officiali Magalonensi, Jacobo Fulci coquinario Magalonensi, Johanne de Montelauro sacrista in ecclesia Beate Marie de Tabulis, magistro Petro Rotberti notario regio et curie Aquarum Mortuarum, Carlino Raimundi de Aquis Mortuis, Francisco de Sancto Petro subvicario ejusdem loci, et me Raimundo Celararii, notario infrascripto.

Postque anno quo supra, et vicesima die mensis octobris, domino Philippo Francorum rege regnante, prefati domini arbitratores et amicabiles compositores, pro bono pacis et

concordie, et ex potestate eis attributa, visis et diligenter examinatis questionibus, petitionibus seu demandis, que altera partium predictarum alteri faciebat, et eisdem finem imponere volentes, ne in posterum dicte partes fatigarentur laboribus et expensis, presentitaque partium predictarum voluntate, pronunciaverunt, diffiniverunt, et arbitrati fuerunt ut sequitur, et per modum inferius comprehensum.

Et nos dicti arbitri, arbitratores seu amicabiles compositores, visis et auditis rationibus, defensionibus et juribus partium predictarum, etiam ante tempus dicti compromissi in nos facti, dicimus, diffinimus, arbitramur, volumus et pronunciamus, viam arbitratorum et amicabilium compositorum in hac parte sequentes, sub pena et juramento in dicto compromisso contentis, et virtute et potestate compromissi in nos facti, per modum videlicet infrascriptum.

In primis, quia constat et notorium est, quod dictus dominus episcopus et alii sui pariarii supradicti habent et ab antiquo habuerunt pedagium sive staquam in stagno suo et passu de Carnone, videlicet de et pro quolibet navigio ibidem transeunte, et res venales seu mercabiles deferente, quatuor denarios turonensium parvorum, dicimus, diffinimus, arbitramur, volumus et pronunciamus, quod homiues dicte universitatis Aquarum Mortuarum, et singuli de eadem, presentes et futuri, dictum pedagium sive staquam solvant, absque contradictione qualibet, quando et quotiens ipsos vel eorum aliquem per dictum stagnum seu passum transire contingerit cum navigiis, cujuscumque generis fuerint, portantibus res venales vel mercabiles, sive vendantur aut vendi debeant in loco Aquarum Mortuarum vel aliis quibuscumque, et sive sit aut fuerit vinum, panis coctus, aut alie res, vel merces quecumque, vel in quocumque genere et in quacumque specie dici possint, salvis inferius exceptatis.

Et, si revocaretur per aliquos vel aliquem in dubium, an res hujusmodi, que portarentur et transirent per dictum

stagnum seu passum, essent vendibiles seu mercabiles, an non, quod super hoc stetur juramento illorum, qui eas portabunt.

Quod juramentum habeant et debeant prestare in manibus dictorum pariariorum vel alterius eorum, aut suorum pedagiariorum vel alicujus eorumdem; et, si jurare aut solvere recusarent, quod licite pignorentur, vel alias compellantur ad solvendum, modis licitis in dicto loco, per eosdem dominos vel gentes suas.

Quia vero plurimum affectamus dilectionem et amorem esse perpetuo inter partes predictas, propterea, ex potestate nobis data per dictos dominos pariarios, et voluntate ipsorum presentita, volentes dare de jure ipsorum dictis hominibus Aquarum Mortuarum, idcirco dicimus, diffinimus, arbitramur, volumus et pronunciamus, quod homines Aquarum Mortuarum, presentes et futuri, ab ista die in antea in perpetuum, sint liberi et immunes a solvendo pedagio sive staqua, in dicto stagno seu passu, dictis condominis seu pariariis, aut gentibus eorumdem de rebus infrascriptis:

Primo de molegiis farinarum bladi aut farine, quos pistores et pistrices Aquarum Mortuarum portant seu portari facient apud Aquas Mortuas, causa faciendi inde panem, ibidem vendendum, more pistricium seu pistorum, tantum.

Item de frucha, scilicet de nucibus, ficubus recentibus, racemis siccis, ceresiis, piris, pomis et aliis fructibus, et aliis victualibus, excepto pane et vino, pannis et aliis rebus et mercibus, que venduntur seu venderentur in botica sive *en gros*, vel etiam ad quintalia, seu sextaria, vel ad aunas, seu medias cannas, vel alias per draperios sive canabasserios, quo casu solvere teneantur, et super hoc stetur juramento portantium, ut supra continetur, vendendis in loco Aquarum Mortuarum.

Item dicimus, arbitramur, pronunciamus, declaramus et diffinimus quod dicti homines Aquarum Mortuarum, presentes et futuri, seu aliqui ex eis, non teneantur solvere dictum

pedagium de pane nec de vino, nec de aliis quibuslibet rebus, quas portabunt undecumque apud Aquas Mortuas, ad suum proprium usum, dum tamen non causa vendendi ibidem vel alibi, illa portent.

Quod si facerent, teneantur solvere, ut est superius dictum et super hoc etiam stetur juramento ipsorum, ut est superius dictum.

Item dicimus, pronuntiamus et arbitramur quod quelibet pars laudet et approbet, ratificet et confirmet dictum nostrum arbitrium supradictum, et laudare, approbare, ratificare et confirmare faciat, hinc ad instans festum Natalis Domini, ut promisit in dicto compromisso, et sub pena et juramento [in eo] contentis.

Et, salvis predictis, sit pax et finis perpetuus inter partes predictas.

Et consequenter dicte partes, videlicet dictus dominus Guillelmus Clari, Guito et dictus magister Thomas Fulcherii, quibus supra nominibus, predicta laudaverunt et emologaverunt, et etiam facere ratificari promiserunt juxta pronunciata, sub pena, sacramento et obligatione in dicto compromisso contentis, petentes de predictis sibi fieri publicum seu publica instrumenta.

Acta fuerunt hec in Montepessulano, juxta graneria domus episcopalis, presentibus testibus dominis Arnaudo de Petrono canonico Subisie, Santonensis diocesis, Johanne de Montelauro canonico Magalonensi, Bernardo de Tribus Fontibus priore Sancti Juliani, Petro Rotberti notario regio, Francisco de Sancto Petro supradictis, Hugone Borserii, Carlino Raymundi de Aquis Mortuis, et me Raymundo Calararii notario infrascripto.

Postque, anno quo supra et die proxime dictis, ego Alasacia, uxor quondam domini Hugonis de Porta, tutrix et

curatrix Johannis de Porta, filii communis mei et dicti quondam domini Hugonis viri mei, et heredis ejusdem, prout de predictis plenius constat per publicum instrumentum, inde receptum et signatum manu magistri Bndi Holanie notarii regii Montispessulani, certificata ad plenum de compromisso et pronunciatione supradictis, et alias de jure meo, predicta omnia et singula pro me et nomine meo proprio, et ut tutrix et curatrix dicti Johannis et curatorio nomine ejusdem, laudo, amolego, ratifico, aprobo et confirmo dictis consulibus, licet absentibus, et tibi Raimundo Celararii notario infrascripto, ut publice pro predictis consulibus et quorum interest stipulanti et recipienti, et contra non facere seu venire promitto, renuncians juris et facti ignorantie, doli et fraudis exceptioni ob causam et sine causa, et generaliter omni alii juri canonico et civili, usui et consuetudini, quo seu quibus possem contra facere seu venire.

Acta fuerunt hec in Montepessulano, presentibus testibus a paragrapho citra magistro Bernardo Guasqui notario regio, Juliano de Sancto Germano sartore Montispessulani, et me Raimundo Celararii notario infrascripto.

Post hec, anno quo supra et decima octava die novembris, ego Poncius Alamandini, burgensis Montispessulani certificatus plenarie de predictis, omnia universa et singula laudo, amologo, aprobo, ratifico et confirmo tibi dicto Raimundo Celararii, ut supra stipulanti et recipienti, et contra non facere seu venire promitto, renuncians scienter et expresse juribus et exceptionibus superius expressatis.

Acta fuerunt hec in Montepessulano, presentibus testibus a paragrapho citra, Johanne Ruphi, Petro Adzemari de Latis, et me Raimnundo Celararii notario infrascripto.

Post vero predicta, anno quo supra et XXIII die decembris, ego Gaudiosa, uxor quondam Guillelmi Alamandini mercatoris Montispessulani, ut tutrix et curatrix liberorum

meorum et dicti quondam Guillelmi mariti mei, prout de potestate mea latius continetur publico instrumento, inde recepto et signato manu magistri Bt. Boquerii notarii publici Montispessulani, certificata ad plenum de premissis compromisso et pronunciatione, ea omnia et singula laudo, aprobo, ratifico et confirmo dictis consulibus et tibi dicto Raimundo Celararii, tanquam publice persone stipulanti pro eisdem, et quorum interest aut interesse potest, et contra non facere nec venire promitto, juribus et exceptionibus supradictis penitus renunciando.

Acta fuerunt hec in Montepessulano, presentibus testibus domino Simone Alamandini licenciato in legibus, magistro Giraudo Feugerie notario, et me Raimundo Celararii, publico auctoritate regia notario, qui requisitus predicta in notam recepi et stipulatus fui.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. A, fol. 31 v°).

MDCCXI. — 4 novembre 1335

Le Chapitre de Maguelone approuve la fondation d'une chapellenie dans l'église de la Madeleine à Montpellier.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Amen. Anno ejusdem [Incarnationis] M° III^c tricesimo quinto, et scilicet quarta die novembris, domino Philippo rege Francorum regnante, et domino Pictavino Dei gratia Magalonensi episcopo, presidente, noverint universi quod, convocato ad campane sonitum, ut moris est, congregato venerabili Capitulo generali Ecclesie Magalonensi in Capitulo ipsius Ecclesie:

In qua congregatione interfuerunt reverendus in Christo pater dominus Pictavinus, divina providentia Magalonensis episcopus, residens et presidens in ipso Capitulo generali, ac venerabiles et religiosi viri domini Raimundus de Canil-

haco prepositus, Guillelmus de Jamoza prior claustralis, Bertrandus de Villanova Sancti Firmini de Montepessulano, Raimundus de Montadino de Lunello novo, Hugo de Combreto de Piniano, Raimundus de Melgorio de Cornone Terralli, Poncius de Olargio de Ballhanicis, Raimundus de Piniano Sancti Georgii, Hugo de Brodeto Beate Marie de Lundris, Rotbertus de Leracio de Molinis, Guillelmus Liaboti de Sancto Vinceneiano, Bernardus Capitis probi hominis de Claperiis, Johannes de Salvio de Adavo, Rostagnus de Leccis cellerarius, Autgerius Matfredi helemosinarius, Jacobus Fulci coquinarius, Gaufridus de Felgeriis Sancti Andree de Bodia, Berengarius de Fabricis [de Fabricis], Bernardus de Texeriis de Frontiniano, Stephanus Christiani de Venranicis, Jacobus Ymberti operarius, Petrus Audini Sancte Eulalie de Valle, Bernardus de Gabriaco de Ozorio, Bernardus de Texeriis de Castriis, Bertrandus de Cassio castello Sancti Ylarii de Centrayranicis, Petrus de Coliaco Sancti Briccii, Stephanus Saporis de Soregio, Bertrandus de Maudagoto Sancti Johannis de Bodia, Arnaudus Guillelmi de Marcafaba infirmarius, ecclesiarum priores:

Rostagnus de Marca, Arnaudus de Montadino, Stephanus de Cononis, Raymundus de Alba ruppe, Guillelmus Petri de Agantico, Guillelmus Vesiani, Poncius de Tezano, Bernardus de Galazanicis, Johannes Barrani, Johannes de Viridisicco, Berengarius de Conchis, Bertrandus Alacris, Rostagnus de Faberzano, Gilbertus de Bretis, T[h]omas de Vago, Andreas de Brachio forti, Johannes de Montelauro, Berengarius de Salvio, Petrus de Sobeyracio, Rostagnus Adzunaudi, Guillelmus de Vicenobrio, Hugo de Montelauro, Johannes de Leucis, Guillelmus de Quaranta, Petrus de Alba ruppe, Ymbertus de Monterodato et Poncius Vassalli, canonici Ecclesie Magalonensis, constituti in dicto Capitulo generali:

Petrus Causiti, burgensis Montispessulani, et dominus

Guillelmus de Ferrussaco, prespiter et capellanus perpetuus capellanie Beate Magdalene de Montepessulano, prope Sanctum Bartholomeum, presentaverunt et per me notarium infrascriptum legi mandaverunt prefatis dominis episcopo, preposito et Capitulo quoddam instrumentum, prima facie publicum, subscriptum et signatum manu Petri de Brolio, notarii publici regii.

Cujus tenor talis est:

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Amen. Anno ejusdem Incarnationis M° III° vicesimo octavo, scilicet octava die mensis junii, illustrissimo *etc.* noverint *etc.* quod Petrus Causiti *etc.*, *ut supra in hoc T. p. 15-25.*

Petens omnia et singula, contenta in dicto instrumento, per prefatos dominum episcopum, prepositum et Capitulum et eorum successores, approbari et ratificari, et ex certa scientia confirmari.

Et dicti domini episcopus, prepositus et Capitulum, viso dicto instrumento et contentis in eis, omnia et singula, in ipso instrumento contenta, salvis infra dicendis, per se et successores suos imperpetuum, approbaverunt et ex certa scientia confirmaverunt:

Salvo quod capellanus perpetuus dicte capellanie que (= qui est) et qui pro temporibus fuerint, loco illius floreni auri, quem sibi retinuit dictus dominus prior Sancti Firmini, in instrumento predicto, sibi dandi annuatim in signum subjectionis et reverentie, et dare teneatur, singulis annis, viginti solidos turonensium, parvorum bonorum, hodie currentium, dicto priori Sancti Firmini et successoribus suis.

Acta fuerunt hec in dicto Capitulo Magalone, testibus presentibus vocatis domino Raimundo Benedicti presbitero, Petro Luciani burgensi Montispessulani, magistro Arnaudo de Prato notario episcopali, et me Stephano de Pratis, no-

tario publico in tota terra et diocesi domini episcopi Magalonensis, qui requisitus hec omnia in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. D, fol. 145 r°).

MDCCXII. — 16 novembre 1335

Jacques Jacomini reconnaît que l'évêque a droit d'ériger des fourches patibulaires dans sa vigne à Puechagut.

In Dei nomine. Amen. Anno Incarnationis ejusdem M° CCC° XXXV°, videlicet XVI kalendas decembris, illustrissimo principe domino Philippo Francorum rege regnante, et reverendo in Christo patre domino Pictavino, Dei gratia Magalonensi episcopo presidente, noverint universi quod constitutus in presentia mei notarii et testium infrascriptorum, Jacobus Jacomini, cultor Montispessulani, subtus Sanctam Eulaliam, dixit se habere quamdam vineam in loco vocato *Puech agut*, in qua nuper fuerunt furche patibulares erecte et affixe per gentes dicti domini Magalonensis episcopi.

Dixit etiam se dici audivisse ab aliquibus gentibus, quod alias, retroactis temporibus, fuerunt in dicta vinea et in loco, in quo nuper erant affixe, alie furche patibulares per gentes domini Magalonensis episcopi, qui tunc erat.

Item dixit quod placet sibi, quod dictus Magalonensis episcopus, quotiens sibi placebit, possit et valeat libere dictas furchas patibulares erigere seu erigi facere et erectas ibidem tenere pro suo libito voluntatis.

Promittens per fidem suam bonam et simplicem venerabili et discreto viro domino Arnaudo de Petrono, canonico Subisie et procuratori dicti domini episcopi, pro ipso domino episcopo stipulanti et recipienti, quod quotiens dicte furche erigi contingerit per gentes dicti domini episcopi in

loco predicto non impediet nec impedire procurabit, quominus dicte furche stare et remanere possint in dicto loco plantate, nec propter [eas] querimoniam exponet coram superiore, sub obligatione omnium bonorum suorum presentium et futurorum, et renunciatione juris cujuslibet ad hec necessaria pariter et cauthela.

Acta fuerunt hec in domo episcopali Montispessulani in presentia et testimonio domini Petri Verdelli presbiteri, Guillelmi de Caneto de Montelauro clerici, Michaelis Arboreti, et mei Bernardi de Malafossa, publici auctoritate regia et dicti domini Magalonensis episcopi et sue curie Montispessulani notario, qui requisitus hec scripsi a dicto domino Arnaudo procuratore predicto, et signo meo solito infrascripto signavi.

Post hec, anno quo supra, et XII kalendas decembris, dicto domino Philippo rege regnante, et dicto domino Pictavino presidente, noverint universi quod, in presentia mei notarii et testium infrascriptorum constitutus, dictus Jacobus Jacomini dixit et proposuit quod furche patibulares, novissime affixe in quadam pocessione sua, quam habet in loco dicto *Puech agut*, affixe fuerunt alias in eodem loco, prout dici audivit per gentes dicti domini episcopi seu predecessorum suorum.

Et, si adhuc reaffigantur in dicto loco, placet sibi et placebit in futurum, quotienscumque idem dominus episcopus voluerit, quod dictas furchas reaffigat et replacet in dicto loco, seu affigi et plantari faciat, ipsius Jacobi voluntate alia et requisitione minime expectatis.

Et nolens incurrere ingratitudinem ullo modo, cum dicto domino episcopo et Ecclesie Magalonensi se sentiat obligatum propter servicia, et beneplacita et amores, per gentes ipsius domini episcopi sibi impensa hacthenus et ab antiquo, si quod dampnum aliquo modo posset reperiri, in dicta vinea sibi illatum, vel in posterum inferendum per gentes dicti domini episcopi, dicto domino episcopo et dicto domino

Arnaudo de Petrono, procuratori ejusdem domini episcopi, presenti, et hec et infrascripta stipulanti et recipienti, favorabiliter remisit et remittit de presenti:

Promittens quod, ad superioris recursum, pro premissis vel alias quovis modo, per se aut per alium, directe vel indirecte non habebit.

Et ita hec omnia et singula attendere, complere contraque non venire, nec venire facere promisit et juravit ad sancta Dei IIII^or euvangelia, a se corporaliter sponte tacta sub obligatione omnium bonorum suorum, presentium et futurorum, et renunciatione juris cujuslibet ad hoc necessaria pariter et cauthela.

De quibus omnibus et singulis, dictus dominus Arnaudus de Petrono, nomine quo supra, petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Acta fuerunt hec in domo episcopali Montispessulani, in presentia et testimonio domini Stephani Marquesii presbiteri, Johannis Ruphi, et mei Bndi de Malafossa, publici auctoritate regia et dicti domini Magalonensis episcopi et sue curie Montispessulani notarii, qui requisitus hec scripsi et signo meo solito signavi rogatus.

(Reg. B, fol. 149 v°).

MDCCXIII. — 20 novembre 1335

Le sénéchal de Beaucaire refuse de donner à l'évêque les pièces nécessaires pour son appel au roi au sujet de Puechagut, disant qu'il ne l'avait pas promis.

Anno Domini M° CCC° XXXV°, die XX mensis novembris, domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, noverint universi quod, constitutus apud Nemausum coram nobili et potenti viro domino Philippo de Pria milite, senescallo Bellicadri et Nemausi, magister Guillelmus Holanie

jurisperitus, procurator, ut dixit, et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Pictavini, Dei gratia Magalonensis episcopi, reddidit eidem domino senescallo quandam papiri cedulam scriptam, quam per me notarium infrascriptum legi petiit.

Cujus tenor talis est.

Existens in presentia nobilis et potentis viri domini Philippi de Pria militis, senescalli Bellicadri et Nemausi, magister Guillelmus Holanie jurisperitus, procurator et nomine procuratorio substitutus reverendi in Christo patris domini Pictavini, Dei gratia Magalonensis episcopi, dixit et proposuit coram eo, quod nuper dum dictus senescallus esset prope Terrallum dicti domini episcopi, in quodam loco appellato Podium accutum, magister Petrus Helie jurisperitus, procurator et nomine procuratorio dicti domini episcopi, a quibusdam gravaminibus, sibi illatis, appellavit ad dominum nostrum regem, prout de ipsa appellatione constat per instrumenta publica, inde sumpta manu magistri Bertrandi Auricule et Jacobi Fabri, notariorum publicorum regiorum;

Item dixit et proposuit quod dictus dominus senescallus, in responsione facta ad dictam appellationem, inter alia concessit dicto procuratori, pro apostolis, informationem, per ipsum dominum senescallum, ut dicebat, factam in et de causa, facto seu negocio super quod extitit appellatum, et copiam ipsius informationis.

Unde, cum dictus dominus senescallus nondum tradiderit sibi, nec tradi fecerit dicto procuratori copiam dicte informationis pro apostolis, idcirco, persistendo in dicta appellatione et ab ea nullathenus discedendo, requisivit dictum dominum senescallum sepe sepius et instanter, ut dictam copiam pro apostolis sibi, quo supra nomine, tradat seu tradi faciat realiter, juxta concessionem predictam, per ipsum alias factam, de qua constat per instrumentum inde sumptum manu dicti Bertrandi Auricule, notarii publici: alias protestatur de gravamine.

De quibus petiit sibi fieri publicum et publica instrumenta.

Qua cedula reddita, dictus procurator dixit, petiit et protestatus fuit, ut in ea continetur.

De quibus, una cum responsione dicti domini senescalli facienda, petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Et dictus dominus senescallus assignavit dicto magistro G., procuratorio nomine quo supra, ad responsionem suam audiendam diem crastinam, et alias ad faciendum quod fuerit rationis.

Cui assignationi dictus magister Guillelmus, quo supra nomine, dixit se non consentire, in quantum juri dicti domini sui prejudicare posset.

Et nichilominus petiit et requisivit ut supra.

Et dictus dominus senescallus nichilominus assignavit ut supra.

Acta fuerunt hec Nemausi, in curia dicti domini senescalli, presentibus testibus magistro Bertrando Aurelhe notario, Robino de Antonhi domicello, et magistro Johanne Camini, notario publico regio infrascripto.

Quo crastino, quod fuit anno quo supra, et intitulabatur die XXI dicti mensis novembris, apud Nemausum, coram dicto domino senescallo comparuit dictus magister Guillelmus Holanie jurisperitus, procurator et nomine procuratorio quo supra, videlicet dicti domini episcopi Magalonensis:

Petens et requirens, ac protestans in omnibus et per omnia ut supra.

Et dictus dominus senescallus dixit et respondit contentis in dicta cedula, quod, licet reperiatur dictam copiam dicte informationis, de qua fit mentio in cedula, per dictum pro-

curatorem reddita, fuisse concessam pro apostolis dicto appellanti, hoc non fuit de conscientia ipsius domini senescalli, sed erronee positum fuit.

Quare dixit se non debere nec tenere facere petita per dictum procuratorem.

Et dictus magister Guillelmus, nomine procuratorio quo supra, predicte responsioni, facte per dictum dominum senescallum, seu alteri faciende, non consentiit, in quantum juri dicti domini sui prejudicare posset, in supra petitis, requisitis et protestatis per eundem persistendo.

Et nichilominus dictus dominus senescallus dixit et respondit ut supra.

Acta fuerunt hec Nemausi, in parvo consistorio curie dicti domini senescalli, testibus presentibus discretis viris dominis Raymundo Saynerii, Guillelmo Boneria jurisperitis, procuratore regio dicte senescallie, et magistro Johanne Camini, notario publico regio et curie dicti domini senescalli, qui requisitus predicta in notam recepit.

De qua nota non cancellata *etc.*

(Reg. B, fol. 149 r°).

MDCCXIV. — 26 novembre 1335 (L. A.)

Reconnaissance faite au fermier de Sauve, agissant au nom de l'évêque.

Anno Domini 1335, et 26 novembris, Guillelmus de Roveria, parrochie de Campo bono, recognovit Arnaudo de Prato, renderio Salvii, procuratori episcopi Magalonensis, se tenere in emphiteosim a dicto episcopo et ejus curia Salvii, sub ejus directo dominio, laudimio, consilio, prelatione et avantagio, et censu infrascripto, peciam terre, sitam in

dicta parrochia, vocatam Paranis, confrontatam cum vallato de Leta, cum carreria publica, cum terris Marie Bonargue ex duabus partibus, et cum aliis terris recognoscentis.

Pro qua dat de censu unam eminam frumenti minus unam setzenam, in festo sancti Michaelis.

Actum Salvii: testes Johannes de Marchesio, Johannes de Putheo clerici, Guillelmus de (*blanc 2 cent.*): Guillelmus Robaudi, notarius regius, scripsit.

(Reg. C, fol. 118 r°).

MDCCXV. — 13 décembre 1335 (I. A.)

Autre reconnaissance faite au même fermier.

Anno Domini 1335, et 13 die decembris, Johannes *del Fanabregol*, parrochie Sancti Vincencii de Croso, recognovit Arnaudo de Prato, renderio Salvii, procuratori episcopi Magalonensis, se tenere ab episcopo et ejus curia Salvii, in emphiteosim, sub ejus directo dominio, laudimio, consilio, prelatione et avantagio, et censu infrascripto, peciam terre, sitam in dicta parrochia, loco vocato Cumba de Cojano, confrontatam cum terra Johannis de Triano, cum terris Petri de Plano, vallato in medio, cum vinea Bn. de Vallemala, et cum terris Petri de Turre pro uxore.

Pro qua dat de censu duodecim denarios turonenses in festo sancti Michaelis.

Actum Salvii, testes Poncius de Nozeriis clericus, Petrus de Podio alias Fornerii: Guillelmus Robaudi notarius scripsit.

(Reg. C, fol. 119 r°).

MDCCXVI. — 20 décembre 1335

Protestation du prévôt des monnayeurs de Melgueil contre le viguier, qui a violé les privilèges royaux.

Anno Domini M° CCC° tricesimo quinto, videlicet vicesima die mensis decembris, domino Philippo rege Francorum regnante, et reverendo in Christo patre domino Pictavino, Dei gratia Magalonensi episcopo, comite Melgorii et domino Montisferrandi, presidente, noverint universi quod existentes (= existens) sive constitutus in curia Melgorii ipsius domini episcopi et comitis, seu loco [in quo] ipsa curia tenebatur, et coram venerabili viro domino Francisco de Castaneto, domicello, vicario curie predicte Melgorii, Petrus Seyejas, major diebus, castri Melgorii, monetarius regius et prepositus monetariorum Melgorii, ut dixit, una cum Johanne Deodati, Johanne Mejanelli, Petro Bergondionis et Johanne Vituli, castri predicti Melgorii operariis regiis et de sacramento operariorum regis Francorum, ut dixerunt, tradiderunt michi, notario infrascripto, ibidem in presentia dicti domini vicarii, et inde per me, notarium infrascriptum, coram dicto domino vicario legi fecerunt quandam papiri cedulam scriptam.

Cujus tenor talis est:

Existentes Petus Syejas major diebus, monetarius et prepositus monetariorum, et Guiraudus de *Graveyzons*, operarius regius et prepositus operariorum regiorum Melgorii, una cum Johanne Deodati, Johanne Mejanelli, Petro Bergondionis, Johanne Vituli, operariis regiis et de sacramento operariorum regis Francorum, in presentia venerabilis viri domini vicarii Melgorii vel ejus locum tenentis, dixerunt et [e]idem domino vicario seu ejus locum tenenti proposuerun[t] quod ipse idem dominus vicarius citari fecit, die externa

(=hesterna), per servientem quemdam sue curie, dictos Johannem Deodati, Johannem Vituli, Johannem Mejanelli, Petrum Bergondionis, superius nominatos, ut coram eodem, sub certa pena, comparerent, die hodierna, contra tenorem et formam privilegiorum, per dictum dominum nostrum regem dictis monetariis et operariis concessorum; necnon et quemdam eorumdem arestavit de facto, salva sui gratia, reverentia et honore, cum de jure non possit, cum coram magistro monetariorum et operariorum predictorum, virtute privilegiorum eisdem concessorum, in omnibus casibus, tribus tantum exceptis, de quibus mentio habetur in litteris dictorum privilegiorum regis, [comparere debeant].

Item quod dicti monetarii et operarii predicti sunt exempti a jurisdictione cujuscumque, preterquam in tribus casibus, in dictis privilegiis contentis et expressis.

Item quod casus, pro quo citantur et citati fuerunt prenominati, non sunt (=est) de casibus ex[c]eptatis in dictis privilegiis dictorum monetariorum, cum citati fuerint ad sciendum an recusa facta extitit officiariis sive curialibus domini Magalonensis episcopi.

Item quod dicti monetarii et operarii Melgorii sunt in salvagardia speciali dicti domini nostri regis Francorum.

Item quod prenominati non delinquerunt seu aliquem ex dictis casibus, pro quibus coram eodem respondere haberent, si comisissent, comiserunt.

Quare dictus Petrus ut prepositus monetariorum, et Guiraudus ut prepositus dictorum operariorum, et prenominati Johannes Deodati, Johannes Vituli, Johannes Mejanelli, Petrus Bergondionis: pro seipsis et nominibus propriis, requisiverunt dictum dominum vicarium seu ejus locum tenentem quatenus velit prenominatis, suo mandato citatis et arrestatis, prout de facto eos citavit et arestavit, de facto velit ab omnibus examine et arresto, et a quocumque impedimento, adhibito contra tenorem, ut dictum est, dictorum privilegiorum relaxare et supersedere a procedendo contra eadem (=eosdem), contra formam, ut dictum est, et tenorem dictorum privilegiorum;

Alias protestatis (=protestati) fuerunt de contemptu et inhobedientia mandatorum regis predictorum, et de fraxione salvegardie regis, in qua dicti monetarii et operarii sunt et sua bona, pro quibus protestantur se velle habere recursum contra vos et bona vestra ad superiorem:

Protestantes et denotantes, ac notificantes vobis prenominatos et alios monetarios et operarios regis Melgorii esse privilegiatos dictis privilegiis, et esse [sub] protectione et salvagardia speciali dicti domini nostri regis Francorum: de quibus facta extitit in curia Melgorii fides; in qua curia dicta salvagardia fuit acthenus intimata.

De quibus omnibus una cum respontione dicti domini vicarii, seu ejus locum tenentis, petierunt sibi fieri publicum instrumentum.

Et dictus dominus vicarius petiit copiam dicte cedule sibi tradi, assignando prenominatis, ad audiendum suam respontionem super premissis, in dicta cedula contentis, primam diem jurisdictionis (=jovis?) post festum Natalis Domini prope venturum, et etiam de die in diem, habito suo consilio super eisdem.

Cui assignationi prenominati dixerunt se minime consentire.

Et dictus dominus vicarius petiit et assignavit ut supra. De quibus omnibus prenominati petierunt sibi fieri publicum instrumentum.

Actum in dicta curia Melgorii; testes horum fuerunt Raimundus Ayla, Raimundus Alamberti de Melgorio, et plures alii, et ego Guillelmus Melii, notarius publicus Melgorii, qui requisitus predicta in notam recepi, scripsi et signo meo signavi.

(Reg. C, fol. 91 v°).

MDCCXVII. — 10 janvier 1335 (n. s. 1336)

Philippe de Valois charge le recteur de Montpellier de juger les appels faits par l'évêque au sujet de Puechagut.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, rectori nostro Montispessulani vel ejus locum tenenti, salutem.

Cum procurator dilecti et fidelis nostri episcopi Magalonensis, comitis Melgorii, a quibusdam ordinatione et mandato, et aliis gravaminibus, vim difinitive sententie importantibus, per senescallum Bellicadri contra ipsum episcopum et pro abbate Aniane extrajudicialiter indebite factis, super amotione et dirutione quarumdam furcharum patibularium, in quarum pocessione dictus episcopus erat et sui predecessores fuerant ab antiquo, ut fertur, prope castrum de Terrallo dicti episcopi, in loco dicto Podium acutum, ad nos asserat legitime appellasse, tanquam ab iniquis seu nullis.

Nos causam appellationis et nullitatis hujusmodi vobis audiendam comittimus, et fine debito terminandam.

Mandantes vobis quatenus, hujusmodi causa pendente, in ipsius seu dicti appellantis prejudicium non permittatis aliqua innovari, innovata seu attemptata, si que sunt, ad statum pristinum faciatis indilate reduci.

Ab omnibus autem nobis subditis et justiciariis vobis in premissis parere volumus et mandamus.

Datum apud Montem albanum, X die januarii, anno Domini M° CCC° XXXV°.

(Reg. B, fol. 150 v°, 151 r°, 151 v°, 152 v°)

MDCCXVIII. — 17 janvier 1335 (n. s. 1336)

Le recteur royal de Montpellier somme l'abbé d'Aniane de comparaître dans quinze jours au sujet de Puechagut.

Anno Dominice Incarnationis M° CCC° XXXV°, scilicet XVII die januarii, domino Philippo rege Francorum regnante, noverint universi quod constitutus in domo, quam inhabitat in Montepessulano nobilis et potens vir dominus Hugo de Carsano miles, rector regius Montispessulani, coram venerabili et discreto viro domino Bertrando Guillelmi jurisperito, locum tenente, ut dicitur, dicti domini rectoris regii absentis, videlicet discretus vir magister Petrus Helie jurisperitus, procurator et procuratorio nomine reverendi in Christo patris domini Pictavini, Dei gratia Magalonensis episcopi, in presentia mei notarii et testium infrascriptorum, presentavit eidem domino locum tenenti quasdam patentes litteras serenissimi principis domini Francorum regis supradicti, ejusque magno sigillo inpendenti sigillatas, ut prima facie apparebat: quas petiit legi per me notarium infrasriptum.

Quarum quidem litterarum tenor de verbo ad verbum dinoscitur esse talis:

Philippus, Dei gratia *etc., ut supra, T. V. p. 653.*

Quibus litteris presentatis et per ipsum dominum locum tenentem visis et inspectis, dictus procurator requisivit dictum dominum locum tenentem, ut contenta in dictis litteris regiis adimpleat, et in causa appellationis, de qua fit mentio in dictis litteris, procedat ut rationis fuerit atque justum.

Et dictus dominus locum tenens et comissarius obtulit se paratum contenta in dictis litteris adimplere juxta ipsarum

continentiam et tenorem, et in ipsa causa appellationis procedere, quamdiu dictus dominus rector absens fuerit, ut rationis fuerit.

Precipiens Guillelmo Raimundi, servienti regio Montispessulani, ibidem presenti, quatenus ad dictum dominum abbatem et procuratorem regium personaliter accedat, et ipsos et eorum quemlibet citet ut, a die lune proxima in XV diebus, compareant in curia regia Montispessulani coram dicto domino locum tenenti seu coram dicto domino rectore, comissario predicto, in dicta causa appellationis, ut justum fuerit et rationis processuro, si qua putaverint interesse.

Et fuerunt horum testes dominus Petrus Verdelli presbiter, magistri Johannes de Affriano, Guillelmus Holanie, jurisperiti de Montepessulano, et ego Jacobus Fabri notarius infrascriptus.

Post hec, eadem die, dictus Guillelmus Raimundi, serviens predictus, existens coram reverendo in Christo patre domino abbate Aniane, mandato sibi facto per dictum dominum Bertrandum Guillelmi, locum tenentem et comissarium, per dictum dominum Francorum regem deputatum, in causa appellationis, facte per dictum dominum Magalonensem episcopum seu ejus procuratorem, super facto furcharum Podii acuti, ad instantiam procuratoris dicti domini Magalonensis episcopi, in presentia mei notarii et testium infrascriptorum, dictum dominum abbatem, ibidem presentem, virtute litterarum et mandati predictorum, citavit ut, a die lune proxima in XV diebus compareret in curia regia Montispessulani, coram dicto domino locum tenente seu coram dicto domino rectore, comissario predicto, in dicta appellationis causa ut justum et rationis fuerit processuro.

De quibus dictus serviens petiit sibi fieri publicum instrumentum per me notarium supra et infra scriptum.

Et dictus dominus abbas dicte citationi, de facto facte per

dictum Guillelmum Raimundi non consentiit, in quantum sibi et monasterio suo prejudicare posset:

Adhiciens se non teneri parere dicto domino Bertrando Guillelmi, nec dicto Guillelmo Raimundi per consequens, ut comissario seu comissariis, nisi fidem faciant de mandato seu potestate eis et cuilibet eorum facto seu facta:

Offerens se paratum eisdem parere, et quatenus tenebitur et debebit, eo casu quo fidem facient eidem domino abbati de potestate eisdem vel alteri eorum data:

Petens premissa inseri in instrumento, si quod fiat, dicte citationis.

Acta fuerunt hec, a proximo paragrapho citra in domo Cellenove dicti domini abbatis Aniane, testibus presentibus Petro de Manhania campsore, Petro et Guillelmo Fabri fratribus, mercatoribus Montispessulani, et pluribus aliis, et me prefato Jacobo Fabri, notario infrascripto.

Post hec, eadem die, dictus serviens, una mecum notario supra et infra scripto, accedens ad domum, que dicitur esse domini abbatis Psalmodiensis, prope portaletum vocatum de Montepessulaneto, in qua dicebatur esse magister Raimundus Saynerii jurisperitus, procurator regius, ibidem in presentia ipsius constitutus, mandato sibi facto per dictum dominum Bertrandum Guillelmi, locum tenentem dicti domini rectoris et comissarii, per regiam magestatem deputati in causa appellationis, facte per dictum dominum Magalonensem episcopum, seu ejus procuratorem, super facto furcharum Podii acuti, ad instantiam procuratoris dicti domini Magalonensis episcopi in presentia mei notarii et testium infrascriptorum, virtute litterarum et mandati predictorum, citavit dictum magistrum Raimundum Saynerii, procuratorem regium, presentem ibidem, ut, a die lune proxima in XV diebus, compareret in curia regia Montispessulani, coram dicto domino locum tenente, seu coram dicto domino rectore, comissariis predictis, in dicta causa appellationis, ut fuerit rationis, processuris.

De quibus dictus serviens petiit sibi fieri publicum instrumentum per me notarium supra et infra scriptum.

Et dictus procurator regius dixit quod ipse penitus ignorat, ymo non credit quod dictus locum tenens rectoris sit comissarius a regia magestate deputatus ad citandum eundem, cum non appareat nec sibi fides fiat de potestate quam pretendit habere.

Et nichilominus dictus serviens dictam citationem fecit ut supra.

Et dictus procurator regius respondit ut supra.

Testes horum fuerunt a proximo paragrapho citra magister Guillelmus Lunesii notarius regius Nemausi, Bndus filius alterius Bndi Salas campsoris Montispessulani, et ego prefatus Jacobus Fabri, publicus auctoritate regia notarius, qui, una cum dictis testibus [presens] fui, et requisitus predicta omnia in notam recepi et facere (=feci) publicum instrumentum, scripsi et signum meum hic apposui.

(Reg. B, fol. 150 v° et 151 v°).

MDCCXIX. — 18 janvier 1335 (n. s. 1336).

Au nom du recteur royal de Montpellier, le procureur de l'évêque somme le sénéchal de Beaucaire de comparaître dans quinze jours au sujet de Puechagut.

Anno Domini M° CCC° XXXV°, et die XVIII mensis januarii, domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, noverint universi quod constitutus magister Petrus Helie jurisperitus, procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Pictavini, Dei gratia Magalonensis

episcopi, in presentia nobilis et potentis viri domini Philippi de Pria, militis dicti domini nostri regis, senescalli Bellicadri et Nemausi, meique Bertrandi Aurelhe notarii et testium infrascriptorum, exhibuit et presentavit eidem domino senescallo, ac per me notarium infrascriptum legi petiit quandam patentem litteram a locum tenente nobilis viri domini Hugonis de Carssano militis, rectoris regii Montispessulani, ut in ea legebatur, emanatam, a tergo ejusdem sigillatam.

Cujus quidem littere tenor talis est:

Nobili et potenti viro domino Philippo de Pria militi, senescallo Bellicadri et Nemausi, Bertrando Guillelmi jurisperito locum tenenti (=Bertrandus Guillelmi jurisperitus locum tenens) nobilis viri domini Hugonis de Carsano militis, rectoris regii Montispessulani, comissariique ad infrascripta per regiam magestatem deputati, salutem cunctis felicitatibus opulentam.

Litteras regias patentes dicte nostre comissionis nos recepisse noveritis sub hiis verbis:

Philippus Dei gratia *etc.*, *ut supra*, *T. V*, *p. 653.*

Quarum litterarum auctoritate, premissa vobis intimantes et vos de eisdem certificantes, ex parte regia vos requirimus et etiam inhibemus, et ex parte nostra rogamus, quatenus, pendente dicta appellationis causa, in ejus prejudicium seu dicti appellantis, nil innovetis, attemtetis, seu innovare vel attemptare a quoquam permittatis;

Citantes vos nichilominus ut, a die lune proxima in XV diebus, coram nobis seu dicto domino rectore et commissario predicto, in curiam regiam Montispessulani compareatis, in dicta appellationis causa processuri, ut fuerit rationis, si vestra putaveritis interesse.

Datum in Montepessulano, die XVII januarii, anno Domini M° CCC° XXXV°.

Quibus quidem litteris presentatis, dictus magister Petrus Helie, nomine procuratorio quo supra, dixit, petiit, intimavit, inhibuit et alias fecit, prout in dictis litteris continetur.

Et dictus dominus senescallus dictas litteras habuit pro lectis; et ad audiendum responsionem suam super contentis in litteris predictis, diem sabbati proximam assignavit.

Cui assignationi dictus magister Petrus, quo supra nomine, non consentiit, in quantum sibi, quo supra nomine, prejudicari posset.

Et nichilominus dictus dominus senescallus dixit et assignavit ut supra.

De quibus omnibus et singulis supradictis, tam dictus procurator quam dictus dominus senescallus petierunt eorum cuilibet fieri publicum intrumentum per me notarium supra et infra scriptum.

Acta fuerunt hec Nemausi, in viridario aule regie, presentibus testibus, Serinno Johannis, Jacobo de Manso de Anicio, Johanne de Tornodoro et magistro Bertrando Aurelhe dicti domini nostri regis notario publico, qui predicta omnia et singula in notam recepit.

Postque anno quo supra, et die XX mensis januarii, dicto domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, existens magister Petrus Helie, procurator predictus et nomine procuratorio quo supra, in presentia dicti domini senescalli meique notarii et testium infrascriptorum, obtulit se paratum audire responsionem super contentis in dictis litteris, si quam dictus dominus senescallus facere voluerit juxta presentis diei assignationem:

Protestans quod per ipsum non stat nec stabit, quominus eamdem audiat, sed per dominum senescallum predictum.

Et dictus dominus senescallus dixit et respondit quod in

quantum contenta in dictis litteris prejudicarent seu prejudicare possent juri dicti domini nostri regis, eisdem non consentiit. neque citationi in eisdem litteris contente.

Cui responsioni magister Petrus Helie, procuratorio nomine quo supra. non consentiit.

Et nichilominus dictus dominus senescallus dixit, respondit et non consentiit ut supra.

De quibus omnibus et singulis supradictis, tam dictus magister Petrus Helie, procuratorio nomine quo supra, quam dictus dominus senescallus petierunt eorum cuilibet fieri publicum instrumentum per me notarium supra et infra scriptum.

Acta fuerunt hec Nemausi, in aula regia dicti domini senescalli, testibus presentibus magistro Abberte Nisse notario, Petro Garini clerico, Johanne Seguini serviente regio et magistro Bertrando Aurelhe, notario dicti domini regis publico, qui predicta omnia et singula in notam recepit.

De cujus nota non cancellata *etc.*

(Reg. B, fol. 152 v°).

MDCCXX. — 21 janvier 1335 (n. s. 1336)

Le recteur royal de Montpellier délègue Pierre Ricard pour juger les appels de l'évêque au sujet de Puechagut.

Anno Dominice Incarnationis M° CCC° XXXV°, scilicet XXI die januarii, domino Philippo rege Francorum regnante, noverint universi quod existens in presentia mei notarii et testium infrascriptorum, discretus vir magister Guillelmus Clari jurisperitus, procurator et procuratorio nomine reverendi in Christo patris domini Pictavini, Dei gratia Magalonensis episcopi, presentavit venerabili et discreto viro domino Pe-

tro Ricardi, jurisperito, quasdam patentes litteras, in papiro scriptas, nobilis et potentis viri domini Hugonis de Carsano militis, rectoris regii Montispessulani, ejusque sigillo in dorso earumdem sigillatas, ut prima facie apparebat;

Quarum tenor talis est:

Hugo de Carsano miles, rector regius Montispessulani, venerabili viro domino Petro Ricardi, clerico domini nostri regis, salutem.

Litteras patentes domini nostri regis nos noveritis recepisse sub hiis verbis:

Philippus, Dei gratia *etc.*, *ut supra*, *T. V*, *p. 653.*

Verum cum, aliis negotiis regiis occupati, intendere nequeamus, vobis, de cujus legalitate et ct circumspectione ab experto confidimus, super omnibus et singulis, in dicta comissione contentis, tenore presentium comittimus vices nostras.

Datum in Montepessulano, XIX die januarii, anno Domini M° CCC° XXXV°.

Qua presentata, petiit et requisivit dictum dominum comissarium attemptata et innovata post et contra dictam appellationem, ex suo officio, ante omnia ad statum pristinum reduci, et deinde in causa appellationis predicte procedi, ut fuerit rationis.

Et dictus dominus Petrus, dictam comissionem reverenter recipiens, concessit litteras et servientes ad exequendum contenta in dictis litteris, et alias obtulit se processurum juxta contenta in litteris supradictis.

De quibus magister Guillelmus Clari petiit sibi fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Acta fuerunt hec in Montepessulano, in domo habitationis ipsius domini Petri Ricardi, presentibus testibus magistro Johanne de Costubagua notario, Bertrono Baroti habitatoribus Montispessulani, et me Jacobo Fabri, publico auctoritate regia notario, qui, una cum dictis testibus, presens fui, et requisitus predicta omnia in notam recepi et facere (= feci) publicum instrumentum.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. B, fol. 153 v°).

MDCCXXI. - 23 janvier 1335 (n. s. 1336)

Pierre Ricard, délégué, fait rétablir les fourches patibulaires de Puechagut, et citer l'abbé d'Aniane, le sénéchal et l'avocat dn roi à comparaître dans quinze jours.

Anno Dominice Incarnationis M° CCC° XXXV°, scilicet XXIII die januarii, domino Philippo rege Francorum regnante, existens in presentia mei notarii et testium infrascriptorum, magister Petrus Helie jurisperitus, procurator et procuratorie nomine reverendi in Christo patris domini Pictavini, Dei gratia Magalonensis episcopi, prope castrum de Terrallo dicti domini episcopi, presentavit Guillelmo Raimundi et Philippo de Roncino, servientibus regiis Montispessulani, ibidem presentibus, quasdam patentes litteras venerabilis viri domini Petri Ricardi, clerici regii, et suo sigillo a tergo, ut prima facie apparebat, sigillatas, tenorem qui sequitur continentes.

Petrus Ricardi, clericus domini nostri regis, comissarius in hac parte specialiter deputatus, Guillelmo Raimundi et Johanni Castanherii, servientibus regiis, ceterisque servientibus Montispessulani dicti domini nostri regis, ad quos pre-

sentes littere pervenerint, et eorum quilibet seu alteri eorumdem, salutem.

Litteras nostre comissionis ac litteras regias, de quibus in eisdem habetur mentio, nos recepisse noveritis sub hiis verbis.

Hugo de Carssano miles, rector regius *etc.*, *ut supra in hoc T. p. 661 usque ad*:

Datum in Montepessulano, XIX die januarii, anno Domini M° CCC° XXXV°.

Ceterum cum, per instrumenta publica super appellatione hujusmodi et responsionibus dicti domini senescalli, ad eam subsequentibus et factis, nobis in formam publicam exhibitis et hostensis, appareat furchas, de quibus in eisdem litteris fit mentio, adhuc tempore dictarum appellationis et responsionum esse et extare erectas, dicaturque ipsas furchas post dictas appellationes et responsiones per dictum dominum senescallum, seu ejus mandato, fuisse et esse dirutas.

Igitur, auctoritate dictarum litterarum, ad instantiam et requisitionem procuratoris dicti domini episcopi, vobis et vestrum cuilibet precipiendo mandamus, quatenus ad locum furcharum et dictum dominum abbatem personaliter accedentes, dictas furchas (= dictis furchis) in loco ubi, tempore dictarum appellationum, erecte existebant, per vos prius reerectis et in statum pristinum reductis, citetis et perhemptorie dictum dominum abbatem Aniane, dictum dominum senescallum, et procuratorem et advocatum regios, si sua putaverint interesse, ut, ab hodierna die in XV diebus, apud Montempessulanum, in curia regia compareant coram nobis, licet alias citati fuisse dicantur, in dicta appellationis causa processuris, ut fuerit rationis;

Inhibendo eisdem ex parte regia et nostra, ne, dicta causa appellationis pendente, aliquid super premissis innovent seu attemptent juxta dictarum litterarum regiarum continentiam et tenorem.

Datum in Montepessulano, XXII die januarii, anno Domini M° CCC° XXXV°.

Reportantes litteras sigillatas, et de premissis faciatis fieri publicum instrumentum.

Quibus litteris presentatis et per me notarium infrascriptum in vulgari dictis servientibus expositis, dictus procurator requisivit, dictos servientes et eorum quemlibet, ut exequerentur contenta in dictis litteris, juxta ipsarum continentiam et tenorem.

Qui quidem servientes, auditis et intellectis contenta in dictis litteris, obtulerunt se paratos contenta in eisdem effectualiter adimplere.

De quibus dictus procurator petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Testes horum fuerunt Bt. de Villanova castellanus Montisferrandi, dominus Guillelmus Bndi presbiter de Porssano, Mich[a]el *Arbout* carcerarius curie episcopalis Montispessulani, Bndus *Garrigas* clericus de Gijano, et ego Jacobus Fabri, notarius infrascriptus.

Postque incontinenti, dicti servientes una cum dicto procuratore et testibus infrascriptis accedentes ad dictum locum de Podio accuto et ibidem existentes, receperunt in testes, ante omnia, Petrum Velerii, Bndum de Buxo, Johannem Robini de Montepessulano, Symonem Raynulphi de Vedacio, Bndum Augerii de Sancto Georgio, Guillelmum Onexi de Villamagna, Bndum Ayfredi Lodovensem, Bndum Salvani laboratorem ad informandum eosdem in quo loco fuerant alias dicte furche pro domino episcopo supradicto.

Qui quidem testes, jurati de veritate dicenda, dixerunt suo juramento se alias vidisse furchas erectas pro dicto domino episcopo in dicto vertice dicti Podii accuti.

Et, cum in dicto vertice apparerent concavitates, in qui-

bus verisimiliter videbatur alias fuisse furchas, et adhuc in dictis concavitatibus esset de fusta, que dicebatur fuisse aliarum furcharum, dicti testes dixerunt se credere quod in dictis concavitatibus fuissent alie furche, de quibus superius testificati fuerunt.

Qua informatione recepta, dicti servientes, juxta mandatum superius factum, cavari fecerunt in dictis concavitatibus, et ibidem erigi quasdam furchas fusteas ad requisitionem dicti procuratoris, exequendo mandatum super hiis sibi factum.

De quibus dictus magister Petrus Helie et dicti servientes petierunt sibi fieri publicum instrumentum.

Acta fuerunt hec in dicto loco Podii accuti, testibus presentibus a precedenti paragrapho citra Bertrando de Villanova castellano Montisferrandi, Petro Fave, Rostagno Egidii, Johanne Tabernarii fusterio Montispessulani, Michaele Arbouti carcerario, Manaudo Berengarii serviente curie episcopalis Montispessulani et me Jacobo Fabri notario infrascripto.

Post hec, eadem [die], dicti servientes, constituti in presentia reverendi in Christo patris domini abbatis Aniane, presentaverunt ac per me notarium supra et infra scriptum legi fecerunt dictas litteras ipsius domini Petri Ricardi supra insertas.

Quibus presentatis et lectis, ipsum dominum abbatem, ibidem presentem certificaverunt quod ipsi reerexerunt furchas in dicto loco de Podio acuto; et ipsum citaverunt ad diem et locum, in dictis litteris contenta, et eidem inhibitionem fecerunt juxta formam eis traditam.

De quibus petierunt fieri publicum instrumentum.

Et dictus dominus abbas petiit primo sibi fieri copiam de quadam citatione, acthenus verbo facta per dictum G. Rai-

mundi, mandato locum tenentis dicti domini rectoris, citra omnem consensum;

Petiitque copiam istius citationis, si citatio dici mereatur, ut deliberare valeat super eis, non consentiendo in predictum dominum rectorem, vel locum tenentem seu comissarium ipsius, nisi quathenus de jure astringeretur;

Protestato etiam de recusationibus personarum et locorum, et appellationibus, suo loco et tempore faciendis.

Et nichilominus dicti servientes, tradita copia presentis citationis, dicto domino abbati dictam citationem et inhibitionem fecerunt ut supra.

Acta fuerunt hec in loco vocato Valcrosa, in domo ipsius domini abbatis, presentibus testibus, a proximo paragrapho citra, religiosis viris dominis Esquinio de Monteferrario monacho Figiaci Cluniacensis ordinis, dominis Petro de Ponte, Bndo Blaquerii monachis Aniane, Bndo de Oratorio scutifero dicti domini abbatis, et me Jacobo Fabri, notario infrascripto.

Post hec, anno quo supra, et XXV die januarii, cum dictus Guillelmus Raimundi, serviens predictus, una mecum notario supra et infra scripto, accessisset ad domum domini abbatis Spalmodiensis (= Psalmodiensis) de Montepessulano, in qua dicitur habitare magister Johannes de Regordava jurisperitus, ibidem in presentia magistri Raimundi Saynerii jurisperiti, procuratoris regii, constitutus, presentavit, ac per me notarium supra et infra scriptum legi petiit dictas litteras dicti Petri Ricardi supra insertas.

Quibus presentatis, visis et inspectis per dictum magistrum Raimundum Saynerii, dictus serviens ipsum magistrum Raimundum citavit ad diem [et] locum, in dictis litteris designata; et inhibitionem eidem fecit juxta tenorem mandati sibi facti.

De quibus dictus serviens petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Et dictus procurator regius dixit quod ipse, pro negociis explicandis, Parisius in parlamento in brevi iter suum arripere debet, et de die in diem perquirit processus instrumenta et alia legitima documenta sibi necessaria pro predictis; propter que in predicto negocio adesse non potest absque magno dispendio et dampno domini nostri regis et jurium ejusdem.

Verumptamen [quia] supradicta tangunt seu tangere possunt jus domini nostri regis, vocetur dominus Guillelmus Bonerii, procurator regius dicte senescallie et advocatus regius, qui in presenti parlamento Parisius accedere non habet, si dicto domino Petro Ricardi videatur.

Testes horum fuerunt a proximo paragrapho citra magister Guillelmus Lunesii notarius Nemausi, Petrus Becede clericus de Montepessulano, Raimundus Guiraudi de Galanicis ga[r]cifer dicti magistri Raimundi Saynerii, et ego Jacobus Fabri notarius infrascriptus.

Post hec, anno quo supra, scilicet prima die febroarii, Johannes de *Aynes*, serviens regius Montispessulani, constitutus in presentia venerabilis viri domini Baudeti Macarelli legum professoris, advocati regii, presentavit ac per me notarium supra et infra scriptum legi petiit dictas patentes litteras domini Petri Ricardi supradicti; quarum tenor superius est insertus.

Quibus presentatis, lectis et inspectis per dictum dominum advocatum, et copia earumdem sibi tradita, dictus serviens regius citavit dictum dominum advocatum presentem ad diem et locum, in dictis litteris contenta, et eidem inhibitionem fecit juxta formam et continentiam litterarum predictarum.

De quibus dictus serviens petiit sibi fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Acta fuerunt in Montepessulano, presentibus testibus, a proximo paragrapho citra, magistris Petro de Bavio jurisperito, Petro Galhardi notario, Bndo Pontii habitatore Montis-

pessulani, et me sepedicto Jacobo Fabri, publico auctoritate regia notario, qui una cum dictis testibus presens fui, et requisitus predicta omnia in notam recepi, et facere (= feci) publicum instrumentum.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. B, fol. 154 r°).

MDCCXXII. — 31 janvier 1335 (n. s. 1336)

Appel par les procureurs royaux de la sénéchaussée de Beaucaire contre Pierre Ricard au sujet de Puechagut.

In Dei nomine. Amen. Anno ejusdem Incarnationis M° CCC° XXXV°, et die ultima mensis januarii, illustrissimo principe domino Philippo Dei gratia rege Francorum regnante, noverint universi quod, existens sive personaliter constitutus in Montepessulano, juxta curiam regiam prefati domini nostri Francorum regis, nobilis vir dominus Petrus de Bavio, jurisperitus de Montepessulano, procuratorque regius substitutus, ut dicitur, a venerabili et discreto viro domino Guillelmo Bonerii jurisperito, procuratore regio, ut dicitur, in senescallia Bellicadri et Nẹmausi a magestate regia constituto, in presentia vẹnerabilis et discreti viri domini Petri Ricardi jurisperiti, clerici regii comissariique, ut dicitur, constituti ad infrascripta, in infrascripto instrumento contenta, per nobilem et potentem virum dominum Hugonem de Carsano militem, rectorem regium Montispessulani, exhibuit et hostendit eidem dictum (*sic*) quoddam infrascriptum, prima facie publicum, instrumentum, quandam appellationem in se continentem (= continens);

Quare incontinenti dictus procurator substitutus eidem intimavit in mei notarii et testium infrascriptorum presentia.

Cujus quidem instrumenti tenor talis est:

Anno Domini Mº CCCº XXXVº, et die XXIX mensis januarii, domino Phillippo Dei gratia rege Francorum regnante, apud Nemausum, coram nobili viro domini Petro Maurelli, domini regis clerico, judice majore senescallie Bellicadri et Nemausi, et in consistorio curie domini senescallo dicte senescallie, existentes domini Raimundus Saynerii et Guillelmus Bonerii, procuratores regii in senescallia predicta, et reddiderunt quandam papiri cedulam scriptam, dicentes, petentes, appellantes et protestantes ut in ea continetur, quam legi petierunt per me notarium infrascriptum; que fuit leota.

Cujus tenor talis est:

Cum oppressis et contra justiciam agravatis appellationis seu provocationis remedium sit a jure indultum: et nos Guillelmus Bonerii et Raimundus Saynerii, procuratores in senescallia Bellicadri, sentiamus nos, quo supra nomine, agravatos a vobis domino Petro Ricardi, qui vos dicitis comissarium deputatum per nobilem dominum Hugonem de Carsano militem, rectorem regium Montispessulani, a magestate regia, ut dicitur, comissarium deputatum super quadam causa appellationis, interjecte, ut dicitur, per procuratorem domini Magalonensis episcopi, a quadam ordinatione et processibus factis super amotione et dirutione quarumdam furcharum patibularium, scitarum in loco dicto Podium accutum:

Et ex eo et pro eo quia vos, sine cause cognitione et nobis non vocatis, nec alio pro jure regio deffendendo, ad finem frustrandi quandam inquisitionem, inceptam contra dictum dominum Magalonensem episcopum et ejus vicarium, et quosdam alios eorum complices, super eo quod dictum dominum episcopum seu ejus officiales, ejus mandato, cum multitudine armatorum, dictas furchas in dicto loco Podium accutum erecxisse seu erigi fecisse (*sic*), non obstante quod dictus locus esset per gentes regias positus sub manu regia, eaudem manum regiam frangendo et etiam violando, et lit-

teras multum prejudiciales dicte inquisitioni et juri regio. dicto domino episcopo seu ejus procuratori concessistis, et executioni demandastis seu demandare fecistis per Guillelmum Raimundi et Johannem Castanherii. servientes regios.

Quarum litterarum tenor talis est:

Petrus Ricardi. clericus domini nostri regis. comissarius in hac parte specialiter deputatus, Guillelmo Raimundi et Johanni Castanherii, servientibus *ut supra in hoc T. p. 662 usque ad*:

Reportantes litteras sigillatas et de premissis faciatis fieri publicum instrumentum.

Idcirco a predictis concessione litterarum et executore (= executione) earumdem, et ab erectione dictarum furcharum et ab omnibus et singulis, inde factis per dictum dominum Petrum Ricardi et processibus ejusdem, tanquam ab iniquis, salvo jure nullitatis de qua prosequenda. si et nulla appareant predicta, protestamur. ad dominum nostrum regem provocamus et appellamus, et apostolos petimus sepe et sepius illa instantia, qua eos convenit postulare, nobis concedi et tradi per dictum dominum Petrum Ricardi:

Et hanc appellationem seu provocationem facimus in loco publico, in concistorio Nemausi domini senescalli Bellicadri coram autentica persona, videlicet venerabili viro domino Petro Maurelli, judice majore dicte senescallie Bellicadri et Nemausi.

Protestans quod presentem appellationem seu provocationem, quam primum poterimus habere presentiam dicti domini Petri Ricardi, infra tempus legitimum intimabimus eidem, et recipiemus apostolos, si qui nobis concedantur et tradantur per dictum dominum Petrum.

De quibus petimus nobis fieri publicum instrumentum.

Acta fuerunt hec predicta Nemausi, in dicto consistorio, presentibus testibus discretis viris dominis Br. de Rayssaco, Pontio de Margaritis, Petro Fabri, Gaufrido de Sancto Paulo,

jurisperitis, et magistro Stephano Gauterii, publico dicti domini regis notario, qui de predictis notam recepit.

De qua nota non cancellata, ego Petrus Castaris de Crespeyo, clericus juratus et substitutus dicti notarii auctoritate regia ejusque mandato, hoc instrumentum publicum sumpsi, scripsi fideliter et extraxi.

Ego vero Stephanus Gauterii, notarius predictus, in testimonium premissorum hic me subscripsi et signo meo signavi.

Quo instrumento exhibito et hostenso per dictum procuratorem substitutum eidem domino Petro, comissario antedicto, dictus procurator substitutus dixit, petiit, requisivit, protestatus fuit, provocavit et appellavit, ac etiam intimavit, prout in dicto instrumento superius designato continetur.

Et dictus dominus Petrus Ricardi petiit copiam dicti instrumenti superius designati.

Qua habita, assignavit eidem, ad suam responsionem audiendam et ad deliberandum super contentis in ea, diem lune proximam.

Cui assignationi dictus procurator substitutus, in quantum juri regio prejudicare posset, non consentiit, in sua appellatione, provocatione, protestatione et intimatione persistendo, ut supra in dicto instrumento superius designato continetur.

Attamen incontinenti dictus procurator substitutus tradidit, pro vero et publico, realiter pro dicta copia dicto domino Petro Ricardi dictum instrumentum, prout superius dicta copia dicti instrumenti per ipsum dominum Petrum Ricardi extiterat petita et requisita.

Et nichilominus dictus dominus Petrus Ricardi copiam petiit et assignavit ut supra

De quibus omnibus tam dictus procurator regius substitu-

tus quam dictus dominus comissarius constitutus petierunt eis fieri publicum instrumentum.

Hec acta fuerunt in dicta parte regia et juxta dictam curiam regiam in presentia et testimonio Guillelmi Gaudeloni, Arnaudi de Bono buxone mercatoris, habitatoris Montispessulani, et mei Guillelmi Regis, publici notarii infrascripti prefati domini nostri Francorum regis, qui hec in notam recepi.

Postque, anno quo supra, et die V[a] mensis febroarii, que dies erat dies lune post festum beati Blasii proxime preteritum, et dicta die per dictum dominum comissarium eidem procuratori substituto ad audiendum suam responsionem super contentis in dicto instrumento superius designato, super contentis in dicto instrumento superius designato, super dicta appellatione in ea contentis (*sic*), extiterat assignata, venit dictus procurator substitutus ad hospicium dicti domini Petri Ricardi, quod est scitum prope dictam curiam regiam:

Et ibidem existens in presentia dicti domini Petri Ricardi, dixit se venisse ad ejus presentiam pro audienda responsione sua super dicto instrumento, dictam appellationem in se continente, si quam facere voluerit:

Alias protestatur quod per ipsum non stat, nec stabit, quominus dictam suam responsionem audiat, ut dixit.

Et dictus dominus Petrus Ricardi dixit et respondit ut sequitur.

Et dictus dominus comissarius dixit et respondit quod, exhibitis et presentatis sibi dicte comissionis sue litteris, et fide sibi facta per instrumenta publica per procuratorem dicti domini episcopi, ad hec sibi exhibita et hostensa de appellatione, et attemptatis et innovatis ipsa appellatione pendente, de quibus fit mentio in litteris regiis et ipsius comissionis suprasripte, ipse comissarius volens, ut tenebatur et debebat de jure, et juxta litterarum regiarum tenorem,

Ex suo officio, per procuratórem ejusdem domini episcopi implorato, attemptata. pendente dicta appellatione et in prejudicium ejusdem, ante omnia revocare et ad statum pristinum producere (=reducere) mandavit per dictas suas litteras eaque continentur in eis. nullaque consideratione habita de inquisitione quam pretendunt domini procuratores regii suprascripti.

Quare cum in premissis vel aliis in nullo leserit nec gravaverit dominum nostrum regem nec quemvis alium. nec sit a talibus appellandum de jure, idcirco idem comissarius dictam appellationem non admisit tanquam frustratoriam et inanem, et ex non veris et insufficientibus procedentem. et in casu a jure non permisso. sed potius prohibito interjectam; presentem responsionem et premissorum omnium copiam pro apostolis refutatoriis concedendo.

Cui responsioni dictus procurator regius substitutus non consensiit in quantum juri regio prejudicare posset, sed dixit, intimavit, protestatus fuit, provocavit et appellavit ut supra.

Et nichilominus dictus dominus Petrus Ricardi dixit et respondit ut supra.

Hec acta fuerunt in Montepessulano, in dicta parte regia, in presentia et testimonio magistri Stephani Bastide, jurisperiti, dicti Arnaudi de Bauduno, Petri de Castro Arnulpho domicelli, et mei dicti Guillelmi Regis, publici notarii prefati domini nostri Francorum regis, qui, requisitus per dictum procuratorem regium substitutum, necnon et per dictum dominum Petrum Ricardi, comissarium constitutum antedictum, hec omnia in notam recepi, et inde facere debui unum vel plura publicum seu publica instrumenta.

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. B, fol. 134 r°).

MDCCXXIII. — 16 février 1335 (n. s. 1336) (I. A)

Reconnaissance faite au fermier de Sauve, agissant au nom de l'évêque.

Anno Domini 1335, et die 16 februarii, Poncius de Aniciaco, parrochie de Baucellis, recognovit Arnaudo de Prato, renderio Salvii, procuratori episcopi Magalonensis, se tenere in emphiteosim a dicto episcopo et ejus curia Salvii, sub ejus directo dominio, laudimio, consilio, prelatione et avantagio, et censu infrascripto, peciam terre, in qua est casamentum, sitam in parrochia de Campo bono, loco dicto in Soquendis, confrontatam cum terris Petri de Solerio ex duabus partibus, cum terris Ermessendis de Ameleriis et cum terris Nicolai de Figareto.

Pro qua dat de censu in festo sancti Michaelis quatuor denarios turonenses.

Actum Salvii in hospicio dicti episcopi, ubi curia tenetur: testes Petrus de Podio Aguinaris de Sancto Ypolito, Guillelmus Bedocii, Johannes de Marquesiis, Johannes de Putheo clerici; Guillelmus Robaudi notarius scripsit.

(Reg. C, fol. 118 v°).

MDCCXXIV. — 18 mars 1335 (n. s. 1336)

Pierre Ricard, délégué par le recteur royal de Montpellier, fait rétablir les fourches patibulaires de Puechagut.

Noverint universi quandam causam appellationis agitatam fuisse coram venerabili et discreto viro domino Petro Ricardi, clerico domini regis comissarioque in hac parte deputato, prout de ejus comissione constat per litteras infrasrip-

tas, in processu dicte cause appellationis exhibitas et productas;

In qua quidem causa fuit libellus appellationis oblatus per procuratorem domini Magalonensis episcopi sub hiis verbis:

Coram vobis venerabili et discreto viro domino Petro Ricardi, clerico domini nostri regis, comissario ad infrascripta specialiter deputato a nobili et potenti viro domino Hugone de Carssano milite, rectore regio Montispessulani, judice super infrascriptis a magestate regia delegato, asserit et in jure proponit Guillelmus Holanie jurisperitus, procurator et procuratorio nomine reverendi in Christo patris domini Pictavini, Dei gratia Magalonensis episcopi, comitis Melgorii et Montisferrandi, dominique castri de Terrallo prope Montempessulanum, pro dicto domino episcopo per se et per alios nomine suo, necnon et per suos predecessores episcopos Magalonenses et dominos dicti castri de Terrallo, existente in pocessione et saysina ab antiquo habendi et tenendi furchas patibulares, erectas in loco vocato Podium acutum, prope dictum castrum;

Furchisque patibularibus erectis, existentibus, nomine dicti domini episcopi, in eodem loco publice et notorie, dominus Philippus de Pria miles, senescallus Bellicadri et Nemausi, dictas furchas posuit seu ponere dixit ad manum domini nostri regis Francorum, de facto dumtaxat et non de jure, omni juris ordine et alio debito, pretermisso et protestato in prejudicium dicti domini episcopi et juris sui pocessorii supradicti.

Item quod procurator predicti domini episcopi, et ipsius nomine, post hec dictum dominum senescallum requisivit debite, non tamen in forma vel figura judicii, quod manum predictam, per ipsum in dictis furchis, de facto et eo non vocato, appositam, ad utilitatem dicti domini episcopi amoveret de ipsis furchis, sepius offerens idem procurator modo predicto, quod paratus erat et se offerebat eumdem dominum senescallum debite informare de jure pocessorio pre-

dicto dicti domini episcopi, et se probationes in promptu habere per instrumenta, que ad hoc exhibebat in promptu et per testes, quos nominabat, et alia legitima documenta, ad que idem procurator se petiit et petebat, sub forma predicta et prout esset rationis, admitti: et interim nichil innovari in prejudicium dicti domini episcopi et juris sui pocessorii predicti.

Item quod post hec, dicto domino episcopo et ejus procuratore non vocatis ad premissa, nec admissis, sed repulsis, idem dominus senescallus, gravamina gravaminibus cumulando, predictas furcas dirui mandavit et mandando ordinavit.

Item quod hec et premissa, et quodlibet premissorum dictus dominus senescallus fecit et fieri mandavit extrajudicialiter totum negocium predictum, quantum in eo fuit, temere de facto contra jus et indebite diffiniendo, predicto domino episcopo et ejus procuratore non vocatis in jus nec legitime citatis, et ipso domino episcopo et ejus procuratore non per contumaciam absentibus, et eis invitis et ignorantibus, nec convictis legitime vel in jure confessis, nec in jure suo auditis, et nulla cause cognitione debita precedente, voluntario et ex arrupto, in enervationem totius juris pocessorii domini episcopi supradicti, et eodem domino episcopo, furchis et aliis bonis suis dicte Ecclesie existentibus in salvagardia dicti domini regis, eodem domino senescallo sciente.

Item quod predicta, que dictus dominus senescallus fecit et fieri mandavit, et quo[d]libet premissorum et ex eis de mandato ejus subsecuta, fuerunt et sunt ipso jure nulla: et si aliqua reperiantur, quod non credit (*sic*), fuerunt et sunt injusta et iniqua, et talia fuisse et esse dixit et dicit procurator predictus, et nomine quo supra.

Item quod procurator dicti domini episcopi, ejus nomine et pro eo, sentiens se et dictum dominum suum et Ecclesiam suam predictam ex premissis manus impositione, repulsione, juris denegatione, mandato et mandati ordinatione indebite et extrajudicialiter dicto domino episcopo illatis, et aliis cominatis, et subsecutis gravaminibus et quolibet premisso-

rum, multipliciter indebite et de facto gravari, ad dictum dominum nostrum regem predictum et infra tempus debitum legitime appellavit, et provocavit apostolos per dictum domiminum senescallum sibi dari et concedi sepe et sepius cum debita instantia et tempore a jure statuto postulavit.

Quam petit dictus procurator, nomine quo supra, per vos dictum dominum judicem, subdelegatum in presenti appellationis causa, sententialiter decerni et declarari omnia et singula processa, facta, ordinata, mandata, et inde secuta in et super premissis per dictum dominum senescallum, fuisse et esse nulla:

Si vero aliqua esse seu fuisse repereritis (*sic*), petit et requirit pronunciari dictum dominum senescallum male et perperam cepisse, voluisse, denegasse, ordinasse et mandasse, et fecisse seu fieri fecisse, dictumque procuratorem predicti domini episcopi bene et legitime et juste appellasse:

Et refformando dictam voluntatem, ordinatum et mandatum, petit pronunciari et pronunciando declarari dictum dominum episcopum esse et fuisse, ejusque predecessores, in pocessione et saysina predictis: et nichilominus ipsum esse tuhendum et deffendendum in futurum in pocessione et saysina predictis dictarum furcharum.

Et hec petit eo jure, modo et forma quibus melius potest, edicti perpetui beneficio in omnibus sibi salvo:

Non astringens se ad probandum omnia et singula supradicta, sed solum ea que sibi sufficere videbuntur:

Petens dicto libello responderi, si aliquis legitimus compareat ex adverso, alioquin, lite habita pro contestata seu quasi, juxta privilegium appellationis petit se admitti ad docendum de jure partis sue super appellatione predicta.

Et demum vocatis domino senescallo Bellicadri et procuratore regio dicte senescallie, ac domino abbate Aniane ad respondendum et procedendum super contentis in dicto libello, si sua interesse putarent, die et loco eisdem assigna-

tis non comparentibus, sed positis in contumacia et defectu;

Procuratoreque dicti domini Magalonensis episcopi comparente, et admisso ad docendum de jure suo seu dicti domini episcopi, in contumaciam predictorum, per dominum comissarium supradictum;

Pluribusque instrumentis et scripturis, ac testibus per dictum procuratorem productis, eorumque allegationibus publicatis:

Ac die presenti assignata precise et peremptorie ad sententiam audiendam;

Et comparente magistro Guillelmo Clari, procuratore et procuratorio nomine dicti domini episcopi, coram dicto domino comissario, et instanter ferri sententiam postulante, in domo habitationis ejusdem domini comissarii, prout in processu super hoc habito coram dicto domino comissario latius continetur, idem dominus comissarius processit ad suam sententiam proferendam, ut sequitur:

Ad hec nos Petrus Ricardi, domini regis clericus, judexque seu comissarius in hac parte deputatus per litteras infrascriptas, viso dicto libello appellationis;

Totoque processu coram nobis habito super eo:

Nilque de contingentibus pretermisso:

Communicatoque super hoc multorum consilio peritorum:

Quia, per eundem processum et per producta in eodem, nobis constat procuratorem dicti domini episcopi super contentis in dicto libello sufficienter intentionem suam seu ejusdem domini episcopi et Ecclesie sue Magalonensis fundasse:

Idcirco, per hanc nostram diffinitivam sententiam (*renvoi indiqué et oublié*) dictorum dominorum senescalli, abbatis et procuratoris regii, qui legitime citati comparere contempserunt, ipsisque procuratoribus dictorum dominorum regis (*sic*) et abbatis, ex eo solo quia attemplata dictis appellationibus pendentibus per dictum dominum senescallum, per modum attemplati mandaveramus et feceramus revocare, a

nostri presentia manifeste, appellando frustratorie, recesserunt, hoc ipso protestando juris interpretationem, super hoc se nolle coram nobis ulterius litigare:

Sedentes more majorum, premuniti venerabili signo Crucis: *In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen*:

Sacrisque scripturis positis in conspectu, ferimus in hiis scriptis:

Cognoscimus et declaramus dictum dominum senescallum super contentis in dicto libello male et perperam mandasse, fecisse, processisse et denegasse, procuratoremque dicti domini episcopi bene et legitime appellasse:

Ordinata, mandata, facta et processa super hoc per eumdem dominum senescallum, et subsecuta ex eisdem, tanquam male et perperam, et de facto, non de jure, ordinata, mandata, facta et processa:

Cassando et irritando, et ea in melius refformando et supplendo, cum per attestationes testium, pro parte dicti domini episcopi productorum, et per alia merita hujus cause constat dictum dominum [episcopum], tempore dictarum appellationum, per ejus partem interjectarum, et tempore ordinati et mandati dicti domini senescalli, de facto, et non de jure, ut premittitur, factorum, esse et fuisse per XL annos et ultra, et a XL annis citra usque ad tempus suprascriptum, in possessione pacifica erigendi, et erectas habendi et tenendi furchas patibulares, palam et publice, in loco de Podio aculo, in dicto libello designato.

Eadem sententia cognoscimus et declaramus dictum dominum episcopum esse manutenendum et deffendendum in possessione predicta, donec super petitorio cognitum legitime fuerit et discussum.

Super quo nolumus cuiquam per hec prejudicium aliquod generari, neutram partem in expensis condemnando, et ex causa.

Et incontinenti dictus magister Guillelmus Clari, nomine quo supra, dicte sententie, in quantum pro parte dicti do-

mini episcopi facit et facere potest, consentiit et acquievit.

Et quia dictus dominus comissarius partem alteram non condempnavit in expensis, que ascendunt, ut dixit, ultra centum marchas argenti, fuit de gravamine protestatus et de recursu ad superiorem habendo, illa via que sibi, nomine quo supra, et dicto domino suo videbitur expedire.

Petens de predictis, sibi nomine quo supra, fieri unum vel plura publica instrumenta.

Tenores vero dictarum litterarum comissionis dicti domini comissarii et procuratorii dicti magistri Guillelmi Clari, quarum tenores idem dominus comissarius voluit, ordinavit et decrevit in instrumento dicte sue sententie inseri et apponi, et, cujus domini comissarii auctoritate et decreto, ego, notarius infrascriptus, dictarum litterarum et procuratorii tenores in nota presentis publici instrumenti inserui, tales sunt:

Hugo de Carsano miles... Petro Ricardi *etc. ut supra in hoc T., p. 661.*

Noverint universi quod anno Dominice Incarnationis M° CCC° IIII^to^, et die XII marcii, domino Philippo Dei gratia Francorum rege regnante, nos Pictavinus, miseratione divina Magalonensis episcopus, comes Melgorii et Montisferrandi, dominusque Salvii, Durofortis (= Durifortis) et Porsani, cum hoc vero et publico instrumento, vicem epistole continente, creamus et constituimus nostros veros, certos et indubitatos procurateres sive actores, magistros Guillelmum Clari, Petrum Helie et Guillelmum Holanie jurisperitos, et eorum quemlibet in solidum, licet absentes, ita quod non sit melior conditio occupantis: sed quod per unum ipsorum inceptum fuerit, per alium media re valeat prosequi (*sic*) et finiri:

Videlicet in omnibus et singulis litibus et questionibus,

motis et movendis contra nos per quascumque personas, et per nos contra quascumque personas ecclesiasticas vel seculares, et coram quibuscumque judicibus ordinariis vel extraordinariis, delegatis vel subdelegatis, et aliis personis quibuscumque;

Super quibus donamus dictis nostris procuratoribus et eorum cuilibet in solidum plenam et liberam potestatem agendi, deffendendi et comparendi, litem seu lites contestandi, de calumpnia et veritate dicenda in animam meam jurandi, et subeundi cujuslibet alterius generis juramentum: testes, instrumenta et quelibet alia probationum genera producendi, et producta contra nos impugnandi; judicia vanandi: sententiam et sententias, tam interlocutorias quam diffinitivas, audiendi, et ab eisdem et a quocumque gravamine, si necesse fuerit, appellandi, appellationes et causas appellationum prosequendi, unum vel plures procuratores ad predicta, si necesse fuerit, substituendi et ipsos destituendi:

Et demum generaliter omnia alia universa et singula dicendi, faciendi, peragendi et explicandi que causarum merita postulant et requirunt, et mandatum exigunt speciale, et que nos faceremus, diceremus, facere [et] dicere possemus, si in premissis personaliter presentes essemus:

Ratum, gratum et firmum nos perpetuo habituri quiaquam (=quicquid), in predictis et circa predicta, per ipsos nostros procuratores et eorum quemlibet in solidum, actum, dictum, gestum fuerit, sive alias [a] quolibet procuratum ac si nobiscum et per nos personaliter foret actum:

Et relevantes dictos procuratores nostros, et eorum quemlibet in solidum, et eorum substitutos et eorum quemlibet in solidum ab omni honere satisdandi, promittimus tibi, notario infrascripto, ut communi et publice persone stipulanti solemniter et recipienti pro omnibus illis quorum interest, judicatum solvi cum suis clausulis omnibus universis; et inde fidejussores nos constituimus, sub ypotheca et obligatione omnium bonorum nostrorum et dicti nostri episcopatus presentium et futurorum, et sub omnis juris renunciatione ad hoc necessaria et cauthela.

Actum in camera nostra de Terrallo prope Montempessulanum, presentibus testibus, ad premissa vocatis specialiter et rogatis, dominis Johanne Amalrici, Arnaudo de Petrono presbiteris, et me Bndo Auris, notario publico domini nostri Francorum regis et dicti domini Magalonensis episcopi, qui, requisitus a dicto domino Magalonensi episcopo, hec omnia et singula in notam recepi.

Vice cujus et mandato *etc.*

Lata fuit hec sententia in domo predicta, in qua inhabitat predictus dominus comissarius, hora vesperarum, die XVIII mensis marcii, anno Dominice Incarnationis M° CCC° XXXV°: testes fuerunt ad hec magistri Jacobus Fabri, Petrus Galhardi et Stephanus de Pratis notarii publici regii, et ego Franciscus Torti, publicus auctoritate predicti domini regis, qui hec omnia in notam recepi,

Vice cujus et mandato *etc.*

(Reg. B, fol. 135 v°).

MDCCXXV. — 8 avril 1336

Litige devant le châtelain de Montferrand au sujet du droit de dépaissance dans la Vallée de Montferrand.

Anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo sexto, octava die mensis aprilis, illustrissimo principe domino Philippo rege Francorum regnante, ac reverendo in Christo patre domino Pictavino, Dei gratia Magalonensi episcopo, comiteque Melgorii et Montisferrandi, ac domino Salvii, Porsani et Marcherose, presidente, constituti apud *Triviers*, Vallis et jurisdictionis dicti castri Montisferrandi, coram nobili viro Raimundo de Mata, domicello, locum tenente

nobilis viri Bertrandi de Villanova domicelli, castellani dicti castri Montisferrandi pro dicto domino nostro Magalonensi episcopo, prout de sua potestate constat per quasdam patentes litteras a dicto domino castellano emanatas, et a tergo earum ejus sigillo, ut prima facie apparebat, sigillatas:

Quarum litterarum tenor dinoscitur esse talis:

Noverint presentes litteras inspecturi, quod nos, Bertrandus de Villanova domicellus, castellanus castri Montisferrandi pro domino nostro Magalonensi episcopo, facimus et constituimus nostros locum tenentes, et quemlibet eorum in solidum, ad regendum et gubernandum officium nostrum dicte castellanie et jurisdictionis ejusdem, tamdiu tamen placuerit voluntati, et nos absentes esse contigerit a dicta castellania, videlicet nobilem virum Raimundum de Mala et Johannem de Alesto clericum, et magistrum Berengarium Arnaudi notarium, ita quod occupantis melior conditio non existat:

Dantes in mandatis omnibus subditis dicte castellanie, ut, in predictis et aliis, eis et utrique eorum, ut nobis, pareant et intendant, non (= nos) subditos de hiis requirendo;

Dantes eisdem et eorum cuilibet plenam potestatem jus reddendi, faciendi et alia que nos pro dicto nostro officio facere possemus in exercitio dicte jurisdictionis, si presentes essemus.

In cujus rei testimonium sigillum nostrum in dorso presentium duximus apponendum.

Datum in dicto castro Montisferrandi vicesima quinta die decembris, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo quarto.

Petrus Quintini, Petrus Vesiani, filius Bernardi Vesiani nomine dicti patris sui, Johannes de Villaribus, Raimundus Ronho, Guillelmus de Ferrusseriis, Guillelmus Fabri de Sancta Cruce de Quintillanicis, Johannes Agrigolerii, et Lau-

reutius Salvatoris de Cecellecio. Vallis et jurisdictionis dicti castri Montisferrandi:

Qui superius nominati, pro se et aliis hominibus dictorum locorum in hac parte adherere volentibus, dixerunt et asseruerunt se, nominibus quibus supra, fecisse citari ad presentem diem et horam tercie, et in dicto loco de Tribus viis, et coram dicto domino castellano, Petrum et Bernardum de Lirone per Guillelmum Petri, servientem dicti castri Montisferrandi, ibidem presentem, et de mandato dicti domini locum tenentis.

Qui dictus serviens retulit suo juramento se, de mandato dicti domini locum tenentis, ad presentem diem, locum et horam tercie, et coram dicto domino castellano vel ejusdem locum tenente, et perhemptorie dictos Petrum et Bernardum de Lirone, mansi de Lirone, parrochie Sancti Michaelis de Agusanicis, citasse.

Qua relatione facta, superius nominati dixerunt et requisiverunt dictos Petrum et Bernardum de Lirone, eum non compareant per se vel alias legitimas personas, et sit diu hora tertie transacta, poni in contumacia et deffectu.

Et cum dicti Bernardus et Petrus de Lirone sint extra Vallem et jurisdictionem dicti castri Montisferrandi, et non habeant de jure communi jus depascendi infra jurisdictionem Montisferrandi cum eorum animalibus, et de facto, cum de jure non possint, per eorum potentiam depascunt pascua existentia infra dictam Vallem et jurisdictionem dicti castri Montisferrandi, pertinentia hominibus predictis, ut dixerunt, requisiverunt deffendi dictis Petro et Bernardo de Lirone, ut cum eorum animalibus pascua predicta non depascant, nec in ea intrent, cum sint de extra Vallem et jurisdictionem castri predicti.

Et dictus dominus locum tenens, ad postulationem superius nominatorum, nominibus quibus supra, dictos Petrum et Bernardum de Lirone, non comparentes, expectatos, ut

est moris, posuit in contumacia et deffectu; et in ipsa contumacia voluit et ordinavit, ut dicti Petrus et Bernardus de Lirone non depascant cum eorum animalibus in pascuis et herbis sitis infra limites Vallis et jurisdictionis dicti castri Montisferrandi, donec fidem fecerint coram dicto domino castellano vel ejus locum tenente, de eorum jure depascendi in dictis pascuis et herbis, si quod habent.

Et precepit dicto Guillelmo Petri, servienti predicto, ibidem presenti, et per ipsum Guillelmum Petri aliis servientibus dicti castri, ut si inveniant dicta animalia dictorum Petri et Bernardi de Lirone, depascentia infra Vallem et jurisdictionem dicti castri Montisferrandi, et herbis predictis (*sic*), quod de eis pignora sufficientia pro banno et tala recipiat, donec aliud super predictis erit ordinatum.

Postque eadem die, hora tarda, venit et comparuit coram dicto domino locum tenente dictus Petrus de Lirone, nomine suo proprio, et nomine et vice Bernardi de Lirone consanguinei sui, dicens se hodie hora tercie non posse venire, cum fuerit occupatus aliis negotiis;

Quare requisivit, nominibus quibus supra, dictum dominum locum tenentem, ut citari faciat ad ejus requisitionem et instantiam supranominatos per Guillelmum Petri, servientem dicti castri, ibidem presentem.

Et dictus dominus locum tenens, ad requisitionem dicti Petri de Lirone, nominibus quibus supra, precepit et injunxit dicto Guillelmo Petri, servienti predicto, ut citet et peremptorie superius nominatos ad instantiam dicti Petri de Lirone, nomine quo supra, ut die decima presentis mensis compareant legitime, hora tercie, in dicto loco de Tribus viis, coram dicto domino castellano vel ejus locum tenente, processuri cum dicto Petro, nomine quo supra, prout fuerit rationis.

Ad quam diem decimam aprilis superius assignatam, hora tercie, comparuerunt. in dicto loco de Tribus viis, coram dicto domino castellano, videlicet Petrus Quintini, Guillelmus de Ferruseriis. Petrus Vesiani. filius Bn., nomine dicti patris sui de dicta Sancta Cruce. Johannes Agrigolerii, Laurentius Salvatoris. Bernardus Bertrandi de Cecellecio, nominibus suis propriis et [pro] aliis hominibus dictorum locorum in hac parte adherere volentibus.

Comparuit ex parte altera dictus Petrus de Lirone, nomine suo proprio, et nomine et vice dicti Bernardi de Lirone consanguinei sui.

Et superius nominati, nominibus quibus supra. dixerunt et proposuerunt coram dicto domino castellano, quod dictis Petrus et Bernardus de Lirone, licet sint de extra jurisdictionem dicte Vallis et jurisdictionis dicti castri Montisferrandi. cum eorum animalibus depascunt et depasci faciunt eorum animalia indebite et injuste in herbis et pascuis dictorum hominum. existentium infra dictam Vallem et jurisdictionem dicti castri Montisferrandi.

Quare, nominibus quibus supra, petierunt et requisiverunt dictum dominum castellanum, ut inhibeat et inhibere faciat dictis Petro et Bernardo de Lirone, ne de cetero despascant seu depasci faciant eorum animalia in herbis et pascuis antedictis.

Et dictus Petrus de Lirone. nominibus quibus supra. dixit et asseruit se et dictum Bernardum de Lirone habere ex justo titulo jus depascendi in herbis et pascuis predictis.

Et ad faciendum fidem de eorum jure exhibuit, nomine quo supra, et produxit duo instrumenta publica prima facie, scripta et signata, ut in eis legitur. manu et signo magistri Duranti de Tyuro notario.

Quibus instrumentis exhibitis et productis, superius nominati dixerunt, nominibus quibus supra. quod nolunt ut [in] dictis herbis et pascuis, et aliis in dictis instrumentis

expressatis fieret aliqua inhibitio, prohibitio et deffencio Petro et Bernardo de Lirone, sed requisiverunt ipsos compelli ad solvendum eis usaticum, quod omnes pariarii terrarum, in dictis instrumentis expressatarum, facere tenentur insimul nobili Petro de Montelauro domicello.

Preterea requisiverunt superius nominati, nominibus quibus supra, inhiberi, prohiberi et deffendi dictis Petro et Bernardo de Lirone, ut in aliis herbis et pascuis, de quibus non faciunt fidem, non depascant, nec depasci faciant animalia eorum.

Et dictus Petrus de Lirone, nominibus quibus supra, dixit se non teneri contribuere eis in eorum usatico, quod faciunt dicto nobili Petro de Montelauro, nec eis solvere, cum ipse Petrus et Bernardus ejus consanguineus singulariter solverunt dictum usaticum, eis contingens, singulis annis, et solvere consueverunt.

Preterea obtulit se facere promptam fidem de eorum jure, de aliis herbis et pascuis, in quibus habent jus depascendi.

Quare, nomine quo supra, petiit sibi dari et concedi dilationem competentem ad probandum predicta.

Et dictus dominus castellanus, cum dicta pascua indigeant subjacere oculis, de voluntate partium predictarum et assensu, assignavit dictis partibus ab hodie in octo diebus, hora tercie, et in territorio dictorum pascuorum, ad comparendum et ostendendum de eorum jure, et alias faciendum quod fuerit rationis.

Qua die superius assignata, que intitulatur decima septima die[s] aprilis, comparuerunt in dicto territorio pascuorum predictorum, sito in parrochia de Agusanicis, in loco vocato *Montelhet*, coram nobili viro Raimundo de Mala, locum tenente predicto, Petrus Quintini, Guillelmus de Ferrusseriis, Bernardus Vesiani, Raimundus Ronho, Johannes Agrigolerii, Laurentius Salvatoris, pro se et aliis hominibus

dictorum locorum Sancte Crucis et de Cecellecio, in hac parte adherere volentibus.

Comparuit ex adverso dictus Bernardus de Lirone, nomine suo proprio, et nomine et vice dicti Petri de Lirone, consanguinei sui.

Et dictus dominus locum tenens, cum superius nominatis et me notario infrascripto, et aliis circum astantibus, dictum territorium ad oculum vidit et aspexit.

Et paulo post, venit ibidem Amaluinus de Quitirino, dicens quod statim veniet in dicta Sancta Cruce dominus castellanus antedictus.

Et predictus dominus locum tenens, cum superius nominatis, arripuit iter suum versus Sanctam Crucem, et ivit ad Sanctam Crucem.

Ad quem locum dicte Sancte Crucis, et in carreria publica et coram dicto domino castellano, comparuerunt dicti Petrus Quintini, Guillelmus de Ferrusseriis, Johannes de Vilario, Bernardus Vesiani, Jacobus Ecclesie, Bernardus et Andreas Bruguieras de Sancta Cruce, Johannes Agrigolerii, Laurentius Salvatoris, Poncius Nichola[i], Bornarduo *Colet*, heres Poncius (=Poncii) *Colet* quondam, et Petrus Rostagni de Cecellecio, pro se et aliis hominibus in hac parte eis adherere volentibus.

Comparuit ex parte altera dictus Bernardus de Lirone, nomine suo proprio, et nomine et vice dicti Petri de Lirone consanguinei sui, a quo ratifficari et haberi prorata (=rata) et firma, sub obligatione omnium bonorum suorum, promisit: et super sancta Dei evangelia, a se gratis corporaliter tacta, juravit omnia et singula super premissis per dictum Bernardum, nomine quo supra, acta et agenda.

Et superius nominati, ad ostendendum de eorum jure et ad probandum eorum intentionem, produxerunt instrumenta infrascripta, videlicet dictus Petrus Quintini quoddam

instrumentum prima facie publicum, scriptum et signatum, ut in eo legitur, manu et signo magistri Duranti de Tyuro notarii.

Cujus instrumenti tenor talis est:

Anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo duodecimo scilicet septimo idus novembris *etc. ut supra T. IV, p. 188.*

Item et dictus Guillelmus de Ferrusseriis, ad probandum et ostendendum de jure suo, exhibuit et produxit quoddam prima facie publicum instrumentum, scriptum et signatum, ut in eo legitur, manu et signo magistri Guillelmi Alamandi notarii.

Cujus instrumenti tenor talis est.

Anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo sexto (*sic*), scilicet quinto idus martii, domino Philippo rege Francorum regnante, et domino Gaucelmo permissione divina Magalonensi episcopo, comite et domino Melgorii et Montisferrandi, presidente, ego Johannes de Coleto, de parrochia Sancti Martini de Tribus viis, per me et meos successores, bona fide... vendo... tibi Bernardo de Ferrusseriis, de Sancta Cruce de Quintillanicis, et tuis ad omnes tuas tuorumque voluntates in vita et in morte plenarie faciendas... exceptis ... cum dominio, consilio et laudimio domini Magalonensis episcopi et successorum suorum, et usatico quatuor denariorum oboli melgoriensium, rectori ecclesie Sancti Michaelis de Agusanicis et suis successoribus solvendo, annuatim in festo sancti Michaelis, videlicet medietatem pro indiviso omnium possessionum cultarum et incultarum ad me pertinentium, sitarum in loco vocato Montelheno, in parrochia Sancti Michaelis predicti et infra territorium subconfrontatum, cum omnibus suis introitibus et exitibus, et aliis suis pertinentiis undique universis.

Quod territorium confrontatur ex una parte cum camino *Melgoyres* et ex alia cum honore Bernardi Pelagalli, et ex alia cum honore Bernardi Juvenis, et ex alia cum quartono Petri Bertrandi, Raimundi Rebulli, Johannis *Ablart*, Johannis Rebolli, et ex alia cum cumba Male majoris.

Propter hanc autem venditionem dicte medietatis dictarum rerum venditarum, confiteor et vere recognosco me a te habuisse et numerando recepisse, nomine justi precii, sexaginta solidos monete currentis, in quibus ex certa scientia renuncio exceptioni non numerate peccunie et precii non soluti.

Unde si plus valet nunc dicta venditio... totum illud quicquid sit vel fuerit tibi, dicto Bernardo emptori, gratis dono ... volens quod tu et tui vestra propria auctoritate possitis corporalem possessionem, seu quasi, dicte medietatis dictarum possessionum venditarum apprehendere et nancisci, nulla possessione naturali vel civili penes me et meos aliquatenus remanente.

Quam quidem medietatem... faciam te et tuos semper habere...., et pro qualibet evictione, si in premissis aliquo tempore fieri contingeret, ad plenum tibi et tuis reddenda et restituenda, obligo me tibi stipulanti et omnia bona mea presentia et futura.

Renuncians super hiis, ex certa scientia et expresse, actioni et exceptioni doli, fraudis et in factum, actioni in eis et facti ignorancie, exceptioni clausule generalis *si qua michi justa causa videbitur*, juri dicenti contractum rescindi aut justum pretium suppleri, si deceptio ultra dimidinm justi pretii in contractum intercessit, et omni alii juri et actioni, usui, consuetudini et privilegio, quibus premissorum possem alicui obviare.

Premissa omnia et singula vera esse assero, et ea servare, attendere, complere et contra non venire per stipulationem validam et sollempnem, in et sub efficaci obligatione omnium bonorum meorum predictorum tibi, dicto Bernardo emptori, promitto et juro super sancta Dei evangelia a me gratis corporaliter tacta.

Et incontinenti nos Raimundus Pojeti, procurator generalis pro reverendo domino Gaucelmo, episcopo Magalonensi et comite predicto, nomine procuratorio ejusdem, predictam venditionem et omnia et singula in eadem contenta laudamus tibi, dicto Bernardo emptori, pro te et tuis stipulanti, salvo jure in omnibus dicti domini episcopi et alterius.

Et confitemur nos a te habuisse, nomine laudimii, novem solidos, in quibus ex certa scientia renunciamus exceptioni non numerate peccunie et laudimii non soluti.

Actum apud Sanctam Crucem de Quintillanicis, presentibus testibus Johanne Pelliparii, Petro Castilhone, et me Guillelmo Alamandi, notario dicti domini episcopi et comitis publico, qui, rogatus et requisitus, hoc scripsi etc.

Vice cujus *etc.*

Et dictus Bernardus de Lirone, nominibus quibus supra, ad ostendendum et probandum de jure suo et docendum, exhibuit et produxit quoddam instrumentum, scriptum et signatum, ut in eo legitur, manu et signo magistri Duranti de Tyuro notarii.

Cujus instrumenti tenor talis est:

Anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo quarto decimo *etc. ut supra, T. IV, p. 236.*

Quibus instrumentis exhibitis et productis, superius nominati dixerunt, nominibus quibus supra, dictum Bernardum, nomine quo supra, in contentis et expressatis in instrumento, per ipsum producto et exhibito, non habere jus nec habere debere, cum dictus Petrus Bertrandi non habuisset nec habeat aliquod jus in eisdem.

Quare petierunt et requisiverunt prohiberi et deffendi dicto Bernardo, nomine quo supra, tanquam extraneo a Valle et jurisdictione dicti castri Montisferrandi, ut cum ejus ani-

malibus non depascat seu depasci faciat infra Vallem et jurisdictionem castri Montisferrandi predicti.

Et dictus dominus castellanus voluit et ordinavit, et decrevit, cum dicti Bernardus et Petrus de Lirone sufficienter fundaverint eorum intentionem et jus quod habent in honore, per eorum predecessores acquisito a Guillelmo de *la Mella*, ut in eisdem possint et valeant eorum animalia depascere seu depasci facere et eorum jure uti.

In aliis vero honoribus, herbis et pascuis, de quibus est questio inter partes predictas, existentibus infra Vallem et jurisdictionem Montisferrandi, non valeant depasci (= depascere) seu depasci fieri eorum animalia aliqualiter, donec de eorum jure docuerint et fidem fecerint, ut jura volunt, coram domino castellano antedicto.

Ideo inhibuit dicto Bernardo, nomine quo supra, et per ipsum, dicto Petro, ut in predictis non intrent cum eorum animalibus seu intrare faciant, donec plenam fidem fecerint, si dictus Petrus Bertrandi habet potestatem vendendi, et alias docuerint de eorum jure, et cognitum fuerit et discussum.

Ad que audienda et justitiam ministrandam de die in diem, dictus dominus castellanus obtulit se paratum.

Et super[ius] nominati protestati fuerunt, nominibus quibus supra, de expensis factis et faciendis.

Et dictus dominus castellanus taxationem expensarum reservavit usque ad finem litis.

De quibus omnibus et singulis supranominati, nominibus quibus supra, petierunt sibi fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Acta fuerunt hec in dicta Sancta Cruce, in presentia et testimonio Amaluini de Quitirino, Jacobi de Viridario servientis dicti castri Montisferrandi, Petri Polmiginis servientis Sumidrii, et mei Hugonis Grimaldi, notarii publici dic-

torum dominorum nostrorum regis et episcopi, qui predicta requisitus sumpsi et signavi.

Constat de rasura in dictionibus *etc.*

(Reg. E. fol. 284 v°).

MDCCXXVI. — 21 avril 1336

Philippe de Valois confirme sa lettre du 14 juillet 1335 sur les monnayeurs de Melgueil.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, senescallo Bellicadri vel ejus locum tenenti, salutem.

Cum alias vobis scripisse dicimur in hec verba:

Philippus Dei gratia *etc. ut supra in hoc T. p. 575.*

Vos predicta in dictis litteris contenta, pretextu quarumdum aliarum litterarum per dictos monetarios surreptitiarum de dicta possessione tacito a nostra curia obtentarum, adimplere recusatis in dampnum dicti episcopi et gravamen, prout dicit.

Quocirca mandamus vobis, quatinus contenta in dictis litteris ad impleatis, non obstantibus dictis litteris, tacito de dicta possessione vel alias surrepticie impetratis seu etiam impetrandis, nisi alia sit causa rationabilis que obsistat: quam, si fuerit, nobis celeriter rescribatis, ut, ea visa, possimus ordinare quod fuerit rationis.

Actum apud Lugdunum, die XXI aprilis, anno Domini millesimo trecentesimo sexto.

(Reg. F, fol. 180 r°).

MDCCXXVII. — 3 mai 1336

Vente d'une table au marché de Sauve sous la directe de l'évêque de Maguelone.

Anno Domini 1336 et 3 die madii, Raimundus Auricule de Agantico bona fide vendit Bernardo de Podio, draperio Salvii, quamdam tabulam quam habet in foro seu tabulis Salvii, cum omnibus suis juribus, confrontatam ex una parte cum via publica qua itur de dicto foro versus ecclesiam, cum tabula magistri Guillelmi Boneti, notarii Salvii, via in medio, cum tabula Floris Pojade via in medio, cum tabula Petri de Fontibus bullientibus et cum platea fori de Salvio, salvo domino episcopo Magalonensi et ejus curie Salvii directo dominio, consilio, laudimio, prelatione et avantagio sine aliquo censu, pro precio quatuor librarum et decem solidorum turonensium; in quibus renunciat etc.: et si plus valet etc.; et pro evictione etc.

Actum Salvii; testes Guillelmus Loberie, Poncius de Ranco de Salvio, Petrus Borgade notarius episcopi scripsit.

(Reg. A, fol. 66 v°).

MDCCXXVIII. — 20 août 1336

Appel de l'évêque contre le juge de Montpellier, qui a soustrait à sa juridiction le seigneur de Laroque-Aynier.

Anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo tricesimo sexto, domino Philippo Dei gratia Francorum rege regnante, et die vicesima mensis augusti, noverint universi et singuli, presentes pariter et futuri, quod, in mei notarii pressntia subscripti et testium subscriptorum, existens sive

personaliter constitutus in domo venerabilis viri domini Johannis Richardi jurisperiti, judicis regii Montispessulani, Sumidrii et Aquarum Mortuarum, et coram dicto domino Johanne Ricardi, judice predicto, magister Petrus Helie jurisperitus, procurator et procuratorio nomine reverendi in Christo patris domini Magalonensis episcopi;

Et ibidem, coram dicto domino judice, tradidit et exhibuit michi, notario infrascripto, duas papiri cedulas simul sutas, appellationem continentes, quas petiit et requisivit per me notarium dicto domino judici legi de verbo ad verbum.

Quarum cedularum tenores tales sunt et sequuntur sub hiis verbis:

Cum oppressis et contra jus et justitiam aggravatis appellationis remedium sit indultum, idcirco ego Petrus Helie jurisperitus, procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Pictavini, Dei gratia Magalonensis episcopi, comitis Melgorii dominique Salvii, sentiens dictum dominum meum multipliciter aggravatum et in jure suo diminutum a vobis, dominis Johanne Ricardi judice et Hugone de Charentone vicario curie Sumidrii, ex eo et pro eo quod, cum dictus dominus noster rex olim, ex causa permutationis facte cum parte regia Montispessulani, assignaverit et assiderit episcopo et Ecclesie Magalonensi in perpetuum locum de Salvio et totam bayliviam Salviensem, cum mero et mixto imperio, alta et bassa justitia et privilegiis appellationis, et feudis ac vassallis, juribusque feudorum et vassallorum, et omni alio jure quod ibi habebat dictus dominus noster rex, exceptis exercitu et cavalcata, equis et armis, et aliis juribus supranominatis.

Cumque etiam, post dictam permutationem et assignationem, dictus dominus episcopus fuerit et adhuc sit, ministerio gentium seu curialium suorum, in possessione et saysina pacifica et quieta corrigendi et puniendi vassallos suos, infra dictam bayliviam delinquentes.

Et continuando possessionem suam sex menses sunt elapsi vel circa, quod dominus Raimundus de Ruppe miles esset delatus in curia Salvii dicti domini episcopi, quod ipse in loco de Cathedra dicte baylivie Salviensii, ubi dictus dominus episcopus solus et in solidum habet merum imperium, usurpando jus et jurisdictionem dicti domini episcopi, inquisiverat de homicidio cum quodam homine, ipsumque sententialiter absolverat, et propter ea fuisset in dicta curia Salvii positus ad inquestam, et jam sit adeo processus in causa quod non restat nisi sententia promulganda:

Vos, dicti domini judex et vicarius, in favorem dicti militis et dampnum et occupationem juris et jurisdictionis dicti domini episcopi, de facto, cum de jure non possetis, honore et reverentia vobis debitis semper salvis, cum dicto milite, vidente se subcumbere in dicta curia Salviensi, de novo inquisivistis, hahelantes ad absolutionem ejusdem coram vobis.

Et etiam inhibuistis seu inhiberi fecistis curialibus curie Salvii dicti domini episcopi de facto, cum de jure non possetis, et sub pena quam possent incurrere erga dominum nostrum regem, ne ulterius procederent contra dictum militem occasione dicte inquisitionis, sed quod eam tenerent in statu absque aliqua innovatione facienda.

Precepistis etiam dicto militi sub eadem pena, ne ulterius responderet coram curialibus dicti domini episcopi super predictis.

Et gravamen gravaminibus cumulando, citastis bajulum Salvii et ejus locum tenentem, et notarium ejusdem curie, ut compareant coram vobis prima die assiziarum apud Sumidrium, personaliter responsuri inquisitioni [curialium] vestre curie, qui dictam inquisitionem cum dicto milite fecerunt.

Que quidem omnia gravamina fecistis et fieri mandastis per vestras litteras, super predictis de facto et non de jure concessas, quarum tenor inferius est insertus, non vocatis nec citatis gentibus seu procuratoribus dicti domini episcopi, et nulla cause cognitione precedente.

Quare a predictis gravaminibus et (=ab) utroque ipsorum, a vobis, dictis dominis judice et vicario, et utroque

vestrum, in hiis et cum hiis scriptis provoco et appello, nomine quo supra, ad dominum senescallum Bellicadri et Nemausi, seu ad illum vel ad illos ad quem seu quos spectat cognitio presentis appellationis:

Petens apostolos semel, secundo et cum repetita instantia michi dari et realiter tradi.

Requirens vos et vestrum quemlibet, ne hac presenti appellatione procedente (= pendente), aliquid innovare faciatis super predictis, donec de meritis presentis appellationis fuerit cognitum et discussum:

Protestans quod sit licitum dicto domino episcopo et michi, seu alteri procuratori suo, predicta prosequi per viam appellationis, simplicis querele vel nullitatis, aut aliis juris remediis oportunis.

Tenor vero litterarum per vos, dictos dominos judicem et vicarium, contra dictum dominum episcopum et ejus curiales, super predictis injuriose concessarum, talis est:

Hugo de Charentone domicellus, bayletus domini nostri Francorum regis, et pro ipso vicarius Sumidrii, Michaeli de Chancellis, subvicario et servienti Sumidrii, vel alteri dicte curie servienti, salutem.

Litteras venerabilis et discreti viri domini Johannis Ricardi, judicis Sumidrii, recepimus in hec verba:

Nobili viro vicario Sumidrii vel ejus locum tenenti, Johannes Ricardi, judex ejusdem loci, salutem prosperam et felicem.

Relatu fide dignorum intelleximus quod curiales Salvii reverendi in Christo patris domini Magalonensis episcopi et domini Salvii se intro[mi]serunt inquirere contra nobilem virum dominum Raimundum de Ruppe, militem et dominum dicti loci, super quibusdam titulis, contra dictum mili-

tem per ipsos formatis et ejus complices, quos vobis mittimus sub nostro sigillo inclusos: quorum correctio et punisio solum et in solidum spectat ad punitionem et correctionem domini nostri regis.

Idcirco vobis committimus et committendo mandamus, quatenus de et super contentis in dictis titulis vos diligenter informetis; et si per informationem invenire poteritis quod curiales se intromittant vel intromiserunt de inquirendo super predictis titulis, cum eisdem inquiratis super jurisdictione regia usurpata, et alias, prout vobis visum fuerit, faciendum, taliter vos habeutes super premissis quod jus regium obervetur illesum.

Datum in Montepessulano, die XI julii, anno Domini millesimo trecentesimo tricesimo sexto.

Verum cum, per informationem per nos factam, nobis constet ac appareat bajulum Salvii et magistrum Guillelmum de Roveria, ejus locum tenentem, et magistrum Johannem de Deo, notarium curie Salvii, fore culpabiles de contentis in titulis predictis, de quibus in dictis litteris mentio habetur, jurisdictionemque regiam usurpaverunt in eo quod contra dictum militem inquisiverunt de hiis que mere et in solidum ad curiam regiam pertinent, que est in possessione quoscumque curiales, in vicaria Sumidrii et ejus ressorto officiando delinquentes, punire, et specialiter ubi committitur crimen lese magestatis, prout in certo titulo sive in inquisitione per eos factis contra dictum militem propositum extitit et in eisdem vidimus contineri:

Igitur volentes de premissis inquirere veritatem, tibi precipimus et mandamus, quatenus ad locum de Salvio te personaliter transferas, et dictis bajulo et locum tenenti, et aliis dicte curie curialibus precipias, sub pena quam possint incurrere erga dominum nostrum regem ne, ab inde in antea, ulterius procedant contra dictum militem pro premissis factis, sed in statu, in quo nunc sunt, teneant absque aliqua innovatione facienda, cum de premissis contra

dictum militem inquisiverimus, et eidem certa dies extiterit assignata ad audiendam sententiam super premissis.

Cui militi precipimus et per cousequens precipimus sub pena quam erga dominum nostrum regem posset incurrere, ne de cetero coram vobis respondeat pro premissis, nisi aliud per nos aut superiores nostros [in mandatis receperit].

Et nichilominus cites prenominatos bajulum et locum tenentem, et notarium, ut prima die causarum, que tenebitur in presenti curia, personaliter compareant coram nobis, responsuros inquisitioni quam facere intendimus contra eos de premissis, et alias facturi quod fuerit rationis.

Precipientes omnibus nostris subditis, ut tibi in premissis et ea tangentibus, pareant efficaciter et intendant, prestentque auxilium, si necesse fuerit, et favorem.

Reddite litteras sigillatas.

Datum Sumidrii, XII die augusti, anno Domini M° CCC° tricesimo sexto.

Petens de predictis sibi fieri publicum instrumentum per me notarium subscriptum.

Quibus litteris perlectis per me notarium suprascriptum dicto domino judici, dictus procurator appellavit et apostolos petiit; inhibuit ut in dictis papiri cedulis plenius continetur; petens et requirens sibi fieri publicum instrumentum per me notarium infrascriptum.

Et dictus dominus Johannes Ricardi, judex Sumidrii predictus, dixit, petiit et assignavit ut sequitur:

Et dictus dominus judex petiit sibi fieri copiam cedularum predictarum seu appellationis ejusdem, cum qua deliberare valeat, ad respondendum supra contentis in eisdem cedulis supradictis.

Et habita copia earumdem, diem sabbati proximam ad

audiendum responsionem suam eidem procuratori assignavit.

Cui assignationi facte dictus procurator dicti domini episcopi non consentiit, in quantum juri et jurisdictioni dicti domini sui prejudicare posset.

Tradens nichilominus dicto domino judici copiam ex integro cedularum predictarum et contentorum in eisdem, facta collatione cum originali predicto, tradito per eundem,

Et nichilominus dictus dominus judex assignavit ut supra.

Actum in domo dicti domini judicis predicti, in parlatorio ipsius domus seu portico ejusdem, in presentia et testimonio magistri Raimundi de Cestaro macellario, Johannis de Vesiano cederii, habitatoris Montispessulani: et mei Gitberti Linerone, publici notarii regii auctoritate regia, qui, vocatus et requisitus, in premissis presens interfui et hec omnia et singula in notam sumpsi et recepi.

Qua die sabbati supra proxime assignata dicto procuratori, intitulata vicesima quarta die mensis augusti, existens dictus procurator in presentia dicti domini judicis, protestans quod per presentem existentiam non intendit renunciare appellationi presenti, emisse ad dictum dominum senescallum: ymo in ea et apostolorum petitione persistendo, dixit se paratum, nomine quo supra, audire responsionem dicti domini judicis dicte sue appellationi, et apostolorum concessionem, si quam ei duxerit faciendam.

Et dictus dominus judex respondit ut sequitur:

Et dictus dominus judex dixit quod eo quod ipse consuluit vicario Sumidrii, ipse credit consuluisse recte et juste, et absque favore alicujus, sed solum pro jure regio conservando, cum, in loco sive villa de Cathedra, dictus dominus Raimundus de Ruppe dicatur habere omnimodam jurisdictionem altam et bassam.

Et si questio vertatur inter dominum Salvii ex una parte, et dictum dominum Raimundum de Ruppe ex altera, cognitio solum et in solidum pertinet ad dominum nostrum regem et ejus curiam Sumidrii, sub quo ressorto dicta villa de Cathedra immediate existit, et non ad dominum suum Salvii, cum dictus dominus Salvii sibi nec familie sue judicem dare possit, nam solum et in solidum ad principem, videlicet ad dominum nostrum Francorum regem, dare expectet judicem et cognoscere inter se et alium.

Quare dixit quod dictam appellationem non admittit. nisi et in quantum dictus dominus senescallus eam duxerit admittendam:

Presentem appellationem pro apostolis, debitis dicto appellanti in eo casu quod dictus dominus senescallus vel ejus locum tenens eam duxerit admittendam, concedendo.

Cui responsioni dictus magister Petrus Helie, nomine procuratorio quo supra, non consentiit, in sua appellatione et apostolorum petitione persistendo:

Protestans de contrario in responsione dicti domini judicis contentorum.

De quibus dictus procurator petiit sibi fieri publicum instrumentum per me notarium supra et infra scriptum.

Actum ante domum dicti domini judicis, in banco sui hospicii sedendo, in presentia et testimonio magistri Guillelmi *Drot* jurisperiti, magistri Raimundi Rotgerii notarii regii, Johannis Vesiani sederii, Johannis Fredaldi clerici, et mei Gitberti de Linerone. notarii publici regii. qui requisitus hec in notam sumpsi.

Vice cujus et mandato *etc*.

(Reg. F, fol. 186 r°).

MDCCXXIX. — 15 octobre 1336 (I. A.)

Reconnaissance faite au seigneur de Corcone.

Anno ab Incarnatione 1336, et 15 mensis octobris, Andreas de Vallecrosa, parrochie Sancti Stephani de Corcona, recognovit Bertrando Regis militi, domino de Corcona, se tenere in emphiteosim et sub ejus directo dominio, consilio, laudimio, prelatione, commissione, avantagio et censu infrascripto, quamdam vineam in parrochia de Corcona, loco dicto Carmareda; confrontatam cum via publica, et cum vinea Petri de Manso de Brodeto, et cum vinea Guiraudi Guiraudi, et cum honore Stephani Egidii.

Pro qua dat de censu annuatim in festo sancti Michaelis unam eminam ordei et duos denarios turonenses.

Actum apud Corconam; testes Guiraudus Guiraudi, Petrus Molas de Sancto Felice; Martinus de Podio, clericus Uticensis diocesis, apostolica et imperiali et domini Magalonensis episcopi auctoritate notarius, scripsit.

(Reg. F, fol. 286 v°).

MDCCXXX. — novembre 1336

Sentence arbitrale entre l'évêque et Philippe et Bertrand de Lèvis, au sujet de la juridiction de Poussan.

In nomine Domini Nostri Jhesu Christi. Anno salutifere Incarnationis ejusdem millesimo CCC° XXXVI°, scilicet mense novembris, domino Philippo Dei gratia Francorum rege regnante, tractatus fuit habitus inter reverendum in Christo patrem dominum Magalonensem episcopum ex una parte, et nobiles et potentes viros Philippum et Bertrandum de *Le-*

vis fratres, et eorum uxores, seu procuratores eorum et alios de parte eorum, ex parte altera;

Tractante et concordante reverendissimo in Christo patre domino Johanne, divina providentia episcopo Portuensi, sacrosancte Romane Ecclesie cardinali, super discordia questione et controversia, que diutius fuit habita inter ipsas partes super jurisdictione castri de Porsano, diocesis Magalonensis;

Videlicet quod compromissum fiat per dictas partes et illos quos tangit seu tangere potest, seu de consensu eorum, aut quod illi quos tangit, habeant ratificare et confirmare, cum plena securitate in dictum dominum cardinalem, tanquam in arbitrum, arbitratorem seu amicabilem compositorem;

Et quod idem dominus cardinalis pronunciet et ordinet super dictis questionibus, ut in tractatu et pronunciatione per dictas gentes concordata, salva et retenta voluntate, concensu et auctoritate domini nostri Francorum regis, latius continetur.

Cujus tenor dinoscitur esse talis:

Ad hec nos Johannes, Dei gratia Portuensis episcopus, sacrosancte Romane Ecclesie cardinalis, visis et auditis questionibus, causis, litibus, querelis et controversiis, et dubiis que in et super mero et mixto imperio, alta et bassa jurisdictione dicti castri de Porsano ab antiquo fuerunt inter predecessores partium predictarum, et adhuc durant, que olim dum preeramus Magalonensi Ecclesie pro parte experti fuimus (1);

Cupientes dare pacem perpetuam partibus antedictis, quia nonnisi pacis tempore bene colitur pacis Actor;

Et ne partes fatigentur ulterius laboribus et expensis;

---

(1) Il s'agit de Jean de Comminges, évêque de Maguelone, dont nous avons publié les actes en tête du T. IV de cet ouvrage.

Et ne deinceps, premissorum pretextu, periculis exponantur, viam arbitratoriam et amicabilem compositoris sequentes et eligentes, dictis partibus presentibus, nominibus quibus supra, et diffinitionem seu ordinationem nostram dari petentibus;

Tractatu per nos habito et deliberatione multiplici cum dicto episcopo et ejus parte, ac cum dictis Philippo et Bertrando de *Levis* ex parte ipsorum;

Visa etiam cedula, tractatum inter dictas partes continente, sigillis dictorum episcopi et Philippi ac Bertrandi sigillata;

Cujus tenor talis est:

Hic est tractatus, habitus inter reverendum in Christo patrem dominum Pictavinum, Dei gratia Magalonensem episcopum, nomine suo et Ecclesie sue Magalonensis, quem gratum habere faciet per Capitulum Magalonense, ex una parte; et nobilem virum Philippum de *Levis*, dominum de Florensiaco, nomine suo et Bertrandi de *Levis* fratris sui, et magistrum Raimundum de Cavalhelis jurisperitum, procuratorem et procuratorio nomine nobilis Janiatge dictorum Philippi, et Jordane Bertrandi uxorum, ex parte altera:

Super unione et communicatione jurisdictionum totalium castri et mandamenti de Porsano, videlicet illius jurisdictionis, et meri imperii et alterius cujuscumque, quos et quam dictus dominus episcopus et ejus predecessores episcopi Ecclesie Magalonensis habet et habere consueverunt in dicto castro et mandamento; et illius jurisdictionis basse et alterius cujuscumque, quam predicte domine et earum predecessores, seu a quibus causam habent et habuerunt in castro et mandamento predictis, facienda et comittentā (= comittenda) inter predictum dominum episcopum, nomine quo supra, ex una parte; et dictos Philippum et Bertrandum et magistrum Raimundum, nominibus quibus supra, ex altera, pro indiviso et equis partibus, sub conditionibus infracriptis

Primo, quia jurisdictio alta et alia, quam dictus dominus episcopus habet in castro predicto, est majoris valentie et honoris quam altera jurisdictio bassa et alia, quam predicte sorores, seu dicti fratres eorum nomine, habent in castro predicto et ejus mandato;

Quod dicti fratres et dicte sorores dent et deliberent dicto domino episcopo et ejus Ecclesie Magalonensi, per imperpetuum, id quod reverendus in Christo pater dominus Johannes, Dei gratia episcopus Portuensis ac Sancte Romane Ecclesie cardinalis, duxerit ordinandum.

Cujus ordinationi et voluntati super dicta quantitate partes predicte stare promiserunt.

Item quod de summa, per dictum dominum cardinalem ordinanda et dicto domino episcopo et ejus Ecclesie assignanda, decem solidi primo et in solidum assumantur in usaticis. quos dicti nobiles infra muros dicti castri percipiunt assignentur dicto domino episcopo et ejus Ecclesie in rebus emphiteotecariis urbanis melioribus, communibus et deterioribus ad voluntatem et cognitionem duorum proborum virorum per dictas partes eligendorum.

Et residuum dicte summe per dictum dominum cardinalem declarande, per medium divedetur.

Et una medietas assignabitur in directis dominiis, et usaticis, que dicti nobiles percipiunt in tenemento et mandamento dicti loci de melioribus, communibus et deterioribus, ad cognitionem proborum [virorum] predictorum.

Et alia restans medietas assignabitur in devesia vel in molendino, quam et que (= quod) dicti nobiles habent in territorio dicti loci, ad electionem dicti domini episcopi, que assignentur dicto domino episcopo et sue Ecclesie, ad voluntatem et arbitrium et esgardam proborum virorum predictorum.

Item fuit actum quod prime appellationes et primum ressortum pertineant et pertinere debeant dicto domino episcopo et Ecclesie sue predicte in solidum et pro toto

Item fuit actum quod dicti fratres eorumque uxores teneant et tenere debeant in feudum a dicto domino episcopo et ejus successoribus, ac Ecclesia Magalonensi, sub homagio et fidelitatis juramento, illam partem quam occasione hujusmodi pariatgii adquirent a dicto domino episcopo et Ecclesia Magalonensi, et ea omnia que ibi habent, sicut anthea tenebant et debebant, bassam jurisdictionem et alia que primitus inibi habebant.

Item fuit actum quod, super omnibus et singulis supradictis et infrascriptis, retineantur voluntas et bene placitum domini nostri Pape ac domini nostri Francorum regis, prout jus eorum quemlibet tangit vel tangere potest.

Item fuit actum quod, salvis predictis, merum et mixtum imperium et omnis alta et bassa jurisdictio, et eorum exercitium dicti castri et pertinentiarum suarum, sint communia pro indiviso predictis domino episcopo et Ecclesie sue pro medietate, et dictis fratribus et eorum uxoribus pro alia medietate, et successoribus eorumdem.

Item fuit actum quod,. in dicto castro et ejus territorio, ponantur et instituantur bajulus et judex communiter per partes predictas.

Et si super hoc convenire non possent, quod una pars ponat et instituat uno anno judicem, et altera pars bajulum; et sic vicissim suis vicibus perpetuis temporibus observetur;

Item fuit actum quod bajulus et judex qui creati fuerint in dicto castro possint ponere et creare servientes et custodes carcerum, ac precones, et inquantatores, et bannerios, et alios officiales inferiores; et positos et creatos suspendere, deponere et destituere pro libito voluntatis, ipsosque corrigere et punire nomine communi dominorum suorum predictorum.

Item fuit actum quod dicte partes communiter creent et teneant ibi notarium vel notarios communis curie.

Et si inter se concordare non possent, quod bajulus et ju-

dex dicte communis curie notarium in dicta communi curia ponant et teneant, prout eis visum fuerit expedire et communiter et nomine communi predicto.

Et idem de procuratore communi fiat.

Precensitisque voluntate et consensu partium predictarum salva et retenta protestione facta per partes ipsas, videlicet quod tunc demum diffinienda seu ordinanda per nos qualitercumque teneant et valeant, si dominus Francorum rex, a quo dictus episcopus tenet et tenere debet in feudum ea que habet in dicto castro et ejus territorio de Porsano, assensum prestare voluerit, licentiam seu consensum, et alias seu aliter, non; et ut in protestatione, per dictas partes facta, latius continetur, sub pena et juramento in dicto compromisso contentis;

Pro bono pacis et concordie dicimus, recitamus, pronunciamus, diffinimus, declaramus et ordinamus quod omnis meri imperii, et quecumque alia ad episcopum et Ecclesiam Magalonensem [pertinentia], et omnis et tota bassa et alia quecumque ad dictos nobiles in castro de Porsano diocesis Magalonensis et toto ejus territorio et districtu pertinentia, jurisdictiones, ex quocumque titulo vel causa, divisim vel conjunctim, uniantur et sint unite et communes cum exercitio et emolumentis suis, partibus seu portionibus indivisis Ecclesie et episcopo Magalonensi imperpetuum, et nobilibus supradictis, prout quemlibet eorum contingit et contingere poterit in futurum, et causam ab eis habituros, ad ipsos episcopum et Ecclesiam pro parte dimidia pro indiviso, et nobiles supradictos et causam ab eis habituros pro alia parte dimidia etiam pro indiviso, cum suis emolumentis et obventionibus universis, secundum partes predictas, pertinere et pertinere debere imperpetuum pronunciamus, ordinamus et declaramus.

Ei de predictis mero et mixto imperio, et alta, bassa et omnimoda jurisdictione dicti castri, et ejus territorii et dis-

trictus, unionem communem et pariagium facimus inter partes predictas et eorum successores, ut superius est expressum, cum recompensatione infrascripta: ex[c]eptis et reservatis episcopo et Ecclesie Magalonensi causis et casibus infrascriptis, et retenta licentia in hiis et aliis infrascriptis, et voluntate dicti domini Francorum regis et ipsius jure, quantum ipsum tangat et tangere posset, salvo.

Item quia merum imperium et alia jurisdictio, que dictus episcopus Magalonensis et ejus predecessores pro dicta Magalonensi Ecclesia habe[n]t, habuerunt et habere consueverunt in dicto castro et ejus territerio, sunt majoris valentie et honoris quam inferior seu bassa et alia jurisdictio, quam habent dicti conjuges, et sui predecessores habuerunt et habere consueverunt in dicto castro et ejus territorio, dicimus, pronunciamus, recitamus, diffinimus et ordinamus quod dicti nobiles, pro recompensatione dicte majoris valentie et honoris, dent et assignent, assideant et deliberent realiter dicto episcopo et Ecclesie sue imperpetuum quadraginta libras bonorum turonensium parvorum, cum directis dominiis, consiliis, laudimiis et jure prelationis, in annuis et perpetuis redditibus in dicto castro de Porsano et ejus territorio assignandis et assidendis.

Quas XL libras annui et perpetui redditus, in et de bonis que habent dicti nobiles infra dictum castrum et ejus territorium, salva dicta protestatione, damus et assignamus, assidemus et deliberamus dicto episcopo et ejus Magalonensi Ecclesie imperpetuum, per modum videlicet infrascriptum.

Primo de dictis XL libris damus et assignamus, assidemus et transferimus, et deliberamus, de bonis et redditibus dictorum nobilium, dicto episcopo et Ecclesie sue, X solidos censuales in prediis emp[h]ithe[o]ticariis urbanis, infra muros dicti castri, cum directo dominio, consilio et laudimio, ut superius dictum est.

Qui census et que predia particulariter sunt inferius nominata et etiam designata.

Item de predictis XL libris assignamus... dicto episcopo et Ecclesie sue Magalonensi, in prediis rusticis extra dictum castrum de Porsano, infra tamen ejus territorium et districtum decem et novem libras et quindecim solidos censuales cum directo dominio, consilio et laudimio, et jure prelationis, de bonis et redditibus nobilium predictorum.

Qui census et que predia inferius particulariter sunt nominata et etiam designata.

Item assignamus... dicto Magalonensi episcopo et ejus Ecclesie, facta electione per dictum episcopum, XIX libras et quindecim solidos dicte monete restantes de predictis quadraginta libris annui et perpetui redditus dicto episcopo et Ecclesie, ut premittitur, assignatas et assignandas in et de quadam magna pecia terre cum nemore vocato Devesa, quam dicti nobiles habent infra territorium dicti castri de Porsano.

Ita quod de dicta Devesa quota pars, que predictas decem et novem libras et quindecim solidos, singulis annis, in perpetuis redditibus valeat et valere possit, per predictos nobiles prefato episcopo assignetur realiter et assideatur in plena potestate et usufructu, in omni jure directi et perfecti dominii.

Que tamen remaneat dicto episcopo indivisa cum dictis nobilibus cum alia parte, que nobilibus ipsis de dicta devesa remanebit, assignatione dicte quote partis predicto episcopo et Ecclesie sue predictis realiter facta.

Et quia quota pars predicta dicto episcopo in suprascripta devesa realiter assignanda, est incerta, utrum sit et esse possit secundum valorem dicte summe XIX librarum et quindecim solidorum, pars quota dicte devese, tertia, quarta quinta, sexta, septima, aut major vel minor, in casu in quo dicte partes super dicta quota [parte] inter se convenire non possint, pronunciamus et ordinamus, de consensu partium predictarum, quod, veritate per aliquos bonos virosinquisita quod fieri volumus infra unum annum, a die

presentis pronunciationis computandum, diffinire, ordinare et declarare possimus que et quanta erit et esse debebit quota portio (*renvoi indiqué et oublié*) devese, et que de dicta devesa prefato episcopo, nomine sue Magalonensis Ecclesie erit realiter assignanda et tradenda, assignabitur et tradetur modo predicto et pro parte, ut prefertur, indivisa.

Que devesa debeat locari, arrendari seu ad firmam tradi communiter per gentes episcopi et nobilium predictorum, et successorum eorumdem in castro predicto, aut alibi, ubi magis partibus seu earum gentibus communibus visum fuerit expedire, ad consumptionem candele vel alias, prout utilius communiter visum fuerit gentibus supradictis, die per dictas gentes ad hoc communiter assignanda.

Et quod emptores et arrendatores seu firmarii solvant et solvere debeant cuilibet dictarum partium seu earum gentibus partem pretii, cuilibet contingentem juxta quotam cuilibet pertinentem.

Item dicimus... quod prime appellationes et primum ressortum pertineant et pertinere debeant dicto episcopo et Ecclesie supradicte, in solidum, in dicto castro et ejus territorio et districtu; quia dicto episcopo et sue Ecclesie actenus per dominum nostrum regem et comissarium seu comissarios, per ipsum deputatum seu deputatos, concessum et assignatum extitit, et etiam confirmatum, quando dictus dominus rex, partem, quam habet in Montepessulano, ab episcopo et Ecclesia Magalonensi acquisivit.

De quibus primis appellationibus et ressorto cognoscatur per dictum episcopum, seu ejus judicem appellationum seu ejus locum tenentem.

Item dicimus... quod dicti fratres et eorum uxores, et successores ipsorum in dicto castro et ejus territorio, teneant et tenere debeant in feudum a dicto episcopo et ejus successoribus et Ecclesia Magalonensi, sub homagio et fidelitatis juramento, illam partem quam, occasione hujusmodi

pariagii, habent et habebunt a dicto episcopo et Ecclesia Magalonensi:

Et dictum castrum et ea omnia que in dicto castro et ejus territorio habent et habebunt, teneant et recognoscant, sub homagio et fidelitatis juramento, a dicto episcopo et ejus successoribus, juxta formam juxta quam ea que prius ibi habebant, recognoscebant et recognoscere consueverant.

Item dicimus... quod bajulus et judex in dicto castro et ejus territorio communiter per dictas partes et earum uxores creentur, ponantur et constituantur, qui teneant, et regant et exerceant predictam omnimodam jurisdictionem, communiter et pro indiviso, ac pro equis partibus, ut superius est expressum.

Verum si dicte partes vel earum successores, super creatione et constitutione dictorum bajuli et judicis convenire non possent, pro eo casu, primo anno quo disconvenirent, episcopus ponat et creet ibidem judicem, et dicti nobiles bajulum; et sequenti anno, vice versa, nisi convenirent, dicti nobiles ponant judicem, et dictus episcopus bajulum: et sic vicissim, suis vicibus, perpetuis temporibus observetur.

Qui bajulus et judex, sive creentur communiter sive particulariter, teneantur jurare utrique parti quod dictis episcopo et nobilibus fideles erunt, et ipsorum utilia procurabunt et inutilia evitabunt, toto tempore sui regiminis, suo posse, et quod in ministranda justitia legaliter et fideliter, absque personarum [acceptione], etiam se habebunt.

Item dicimus... quod bajulus et judex, sic positi et instituti, ambo simul et aliter non, possint ibidem creare servientes, et custodes carcerum, precones, subastatores, bannerios et alios officiarios inferiores, et creatos mutare, suspendere, deponere, corrigere et punire, ac de ipsis justitiam facere, nomine communi partium predictarum.

Qui servientes, custodes carcerum, precones, subastatores, bannerii et alii officiales inferiores jurare teneantur, quod

utrique parti boni et fideles erunt et in suis officiis legaliter se habebunt.

Item dicimus... quod si bajulus aut judex, ut premittitur, creati in dicto castro seu ejus territorio, delinquerunt in eorum officio, correctio et punitio spectet communiter ad partes predictas, vocato procuratore communis curie dicti castri.

Et si pena esset pecuniaria, vel bonorum immobiliumque (=et bona immobilia) haberent, infra territorium dicti castri, dicti bajulus et judex, seu eorum alter, quod emolumentum sit et esse debeat commune etiam inter partes predictas et successores earum, sub modo et forma, super talibus bonis inmobilibus aliarum personarum inferius declarandis.

Si vero esset pena aut punitio corporalis, quod fiat executio communiter per partes easdem.

Item dicimus... quod dicte partes et earum successores creent, ponant, constituant et ordinent notarium et notarios, procuratorem et procuratores in dicta communi curia dicti castri, et eos seu eorum alterum revocent, revocare possint quando et quotiens dictarum partium seu earum successoribus placuerit voluntati.

Et si dicte partes seu earum successores de creatione, positione, constitutione et ordinatione dictorum notarii et procuratoris convenire non possent, quod eo casu bajulus dicte communis curie notarium et procuratorem creent, ponant, constituant et ordinent pro libito voluntatis, in et pro communi curia supradicta, potestate ipsorum tantummodo duratura per annum.

Et sic de anno in annum illos ibidem possint creare et ponere, nisi dicte partes aliter inter se convenirent.

Qui procurator dicte communis curie, ut premittitur, creatus et constitutus, causas communes ipsius curie promovere et prosequi teneatur tam in dicta curia quam alibi in

tota senescallia Bellicadri et Nemausi, expensis communibus partium predictarum.

Et si pro dictis causis communibus extra dictam senescalliam, Parisius aut alibi mittere seu expensas facere esset opus, quod illud fiat expensis communibus partium predictarum.

Qui notarius et procurator teneantur utrique parti jurare fidelitatem, et quod in eorum officiis fideliter se habebunt.

Item dicimus... quod bajulus et judex, procurator, notarius et servientes dicte communis curie stipendientur et stipendiari debeant expensis communibus partium predictarum et earum successorum, prout eis melius expedire videbitur.

Qui servientes portent et utantur, exercendo officium dicte communis curie, baculos, signatos signis seu armis dictorum episcopi et Ecclesie et nobilium predictorum et successorum eorum.

Et quod in dicta communi curia fiat et fieri debeat, et factum teneatur sigillum commune, sculptum et signatum armis seu signis Ecclesie et nobilium predictorum (*renvoi indiqué et oublié*) curie castri de Porsano.

Item dicimus... quod inqueste et processus, inchoate et inchoati in dicto castro et curia utriusque partis super quibus lis non est contestata, aut aliqua sententia lata et earum (*humidité 5 cent.*), et coram bajulo et judice communibus ventilentur et terminentur, et etiam inchoata per litis contestationem aut sententie prolationem, si per viam nullitatis vel alias modo debito recurretur ad ipsos.

Quo casu, emolumentum spectet in solidum ad illum coram cujus curia, lis fuerit contestata vel sententia lata ante hanc presentem nostram pronunciationem.

Item dicimus... quod si contingeret, aliquo casu, aliquam personam delinquere infra dictum castrum, seu ejus territorium aut districtum, propter quod delictum perderet bona

sua in solidum vel pro parte, et bona talis persone tenerentur in emphiteosim seu in feudum, aut sub aliquo contractu censuali a dictis nobilibus seu eorum successoribus, quod bona hujusmodi immobilia debeant dictis partibus et eorum successoribus communiter applicari:

Ita tamen quod dictus episcopus partem sibi contingentem de hujusmodi bonis, infra annum a die late finalis sententie computandum, vendere et extra manum suam ponere teneatur, omni fraude cessante, salvo jure dictis nobilibus et eorum successoribus in laudimio, consilio et jure prelationis in venditione predicta.

Si vero bona hujusmodi a dicto episcopo seu ejus Ecclesia tenerentur aliquo de predictis modis, quod ipsa bona similiter debeant dictis partibus et earum successoribus communiter applicari:

Ita tamen quod dicti nobiles et eorum successores, infra annum, a die late finalis sententie computandum, vendere et extra manum suam ponere partem sibi contingentem teneantur, omni fraude cessante, salvo jure dicto episcopo et ejus successoribus in laudimio, consilio et jure prelationis in venditione predicta.

Sane si dicte partes seu earum successores, infra dictum annum, non vendiderint seu extra manum suam non posuerint partem illam, quam juxta premissa sibi retinere non debent, quod ex tunc bajulus et judex dicte communis curie talem partem facia[n]t subastare, et subastatam plus offerenti livrare, et pretium tradant et tradere teneantur illi parti que dictam partem vendere debuerat infra annum, salvo semper jure directi dominii, consilii et laudimii parti a qua tenentur, ut superius est expressum.

Item dicimus... quod dicte partes et earum successores communem domum habeant, in qua dicta communis curia teneatur, ac carceres communes, in quibus homines capti et capiendi teneantur et custodiantur.

Item dicimus... quod furche, pilare seu pilaria, cortella

et alia signa jurisdictionalia et patibularia, que ibi jam sunt erecta aut erigi contingerit in futurum, sint communia inter partes predictas et successores ipsarum.

Item dicimus... quod dicti nobiles dicto episcopo seu ejus gentibus de predictis censibus, et directis dominiis et aliis ipsis, episcopo et Ecclesie assignatis, de evictione teneantur totali et particulari, et per emphiteotas, inferius nominatos, predia, inferius designata, tenere faciant a dicto episcopo et ejus Ecclesia, et etiam recognosci cum censibus infrascriptis.

Et si contingeret quod dicti emphiteote non tenerent dictas res emphiteotecarias, seu non tenerentur dare et solvere dictos census, quod dicti nobiles illi[s] que (=qui) defficerent dicto episcopo, suppleant, et respondere faciant de aliis rebus emphiteoticariis, que (=quas) habent dicti nobiles in castro et territorio supradictis, in eodem valore et eisdem seu similibus modo et forma, quibus alii census et predia cum directis dominiis, consiliis et laudimiis sunt assignata, translata et concessa.

Et vice versa, quod dictus episcopus et ejus successores, et Ecclesia Magalcnensis teneantur dictis nobilibus et eorum successoribus de evictione totali et particulari omnium et singulorum eorum, que dictus episcopus, occasione presentis pariatgii seu tractatus, transfert, et nos transferimus, ut supradictum est, in nobiles supradictos.

Item dicimus... quod, habito consensu seu voluntate dicti domini nostri regis, incontinenti omnia et singula, per nos dicta, recitata, pronunciata, et diffinita, et ordinata, unita, communicata, parificata et recompensata, valeant et teneant et suum effectum obtineant inconcussum;

Et quod ex tunc dicte partes et earum quelibet, auctoritate sua, absque licentia alterius partis aut cujuscumque alterius persone, possit possessionem corporalem et realem omnium predictorum communicatorum et recompensatorum, et prout per nos est pronunciatum, diffinitum et ordinatum, per se

seu procuratores suos intrare, apprehendere et nancisci, et apprehensam seu nactam retinere, salvo jure dicto episcopo et ejus successoribus super usaticis, directis dominiis, consiliis, laudimiis, et jure prelationis ac consilio, in accapitum seu in emphiteosim dationis, et omni alio jure suo in et super hujusmodi rebus ac redditibus, per nos dicto episcopo et Ecclesie sue in recompensationem predictam assignatis seu adjudicatis, que tam per se quam per alium seu alios ex tunc posset levare, percipere et habere libere et in pace, et absque contradictione qualibet nobilium predictorum seu successorum suorum.

Propter hoc tamen ullam jurisdictionem separatim in dicto castro seu ejus territorio dictus episcopus seu ejus successores sibi non possint seu possit quovis modo acquirere, attribuere seu alias vendicare.

Et salvo jure etiam dictis nobilibus et eorum successoribus super usaticis, directis dominiis, consiliis, laudimiis et jure prelationis ac comissionis, in accapitum seu in emphiteosim dationis, et omni alio jure suo in et super aliis bonis feudalibus et emphiteotecariis, eisdem nobilibus remanentibus in dicto castro et ejus territorio et districtu, que, tam per se quam per alium seu alios, ex tunc etiam possunt levare (*renvoi indiqué et oublié*), et in pace et absque contradictione qualibet dicti episcopi seu successorum suorum.

Propter hoc tamen ullam jurisdictionem separatam in dicto castro seu ejus territorio sibi non possint dicti nobiles seu eorum successores quovis modo acquirere, attribuere seu alias vendicare.

Item dicimus... quod homines dicte universitatis dicti castri, qui sunt et pro tempore fuerunt, juramentum prestare teneantur dictis partibus communiter, seu eorum gentibus, aut bajulo et judici communis curie dicti castri, quod consuetum est prestari et debet occasione et causa jurisdictionis.

Item dicimus et pronunciamus quod dictus episcopus,

suis expensis et sumptibus, habere licentiam et auctoritatem a Sede Apostolica et illam tradere dictis nobilibus teneatur; et, vice versa, prefati nobiles suis expensis et sumptibus, teneantur habere licentiam, concensum et auctoritatem a dicto domino rege, et illam tradere vicissim dicto episcopo etiam teneantur.

Item dicimus... quod aliqua que dicta sunt et dicentur, tractata sunt et que tractare contingerit, que supplicata sunt vel supplicabuntur, que confessata sunt vel confitebuntur, scripta sunt vel scribentur, aut alias quomodolibet cum scriptis vel sine scriptis agentur inter dictas partes, causa seu ratione compromissi in nos facti, aut causa seu occasione tractatus inter dictas partes habiti et habendi, aut causa seu occasione auctoritatis, consensus seu licentie dominorum pape et regis, aut ipsorum alterius, percipiendorum et habendorum, aut quecumque alia dicta seu dicenda inter dictas partes presentes vel absentes, seu alias quovismodo, non prejudicent nec prejudicare possint alicui partium predictarum, in eo casu quo (*renvoi indiqué et oublié*) diffinita et alias ordinata per nos, per utramque predictarum partium non essent plene et cum effectu completa, ratificata et confirmata, in tantum quod infringi non possent in solidum vel pro parte, quod utrique parti remaneat integrum et salvum jus tam in proprietate quam in pocessione, videlicet dicto episcopo feudi et homagii, meri imperii et alterius jurisdictionis et juris, quos et quam habet et habebat, et in qua et quibus erat ante dictos tractatum et compromissum; et dictis nobilibus, basse et alterius jurisdictionis et juris, quos et quam habent et habebant, tam in proprietate quam in pocessione, ante eosdem tractatum et compromissum, nulli (= nullo) prejudicio alicui partium generato vel etiam generando.

Item dicimus... quod tam dictus dominus Guigo quam dicti Philippus et Bertrandus, Jamaga et Jordana dictam pronunciationem et omnia et singula suprascripta, per se et

suos heredes, medio juramento, infra annum a die presentis pronunciationis continue numerandum, laudent, approbent, ratificent, emologent et confirment;

Et quod dictus episcopus etiam predicta omnia et singula infra eundem annum procuret et faciat cum effectu per Capitulum Magalonensis Ecclesie approbare, ratificare, emo[lo]gare et confirmare, salva protestatione.

Predicta vero omnia et singula supradicta dicimus, recitamus, pronunciamus, declaramus et ordinamus, salva et repetita protestatione predicta et salvo jure in omnibus dicti domini nostri Francorum regis.

Item, de voluntate ét consensu dictarum partium, nominibus quibus supra, quod nos dicti episcopus et procurator verum esse fatemur, retinemus nobis, dicto arbitro, arbitratori seu amicabili compositori, potestatem predicta declarandi et interpretandi, corrigendi, emendandi, addendi et diminuendi, salvo jure dicti domini nostri regis, si quando et quotiens nobis expedire videbitur, hinc ad duos annos continuos et completos.

Et interim quandocumque (*cetera desiderantur*).

(Reg. B, fol. 224 r°).

MDCCXXXI. — 10 décembre 1336

Notification au juge-mage et au sénéchal de Beaucaire du jugement du 18 mars 1336 au sujet de Puechagut.

Anno Domini M° CCC° XXXVI°, et die X mensis decembris (*sic*), domino Philippo Dei gratia Francorum rege regnante, noverint universi quod existens apud Nemausum, magister Guillelmus Holonie, procurator et nomine procuratorio rèverendi in Christo patris domini episcopi Magalonensis, in presentia et conspectu venerabilis et discreti viri domini

Petri Maurelli. dicti domini regis clerici judicisque majoris senescallie Bellicadri et Nemausi, intimavit dicto domino judici quandam sententiam, contentam in quodam instrumento publico subscripto et signato, ut in eo legitur, manu et signo magistri Francisci Torti, notarii publici subscripti, sub anno Domini M° CCC° XXXV°, et die XVIII mensis marcii, quod incipit in secunda linea *infrascriptum*, et finit in eadem *viro*.

Quod quidem instrumentum dictus procurator petiit per me notarium infrascriptum legi et explanari coram dicto domino judice, ad finem quod dictus dominus judex ignorantiam pretendere non possit contentorum in instrumento predicto, et de eisdem plenarie certificetur.

De quibus omnibus dictus procurator petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Et dictus dominus judex major dictum instrumentum habuit pro lecto, et sententiam in eo contentam habuit pro intimata, et se certificatum de eadem reputavit.

De quibus dictus procurator petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Acta fuerunt hec Nemausi, in parvo consistorio curie domini senescalli, presentibus testibus discretis viris dominis Raimundo Bauchonis, Petro Fabri. Raimundo Saynerii jurisperitis. et magistro Stephano Gauterii notario regio infrascripto.

Postque anno quo supra, et die XII mensis octobris (*sic*), dicto domino Philippo Francorum rege regnante, noverint universi quod. existens apud Nemausum in presentia nobilis et potentis viri domini Rotberti de Pomayo militis, vicarii et castellani Bellicadri locumque tenentis nobilis et potentis viri domini Philippi de Pria militis, senescalli Bellicadri et Nemausi, magister Guillelmus Holanie procurator nomine procuratorio quo supra, et presentavit ac etiam

intimavit dicto domino locum tenenti instrumentum supradictum et sententiam in eo contentam, dicto domino judici majori exhibitum et etiam intimatum, per modum supra exhibitum, et hostensum et intimatum dicto domino judici majori.

Et dictus dominus locum tenens dictum instrumentum habuit pro lecto, et sententiam in eo contentam habuit pro intimata, et se certificatum de eadem reputavit.

De quibus dictus procurator petiit sibi fieri publicum instrumentum.

Acta fuerunt hec Nemausi a dicto verbo *postque*, etiam in aula regia, presentibus testibus venerabilibus viris dominis Petro Maurelli judice majori predicto, Brt. Helie, Petro Fabri, Poncio de Margaritis jurisperitis, et magistro Stephano Gauterii, publico notario regio curie dicti domini senescalli, qui, de premissis requisitus, hec omnia in notam recepit.

De qua nota non cancellata *etc.*

(Reg. B, fol. 137 v°).

MDCCXXXII. — 12 mars 1336 (n. s. 1337)

Philippe de Valois veut bien approuver l'accord au sujet de Poussan, mais auparavant il demande une enquête.

Philippus, Dei gratia Francorum rex, rectori nostro Montispessulani, salutem.

Porrecta nobis per Philippum et Bertrandum de *Levis* fratres, supplicatio continebat quod, cum de et super quibusdam discordiis et debatis, hactenus continuantibus occasione castri de Porsano, ipsis ratione suarum uxorum pertinentis, inter eosdem fratres et eorum predecessores, a qui-